The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.


The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

IV

EPISTOLAE AD EPHESIOS
AD PHILIPPENSES
ET AD COLOSSENSES

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

FRANCISCAN FATHERS
LIBRARY

COMMENTARIUS

IN

S. PAULI APOSTOLI

EPISTOLAS

IV

EPISTOLAE AD EPHESIOS
AD PHILIPPENSES
ET AD COLOSSENSES

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

FRANCISCAN FATHERS
WITHDRAWN
LIBRARY
Chicago, Ill.
Indianapolis, Ind.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1912

Omnia iura vindicabuntur



TOURS. — IMPRIMERIE DESLIS FRÈRES ET Cie, RUE GAMBETTA, 6.

C977c
v.34

7332

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

KNABENBAUER I. S. I., *Commentarius ad epistolas Ephes. Philipp. Coloss.*

IMPRIMI POTEST

19 Maii 1911
Ern. THILL, S. J.
Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 1ª Iunii 1911.

H. ODELIN,
Vic. gen.

PRAEFATIO.

Hunc in epistolas ad Ephesios, Philippenses, Colossenses commentarium auctor, P. Knabenbauer, ipse adhuc firma utens valetudine perscripserat ac iam folia typis expressa corrigere inceperat, cum ecce necopinato praeceps eum ac dirus duorum dierum morbus e vivis sustulit. Cuius operis editionem cum perficiendam susceperim, aequum esse videtur, ut, sicut tribus abhinc annis P^i^ Cornely in praefatione ad commentarium de libro Sapientiae paucis verbis parentavi, ita nunc de P^is^ Knabenbauer quoque vita breviter narrem.

Patria Iosepho Knabenbauer fuit Deggendorpium, oppidum haud ignobile Bavariae Inferioris, dies natalis festum S. Iosephi, d. 19. Martii a. 1839. Puerum corpore robustum, indole ad studia praeditum peridonea parentes post eruditionem elementarem Patribus Benedictinis abbatiae Methemensis (Metten) litteris humanioribus imbuendum commendaverunt, in quorum scholis, ut optimis moribus, ita litterarum amore ac praecipue linguae germanicae ac poeseos gustu effloruisse dicitur. Neque tamen, cum se divinitus ad amplectendum institutum Societatis Iesu sentiret invitari, spe optimi examinis abiturientium brevi subeundi impediri se sivit, quominus statim, nulla facta mora, Gorhemium in principatum Hohenzollern ad incohandum noviciatum convolaret, d. 27. Sept. 1857. Suae huius religiosae vocationis usque ad supremum vitae diem fuit eximius amator, et magnum in ea Dei erga se beneficium semper agnoscebat. Biennio tirocinii absoluto, in domo Fridericoburgensi prope Monasterium Guestfalorum studia litteraria et rhetorica continuavit. Iam insequenti anno ad gymnasium Feldkirchense mittitur ibique per quattuor annos magistrum agit ; deinde, a. 1864-66, universitatem Bonnensem

frequentavit, studiis incumbens litterarum classicarum. Tum demum ei concessum est, ut in collegio S. Mariae ad Lacum se ad studium philosophiae theologiaeque scholasticae conferret, quod intra sex annos absolvit. Semel aliquamdiu suis codicibus vale dixit, cum, saeviente bello anni 1870, militibus sauciatis humilia caritatis officia praestitit. Quo non obstante, vixdum emensus curriculum theologiae ac sacerdotio initiatus, cum fratribus e Germania in exsilium mittitur. In novo Collegio Ditton-Hall statim de S. Scriptura praelectiones habuit ; at post unum annum in Hollandiam transmigravit, ut ex norma sacrae regulae tertium obiret annum probationis, dein in Belgium, ubi in castello Tervuerensi prope Bruxellas P^i^ Cornely ad manum esset in conscribendis et edendis novis periodicis « Stimmen aus Maria-Laach » et « Katholische Missionen ». Anno 1874 revocatus in Angliam munus resumpsit professoris exegeseos in eoque deinceps, etiam isto collegio in oppidum Valkenburgense Hollandiae translato, usque ad annum 1909, i. e. integros annos triginta quinque, perduravit. Praeter hoc magisterium alia saepe officia obivit, ut examinatoris theologorum per annos 24, praefecti studiorum philosophicorum et theologicorum per decennium, Consultoris Provinciae per 8 annos, semel per dimidium annum Viceprovincialis. Per 32 annos in catalogis etiam titulum Scriptoris habet, nec id nomen vanum fuisse numerosae eius elucubrationes testantur. Neque enim solum inde a primo volumine « Vocum Lacensium » usque ad octogesimum primum nullum fuit, ad quod non aliquid contribueret, sed in aliis quoque periodicis theologicis haud semel aliquid de sua penu evulgavit, librum conscripsit De generis humani pro immortalitate animae testimonio et germanicam expositionem Isaiae prophetae ; quae cum multum placuisset, id Patri certe stimulos admovit ad suscipiendum et assidue persequendum cum P^e^ Cornely vastum opus litterarium ab hoc excogitatum, Cursum, inquam, hunc Scripturae sacrae. In quo P. Knabenbauer ipse solus, cum diem supremum obiret, septemdecim volumina ediderat (et quidem quinque volumina secundo), duo prelo subiicere coeperat, unius denique manuscriptum absolverat et iamiam libellum Tobiae tractare moliebatur. Ultimo biennio in eodem Collegio Valkenburgensi fratrum theologorum primum Minister, dein Pater Spiritualis fuit. In quo munere die 11. Nov. 1911 acri morbo cor-

reptus, iam ultima hora diei sequentis Traiecti ad Mosam in nosocomio, ad quod illico transvehi iussus erat, placide spiritum Creatori reddidit.

Omnes, quotquot P^em^ Knabenbauer norant, conspicuam in eo cernebant simplicem pietatem et omnis fastus nesciam humilitatem, vocationis suae oboedientiaeque promptae amorem, sed praecipue actuosam et officiosam caritatem fraternam atque indefessam impigramque in assiduo labore industriam. Commentarii eius exegetici, etsi saepe ea elocutionis elegantia non eminent quae olim in iuvene magistro laudabatur, copia argumenti ac soliditate doctrinae placuerunt ideoque iam permultorum versantur manibus. Insigne testimonium magnae existimationis, qua Pater in scientia theologica late fruebatur, tribus ante mensibus quam vita decederet, Universitas Wratislaviensis ei exhibuit titulo Doctoris Theologiae honoris causa sollemniter collato. R. I. P.

In hoc commentario, qui, ut modo dicebam, iam sub prelo erat, quo die auctor e vivis excessit, nihil amplius mutavi, nisi quod nonnullis in locis obscurius aut inconcinnius dicta paululum corrigebam. Alterum volumen item iam imprimi coeptum est, Commentarius in Psalmos. Praeterea auctor scriptum reliquit volumen de Epistolis pastoralibus, quod mox, ut spero, evulgari poterit.

Valkenburgo, d. 11. Maii 1912.

Franciscus ZORELL S. I

PROLEGOMENA.

De argumento epistolae ad Eph.

In duas partes communi quodam consensu epistolam dividunt 1,3-3,21 et 4,1-6,20. Integrum autem argumentum pariter comprehendi potest sententiis duabus : Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali (1,3) et digni ambuletis vocatione vestra (4,1). In his duabus sententiis et in ulteriore earum explicatione versatur tota epistola, cuius prior pars dogmatica vocari poterit (quatenus scil. per actionem gratiarum et petitiones dogmata commemorantur), et paraenetica altera.

Incipit epistola a laude Dei qui nos benedixit omni benedictione spirituali in Christo, cuius benedictionis excellentia inde iam commendatur, quia electio nostra et praedestinatio ad adoptionem filiorum facta est ab aeterno in laudem gloriae gratiae Dei; in tempore autem aeternum illud divini beneplaciti consilium Deus exsecutus (1,7) benedictionem spiritualem nobis dedit in redemptione et remissione peccatorum; in omni sapientia et prudentia, cuius culmen et fastigium nobis offertur in cognitione Christi (1,9.10), in quo iam heredes scripti sumus in laudem gloriae eius, et obsignati inhabitante Spiritu sancto qui est arrha hereditatis in laudem gloriae eius (1,14).

Cum hae benedictiones pariter illis contigerint ad quos epistolam scribit (1,13), hos respiciens convertitur apostolus ad gratias Deo agendas et ad petitiones pro eis fundendas (1,15), ut spiritu sapientiae illustrati cognoscant quae sit spes vocationis divinae et quae divitiae hereditatis sibi repositae (1,18). Huius autem spei et hereditatis excellentia et securitas iis proponitur colligenda et aestimanda ex supereminente magnitudine virtutis Dei et efficacia operationis eius, quae apparet in Christi resurrectione, exaltatione ad dexteram Patris, in eius universali dominatione super omnia, et ex eo quod ecclesiae datus sit ut summus fons omnium bonorum (1,19-22).

Primum igitur argumentum et firmissimum fundamentum spei eiusque spei magnitudinis habent in gloria et exaltatione Christi. Alterum argumentum iis ostendit apostolus ex iis quae Deus iam pro ipsis fecerit. Quod opus Dei in ipsis iam apparens quo melius expendant, apostolus eis

considerandum proponit statum miserrimum in quo olim erant (2,1-3), eique opponit fastigium quoddam honoris et dignitatis, ad quod pro Dei in eos caritate elevati sint simili quadam ostensione potentiae Dei; nam mortui qui erant, iam gratia Dei in Christo ad novam vitam et ad participationem donorum coelestium translati sunt, in se iam referentes similitudinem Christi (2,5.6). Quae omnia Deus operatur ad ostendendas divitias gratiae (2,7), unde pro magnitudine et certitudine spei (1,18) novum exoritur argumentum.

Eo usque exposita sunt quae Deus generatim pro fidelibus praestitit, ut ex illis cognoscatur sublimitas ac securitas spei (1,18). Iam eadem sublimitas ac securitas colligenda est ex iis quae speciali ratione pro gentibus erant efficienda; ad has enim, seu potius ad ethnico-christianos transfertur sermo (2,11). Exponitur quippe in hac parte quomodo per Christi redemptionem (sanguinem, crucem) ethnico-christiani omni discrimine inter gentes et Iudaeos ablato ad plenam dignitatem civium regni Dei assumpti sint, ita ut ipsi quoque cum Christo coniuncti coaedificentur in habitaculum Dei in spiritu; quare eadem excellentia et magnitudo spei etiam pro ipsis valet, quia eodem ordine sunt cum reliquis fidelibus (2,19-22). Simul autem ex iis quae speciatim pro gentibus acta sunt novum colligitur argumentum pro magnificentia et certitudine spei ipsis propositae.

Cum itaque Deus tanta iam praestiterit pro fidelibus — quanta haec sunt, illustratur quoque ex conditione pristina (2,2-4; 2,11-12) — revertitur apostolus ad petitionem illam, quam 1,17-18 inceperat 3,1; verum antequam ipsam petitionem pluribus exponat (3, 14 sq), ea inserit quibus et suum studium et vim petitionis ethnico-christianis quam maxime commendet. Exponit enim « vinctus pro vobis gentibus » magnum illud mysterium a saeculis absconditum, nunc demum revelatum de vocatione gentium et aequali cum populo electo dignitate (3,3-6), cuius mysterii annuntiatio, de qua coelestes principatus multiformem Dei sapientiam admirati laetantur, peculiari ratione apostolo concredita est, ut inexhaustas Christi divitias gentibus praedicans eas ad Deum adduceret (3,7-13). Huius itaque mysterii sublimis et apostolatus sibi commissi intime conscius reassumit magno animi affectu petitiones iam 1,17-19 breviter expositas; duo pro eis efflagitat, ut spiritu Dei roborati fide et caritate emineant (3,16-17), ut maximi aestiment universale Dei consilium et caritatem Christi incomprehensibilem (3,18.9), quam petitionem duplicem doxologia concludit (3,20-21).

Ita exposuit apostolus quae beneficia et quae spes illis essent exhibita, quomodo Deus revera omni benedictione coelesti benedixisset (1,3). Reliquum est, ut fideles ex sua parte hisce respondeant. Unde sequitur alterum illud : ut digne ambuletis vocatione (4,1). Monet, ut caritatem servent et unitatem; unum enim corpus constituunt, uno spiritu reguntur, eundem habent finem, ad quem iisdem subsidiis tendunt (4,2-6). Cui unitati spiritus minime obstat varietas donorum; imo ex hac ipsa diversitate tandem exsurgit illud corpus perfectum cuius caput est Christus.

Christus autem, qui est gratiarum distributor secundum psalmi verba, pro tota ecclesia munera et officia constituit apostolorum, prophetarum, doctorum et pastorum, quorum muneribus fideles instituantur ad sua quique officia et ad aedificationem corporis Christi (4,7-12), ut omnes adducantur ad unitatem fidei et cognitionis perfectam (4,13), scil. ut erepti a periculo et instabilitate errorum (4,14) et veram sectantes doctrinam crescant in caritate magisque uniantur cum Christo capite, ex quo omne incrementum et totius ecclesiae profectus unice dependet (4,15-16). Declaravit itaque apostolus, quae dona Christus dedisset (4,7-13) et in quem finem ea contulisset (4,14-16), qui finis continetur verbis illis : ut crescamus in illum per omnia qui est caput, Christus. Quomodo vero singuli crescere debeant, exponitur in subsequentibus et quidem primo ostenditur vita homine christiano digna ex oppositione ad vitam scelestam gentium : non iam vivant ut gentes (4,17-19), sed de Christo edocti vetere homine deposito novum induant (4,20-24); vetera abiiciant : mendacium, iram, furtum, colloquia mala, offensionem spiritus sancti Dei (4,25-30); assumant nova : caritatem fraternam, benignitatem, misericordiam; prompti sint ad condonandas offensiones imitantes Deum et Christum (4,31-5,2); longissime absint ab omni immunditia (5,3-5), caveant seductores (5,6-7); ut filii lucis ambulent ipsi et aliis quoque ex hac luce tribuant (5,8-14). Dein traduntur praecepta pro vita sociali : caute esse agendum (5,5-17); hilaritatem ac gaudium quaerendum non in vino, sed in laetitia, cuius auctor sit Spiritus sanctus, canticis spiritualibus (5,18-20). Tum praescribitur pro vita matrimoniali : uxores subditae sint viris; viros diligant uxores; utriusque praecepti ratio habetur in intima coniugum unione, imagine unionis Christi et ecclesiae (4,21-33). Porro transit apostolus ad reliquam familiam et praecepta dat filiis (6,2-3) et patribus (6,4) servis (6,5-8) et heris (6,9). Pro epilogo seu conclusione adhortatur omnes ad fortiter pugnandum, cuius pugnae arma subministrat (6,10-17); commendat perseverantiam in oratione; etiam pro apostolo orent pro profectu evangelii (6,18-20). Ad eos mittit Tychicum; bona illis adprecatur (6,21-23).

De occasione et fine epistolae.

Quae fuisset occasio epistolae scribendae, quis finis eius, nihil ab antiquis traditum est; totum ergo ex hac ipsa epistola colligatur oportet. Ei occasionem quidem apostolus satis clare indicare videtur 1,15; ipsi allati sunt nuntii boni de fide vera et de genuina dilectione illius ecclesiae, quibus impellitur ad Deo gratias persolvendas et ad supplicandum pro ipsis, ut spiritu sapientiae illuminati rite percipiant sublimitatem spei vocationis divinae et divitias gloriae hereditatis coelestis. Illis itaque neophytis apostolus ad consolationem et confortationem eorum exponere vult, qualia bona iam acceperint; declarat illa cum magna laude Dei et pro eis preces fundendo expandit coram ipsis insignia beneficia Dei et magnos illos quasi conatus quos Deus pro ipsorum salute fecerit. Ita suo

exemplo eos incitat ad Deo laudes persolvendas et ad magnam aestimationem et profundiorem intelligentiam vocationis suae et dispositionis mysterii divini circa salutem gentium. Singula autem ita proponit, ut ea quasi nota et ab omnibus agnita assumens illis utatur vel ad praeconia Dei annuntianda, ad divitias gratiae efferendas, ad Dei misericordiam et caritatem commendandam, vel ad sublimitatem conditionis neophytorum delineandam et ad extollendum Dei mysterium in vocatione gentium.

Unde apparet abesse omnem rationem polemicam. Nonnulli quidem suspicati sunt dissensionem innui inter Iudaeochristianos et neophytos ethnicos, vel indicari Iudaeochristianos neophytis negare voluisse parem dignitatem, vel epistolam in id tendere, ut perfecta efficiatur unio et coniunctio inter duas partes fidelium ex Iudaeis scil. et ex gentibus, vel tandem apostolum in altera parte agere contra morum quandam licentiam. Verumtamen haec non tamqam certa erunt asserenda. Nam nullibi effertur quidquam discriminis aut dissensionis inter Iudaeochristianos et neophytos; transit enim 1,13 apostolus a locutione universali ad neophytos ostendens eos eorundem bonorum esse participes, imo commemorat pro iis (quod antea non explicite proposuerat) obsignationem spiritus arrhae hereditatis; nullum effertur discrimen 2,1 seq; alloquitur apostolus quidem neophytos *et vos*, at statim eodem ordine pergit : v. 3 *in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus* et pergit : Deus dilexit *nos*, *nos convivificavit*, etc. ut ostenderet *super nos*, etc. Porro bene dispiciendum est, quo modo disserat apostolus 2,11 seq. Neque enim ibi sermo est de unione efficienda inter Iudaeochristianos et neophytos ethnicos; nullo verbulo tale quidpiam indicatur; sed tota disputatio in eo solo vertitur, quod qui erant olim gentes, vocati praeputium a Iudaeis, alieni a populo Dei et a promissionibus etc, iidem nunc facti sunt prope in sanguine Christi; Christus enim separationem illam inter Iudaeos et gentes abstulit, ut duos conderet in se in unum novum hominem, et ambo, qui olim Iudaei erant et ethnici, in uno Christo reconciliantur Deo et accessum habent in uno spiritu ad Patrem (2,1-18). Et quid neophyti inde colligere debent ? vult apostolus ut intime sibi conscii fiant v. 19 : *ergo* iam non estis hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei etc., ut itaque neophyti plane perspiciant veterem theocratiam esse abolitam, nihil iam reliquum esse ex praerogativis Iudaeorum, perfecte in eodem ordine dignitatis et salutis collocari omnes fideles in Christo. Unde patet de dissensione inter fideles nihil innui, talem dissensionem non tangi, quia tota oppositio versatur inter eos qui olim erant gentes et Iudaei; nunc autem lege sublata omnes efficiuntur per Christum nova creatura.

Neque quidquam indicatur de defectu quodam unionis inter fideles; nam pax annuntiata est iis qui olim erant longe et iis qui erant prope, ergo gentibus et Iudaeis; nunc autem ambo in uno Spiritu per Christum habent accessum ad Patrem; immerito itaque ex pace annuntiata gentibus et Iudaeis infertur pacis defectus inter fideles. Eodem modo dicendum est de alia opinione, quasi Iudaeochristiani neophytis parem ne-

garent dignitatem et participationem salutis. Nullum enim assignari potest verbum reprehensionis in Iudaeochristianos; uti neophyti gratia sunt salvati, ita nos quoque sumus Dei factura, creati in Christo Jesu (2,8-10) et magno animi affectu praedicat apostolus sibi indigno commissam esse annuntiationem magni mysterii Dei de salute universali et de perfecta aequalitate gentium in negotio salutis cum Iudaeis; exsultat de hac gratia sibi data, laetatur quod inexhaustas divitias Christi evangelizare sibi liceat gentibus; effert quomodo per evangelium gentibus allatum ipsis angelis innotescat multiformis sapientia Dei. Inde occasionem capit neophytos exhortandi ad firmam fiduciam et constantiam, ad preces pro eis fundendas, ut maximi aestiment universale Dei consilium et caritatem Christi incomprehensibilem, et insigni doxologia Dei laudes et gratias dicit (3,13-21). Iterum sole clarius est, per totam hanc epistolae partem ne verbum quidem legi *polemicum*, neque quidquam innui quod reprehendat in Iudaeochristianis, quos ne nominat quidem.

In 4,7-16 sermo fit de diversitate donorum et de uno corpore quod constituunt et de uno fine ad quem omnes tendunt; sermo est de unitate fidei et cognitionis, de incremento capiendo in aedificatione corporis Christi, de ablato periculo instabilitatis et errorum, de maiore coniunctione cum Christo efficienda, et denique de habitudine et efficientia capitis in corpus eiusque augmentum. Vides hic quoque ne minimam quidem cerni posse allusionem ad differentiam seu controversiam quae exsistat inter fideles.

Haec omnia recte dicuntur, quatenus de aperta dissensione sermo esse nequit. Nihilominus potest manere quaestio, cur aequalitatem ethnico-christianorum cum Iudaeochristianis (quos quidem non nominat) adeo efferat 2,11-21 et praesertim cur ethnico-christianos admonere et incitare videatur, ut suae dignitatis et perfectae aequalitatis sibi fiant conscii. Ad hoc enim aperte spectat 2,13. 15. 16. 18. 19 ergo iam non estis etc. et v. 22 in quo et vos coaedificamini. Istis quidem optime demonstrantur beneficia collata et firmum adstruitur fundamentum, « ut sciatis quae sit spes vocationis » et pariter validae exponuntur rationes, cur apostolus « huius rei gratia flectat genua » 3,1. 14. Attamen manet quaestio, annon praeterea indirecte quidquam subsit, quod apostolus etiam efficere velit. Satis superque constat ex praeiudicatis Iudaeorum opinionibus quam aegre illi tulerint, quod gentes sine lege mosaica, sine circumcisione, *pares* in regno Dei habeantur; id quod vaticiniis de regno Dei contradicere videbatur; cf. Is. 14,2; 49,23; 60,10; 61,5 etc. Ex tali Iudaeorum sententia, quae Iudaeis quoque conversis familiaris erat, facile apud neophytos oriri poterat sensus quidam seu opinio se in secundo quodam ordine poni et a Iudaeis negligi, non aestimari pares. Huic sensui seu opinioni remedium affert apostolus, qui aperte quam maxime iis in locis ob oculos habet, ut animos neophytorum erigat et ampla declaratione doctrinae illis parem quam habent dignitatem iterum iterumque directe exponat.

Eodem modo fere necessario oritur quaestio, cur apostolus, inceptum

sermonis tramitem interrumpens, 3,2-13 adeo graviter affirmet, quod aliis generationibus non fuerit agnitum, nunc esse apostolis et prophetis in spiritu revelatum, gentes esse coheredes, σύσσωμα, comparticipes promissionum messianarum et sibi munus esse commissum revelatione divina gentibus evangelizandi divitias ininvestigabiles Christi. Etiam hic erit respondendum apostolum obiectiones et accusationes Iudaeorum et partim quoque dubia seu haesitationem, aversionem Iudaizantium indirecte tangere. Nam considera prophetarum effata : possidebit domus Israel populos in servos et ancillas, reges pulverem pedum tuorum lingent, reges ministrabunt tibi, alieni pascent pecora tua (l. c.) et vide Am. 9,12, Mich. 5, 7. 8; 7, 16; Soph. 3,20; Agg. 2,8 (secundum textum hebr) etc. Nonne istis oraculis conditio inferior, servilis assignari videtur gentibus in regno Dei futuro ? Israel iam olim appellatus est filius Dei primogenitus (Ex. 4,22); et quomodo Iudaei asiani qui crediderunt suis inhaeserint privilegiis, aemulatores legis, apparet Act. 21, 21. Proin erat valde opportunum etiam pro eiusmodi fidelibus, quod apostolus cap. 2 et 3 tam clare rem exponebat.

In altera epistolae parte indolem vitae christianae apostolus exponit, monens ut iam non vitam agant, sicut gentes, ut novum hominem induant vetere homine abiecto. Quae praecipit et commendat ea sunt quae omnibus neophytis in medio nationis perversae viventibus proponi debeant. Nullibi indicat neophytos peculiari quodam vitio laborare, aut quandam morum licentiam appetere, aut Iudaeochristianis esse offensioni ob vivendi modum liberiorem. Quae praescribit pro vita sociali, matrimoniali, pro vita familiae (pro filiis, patribus, servis, heris), simpliciter exhibentur tamquam ea quae praestanda esse ab omnibus clare perspiciatur, neque singularis quidam abusus aut defectus ullo modo reprehenditur. Denique eos animat ut fortiter obsistant insidiis diaboli, ad quam pugnam eis armaturam Dei describit. Frustra itaque aliqui quaerunt in monitis apostoli vituperationem licentiae, antinomismi, scandali piis Iudaeis dati — nullo verbo talia innuuntur; ergo gratis fingitur monitis ac praeceptis prolatis necessario supponi eiusmodi grassari vitia, quae tamen ipso modo loquendi non reprehendantur. Quae apostolus de istis neophytis audierit, declarat 1,15 : audivit fidem eorum et dilectionem in omnes sanctos; de peculiaribus eorum conditionibus nihil in epistola indicatur.

Originem itaque epistolae unice referemus ad apostolicam sollicitudinem et curam de qua animi sui sensus pandit eo tempore quo hanc epistolam scripsit, scil. Col. 2, 1-3; scit enim se esse debitorem omnium, ideoque occasione itineris Tychici (6,21) etiam illis neophytis χάρισμα πνευματικόν impertiri vult (Rom. 1,11), ut animi eorum consolatione confortentur et ut Dei in ipsos collata beneficia rite cognoscant et summo in pretio habeant. Et tale χάρισμα profecto est magnifica expositio sententiae : Deus benedixit nos omni benedictione coelesti, quae 1,-4,16 in hac epistola legitur.

Ad quos epistola directa sit.

Ab exeunte saeculo secundo communis est sententia epistolam esse ad Ephesios scriptam (cf. *Cornely*, Introd. 2 ed. n. 160). Nihilominus rationes sunt et externae et internae quibus hanc sententiam non admitti posse vehementer suadetur.

Nam veterum testimoniis pariter constat 1,1 illud ἐν Ἐφέσῳ in antiquissimis exemplaribus non esse lectum. Audiatur *Origenes* qualiter de textu 1,1 disserat : ἐπὶ μόνων Ἐφεσίων εὕρομεν κείμενον τὸ τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν et conatur explicare, quomodo appellari possint οἱ ὄντες, scil. utpote μετέχοντες τοῦ ὄντος (Ex. 3,14) γίνονται ὄντες. Et cum dicat talem locutionem solum reperiri ἐπὶ μόνων Ἐφεσίων, certum est eum non legisse 1,1 ἐν Ἐφέσῳ, idque ab eo indicari ratione habita Rom. 1,7 τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ ἀγαπητοῖς, 2 Cor. 1.1 τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ, Phil. 1,1. Accedit testis alius *S. Basilius* (c. Eunom. 2,19) qui explicite affirmat textum τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ et ab antiquis ita esse traditum et se in antiquis exemplaribus ita invenisse; οὕτω γὰρ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασιν καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν. Atque revera duo antiquissimi codices ℵ, B et qui codicem minusculum 67 correxit, verba illa omittunt. Etiam tempore Hieronymi codices exstitisse sine verbis illis videtur indicari, cum scribat : « alii simpliciter non ad eos qui sint, sed qui Ephesi sancti et fideles sint, scriptum arbitrantur » (Com. in Eph. 1,1); cum enim dicat : *scriptum* arbitrantur, duplicem lectionem videtur supponere. Etiam in commentario *Ambrst* deest Ephesi; nam legitur : « non solum fidelibus scribit, sed et sanctis; ut tunc vere fideles sint, si fuerint sancti in Christo Iesu ».

Porro Marcion habuit in suo canone hanc epistolam, sed tamquam epistolam, ad Laodicenses praescriptam. Id patet testimonio Tertulliani et Epiphanii; et ille quidem scribit (c. Marc. 5,11-17, *M* 2,500-542) ultimo loco : ecclesiae quidem veritate epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion eï et titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator. « Nihil autem de titulis interest, cum ad omnes apostolus scripserit, dum ad quosdam ». Loquitur de titulo, et in loco priore : « praetereo hic et de alia epistola, quam nos ad Ephesios praescriptam habemus, haeretici vero ad Laodicenos ». Et Epiphanius testatur Marcionem in suum apostolicum transtulisse καὶ τῆς καλουμένης πρὸς Λαοδικέας et recitat textum Eph. 4,5-6 *M.* 41,812. De testimonio Tertulliani quaeritur quomodo intelligendum sit. Plerumque ita intelligitur, ut nec Marcion nec Tertullianus censeatur 1,1 ἐν Ἐφέσῳ legisse. Nam arguunt : si Tertullianus in ipso textu epistolae legisset ἐν Ἐφέσῳ, et Marcionem corrupti textus accusasset et ad ipsa Pauli verba provocasset; nunc autem bis solum affirmat : *ecclesiae* veritate epistolam habemus emissam ad Ephesios — *nos* ad Ephesios *praescriptam* habemus; et si ipse titulus ex textu Pauli 1,1 habuisset testimonium irrefragabile, non scripisset : nihil autem de titulis interest.

Haec tamen argumentatio non omni ex parte firma est. Nam primo hodie satis exploratum est Marcionem tum solum id quod traditum est mutasse, si eius doctrinae non congrueret; si ergo epistolam vocat epistolam ad Laodicenos, supponendum est, epistolam hoc nomine traditam eum accepisse. Neque enim ulla ratio fingi potest, cur ob praeconceptam sententiam dogmaticam vel finxisset nomen (si epistola sine nomine esset tradita) vel Ephesios mutasset in Laodicenos. Sed monent Marcionem diligentissimum vocari exploratorem. Verum haud immerito nuper *Harnack* negavit a Tertulliano laudari Marcionem de investigatione critica attentata, id potius dici irrisionis gratia contra haereticum qui praetendat rem melius scire; insuper de tali quadam critica exploratione vel investigatione historica (in re nullatenus ad dogma pertinente) apud Marcionem nullum reperiri vestigium. Porro monet *Harnack*, ut advertatur, Tertullianum non scripsisse: Marcion titulum mutavit, sed titulum *interpolavit;* eo iam reddi probabile eum ob oculos habuisse v. 1 epistolae. Id autem probari censet iis quae leguntur c. Marc. 5,5 (*M.* 2,480) : « praestructio superioris epistolae (transitum indicat ab ep. ad Galatas apud Marcionem ad primam ad Cor.) ita duxit, ut de *titulo* eius non retractaverim, certus et alibi retractari eum posse, *communem scilicet et eundem in epistulis omnibus,* quod non utique salutem praescribit eis, quibus scribit, *sed gratiam et pacem* ». En quid Tertullianus intelligit nomine tituli. Ergo concludit *Harnack*, Marcionem revera reperisse scriptum : Παῦλος... τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Λαοδικείᾳ, et eo modo verba fuisse tradita (vide Die Adresse des Epheserbriefes des Paulus von Adolf Harnack. Sitzungsberichte der k. preussischen Academie der Wissenschaften (phil. hist. Klasse) 21. Juli 1910; XXXVII, 696-709).

Hisce testimoniis seu rationibus externis accedit confirmatio ac robur minime spernendum ex rationibus internis, quae ex ipsa epistola petuntur. Apostolus quippe ipsam ecclesiam ephesiam fundavit. Iam initio secundae suae expeditionis apostolicae Ephesiis evangelium afferre proposuerat; at tunc quidem prohibitus a Spiritu sancto, ne verbum Dei in Asia (provincia) loqueretur (Act. 16,6), antea ecclesias macedonicas et achaicas condidit, sed in eiusdem expeditionis fine cum Aquila et Priscilla Corintho profectus Ephesum appulit ibique synagogam ingressus Iudaeis ephesiis primum evangelium annuntiavit (Act. 18,18 sq.). A quibus ut remaneret rogatus se mox esse reversurum promisit, et iter suum palaestinense continuans Aquilam et Priscillam interea Ephesi reliquit, ut tamquam adiutores sui campum quodam modo praepararent. Et paucis mensibus postea apostolus in tertio suo itinere peragratis Asiae minoris provinciis Ephesum reversus toto fere triennio ibi consedit (ab aestate 53 usque ad ver 56); ab initio per tres menses in synagoga docebat, sed Iudaeis viam Domini maledicentibus coram multitudine, segregavit discipulos et disputabat in schola Tyranni cuiusdam. Labori autem fructus respondebat isque uberrimus tum in ipsa urbe, tum in universa provincia; multis etiam magnisque miraculis Deus confirmavit Pauli praedicationem (Act. 19,1-20). Et qualis fuerit evangelii profectus, optime ostendit querela Demetrii argentarii : magnae Dianae templum in nihi-

lum reputabitur (Act. 19,27). Quomodo autem apostolus laboraverit Ephesi, ipse optime exponit Act. 20,18-21 et quantas sustinuerit ibi difficultates et insidias et ibi non tacet et iterum pluribus commemorat 1 Cor. 15,32 et 2 Cor. 1,8-9.

Cum itaque apostolus ecclesiam ephesiam fundasset, fere per triennium ibi magno cum fructu et magnis in tribulationibus laborasset, nemo non mirabitur in epistola Ephesiis inscripta ne minimam quidem allusionem reperiri ad tam longam inter Ephesios habitationem et ad varias illas tribulationes. Quot apostolus salutat in epistola ad Romanos scripta, apud quos nondum fuit; apud Ephesios ne unus quidem salutatur; post triennium commorationis neminem cognoscere, nullius recordari videtur. Dum apostolus scribit epistolam Ephesiis, cum eo est Timotheus, optime notus Ephesiis, qui quidem ab apostolo in aliis epistolis nominatur (ad Thess. 1,2; 2 Cor. Phil. Col. Philm), neque tamen in hac epistola. Apud Ephesios fere per triennium commoratus est; iam difficillime intelligitur vel potius plane nequit intelligi, quomodo ad Ephesios scribere potuisset, quae leguntur 3,2 sq. ubi ad eos scribit qui forte nunquam de eius apostolatu quidquam *audierunt* et quos ad ipsam hanc epistolam remittit, ut discant qualem habeat intelligentiam mysterii Christi, « sicut supra scripsi in brevi, prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi »; etiam 1,15 ita loquitur ut per alios tantum ecclesiam illam cognovisse videatur. Certe non opus erat Ephesiis tam explicite exponere vocationem gentium et suum apostolatum ad gentes. Ceterum totum argumentum epistolae ita est generale sine ulla ad peculiares conditiones applicatione, ut appareat apostolo de hac ecclesia nihil innotuisse nisi unum illud quod audierat 1,15.

Quare recentiores merito censent hanc epistolam non esse ad Ephesios scriptam. Plerisque placet sententia de epistola quadam circulari, quae tandem Ephesi, in metropoli provinciae, fuerit deposita et inde nomen et titulum acceperit. Addunt aliqui coniecturam de lacuna in 1,1 τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι.... quae alio et alio nomine esset explenda, si exemplaria pro variis ecclesiis conficerentur. Verum haec opinio male congruit ad 1,15: « propterea et ego audiens fidem vestram et dilectionem in omnes sanctos ». Haec apte dicuntur et per se intelliguntur de una quadam determinata ecclesia; in epistola circulari ad plures ecclesias apostolo ignotas talia satis inepte scriberentur. Quare potius puto, ex 1,15 colligendum esse epistolam ad unam determinatam ecclesiam destinari, et valde dubito num τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ rite explicari possit, epistolam scribi fidelibus Asiae minoris, prout Ephesum convenirent; considerari urbem Ephesiam tamquam centrum commercii; quare epistolam non ad Ephesios solos dirigi, sed ad eos quoque quorum metropolis sit urbs Ephesia. At si tale quid apostolus voluisset, scripsisset similiter uti 2 Cor. 1,1: ecclesiae Dei quae est Corinthi cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia.

Certum tamen indicium huius epistolae a recentioribus quoque merito deprehenditur in eo quod apostolus scribit Colossensibus, scil. ut Colossenses suam epistolam mittant Laodicensibus, ipsi autem legant τὴν ἐκ

Λαοδικείας epistolam ex Laodicea i. e. ipsam hanc nostram epistolam, quam Tychicus simul cum epistolis ad Col. et Philm ab apostolo accepit et prius dedit Laodicensibus, ad quorum urbem primum pervenit in itinere suo Colossensi (Eph. 6,21. Col. 4,7). Dicitur autem epistola ἡ ἐκ Λαοδικείας attractione quadam praepositionis, scil. quae epistola sit Laodiceae et ex ea urbe veniat ad Colossenses; de qua attractione vide *Blass* § 76,4 (τὴν ἐκ Λαοδικείας den dort befindlichen) et eodem modo *Haupt*, *Harnack* quoque explicant. Haec acceptio verbis plane congruit (cf. Luc. 11,13. Matth. 24,17); quare ex hoc loquendi modo non sequitur τὴν ἐκ Λαοδικείας esse epistolam circularem quae Colossensibus ab apostolo significetur tamquam ex Laodicea ad eos perventura. Tali explicatione simplex formula nimis oneratur: epistola communis, quae ad vos ex Laodicea perventura sit! si talem epistolam scripsit apostolus, num etiam designavit, qua via ad singulas ecclesias afferenda esset? uti nunc se scire ostendit, illam ex Laodicea perventuram esse ad Colossenses? Videtur itaque satis probabile τὴν ἐκ Λαοδικείας esse revera epistolam ad Laodicenses, et intelligi nostram ad Ephesios praescriptam.

Sed quid opinandum in sententia plerumque proposita nec Marcionem nec Tertullianum 1,1 certum legisse nomen? Itane apostolus misit epistolam ad determinatam ecclesiam (1,15) sine ulla designatione quibus mitteret? in ceteris epistolis (exceptis illa ad Hebr. et 1 Ioan.) legitur clara designatio, quae solum in duabus epistolis valde generalis est, scil. 2 Petr: iis qui coaequalem nobiscum sortiti fidem, et Iud.: his qui sunt in Deo Patre dilectis. Similem fuisse textum nostrae epistolae coniecit *Ewald* (Briefe Eph. Col. Philm 1903, p. 16): τοῖς ἀγαπητοῖς οὖσιν καὶ πιστοῖς, qui textus charta laesa mancus sit effectus et ad normam Col. 1,2 et Phil. 1,1 prius suppletus in formam τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν, postea auctus addito ἐν Ἐφέσῳ. Quomodo factum sit, ut de Epheso urbe mentio ingereretur, in ea sententia vix explicabitur, praesertim cum iam Theodorus mops. difficultatem huius epistolae Ephesiis destinatae sensisse censendus sit, quam sibi modo satis miro solvit scribens Παῦλος δὲ οὐδὲ τεθεαμένος αὐτοὺς ἐπιστέλλων φαίνεται, Paulus vero hanc epistolam scripsit ad eos illo tempore quod adhuc non viderat eos (*Swete*, Theod. mops. Commentarii I p. 116).

Si autem ad Laodicenses erat directa epistola, quomodo inscriptione deleta Ephesiis inscripta est? Opinionem non improbabilem nuperrime proposuit *Harnack*, ob vituperia illa Apoc. 3,14-19 angelo ecclesiae Laodiciae data nomen esse deletum, lacunam exortam et demum aliud nomen honorificum substitutum (l. c. p. 708). Sed ipse fatetur responsionem cui plane acquiesci possit, cur nomen Ephesi sit selectum, dari non posse; sed eandem occurrere difficultatem in quavis alia hypothesi. Aliam enuntiavit coniecturam *Deissmann*, epistolas ad Col. Philm. Laodic. (i.e. Eph.) esse scriptas in captivitate *ephesina* (Licht von Osten, 1908, p. 165). Hac hypothesi epistola Ephesi scripta evasisset decursu temporis epistola ad Ephesios?

De origine paulina epistolae ad Eph.

Testimonia antiquitatis, indirecta et directa, pro genuinitate huius epistolae omnino abundant. Primus quasi testis pro nostra epistola nobis exhibetur iam in *prima Petri epistola*. Si enim Eph. 1,20.21 cum 1 Petr. 3,22, aut Eph. 2,18-22 cum 1 Petr. 2,4-6 comparaveris, facile deprehendes non tantum similes cogitationes utrimque exprimi, sed in eis exprimendis Petrum a Paulo dependere (vide *Cornely*, Introd. spec. in N. T. ed. 2 p. 626 sq.); plane similia etiam praecepta utriusque sunt Eph. 5,22; 6,4 cum 1 Petr. 3,1; 2,18 etc. Porro *S. Clemens* romanus in 1 Cor. 46 omnino ob oculos habuisse videtur Eph. 4,4; scribit enim: « nonne unum Deum habemus et unum Christum et unum Spiritum gratiae super nos effusum et una est vocatio in Christo »? *Ignatius*, s. martyr, ad hanc epistolam merito dicitur respexisse, ubi maritos admonet, ut diligant uxores suas, sicut Dominus ecclesiam, vel ubi fidelium arma enumerat, vel ecclesiam ephesiam vocat benedictam magnitudine Patris et plenitudine, praedestinatam ante saecula etc. (ad Polyc. c. 5. 6: Eph. 5,25 et 6,11; ad Magn. 7, 1-2; Eph. 4, 3.4). Porro *S. Polycarpus*, ep. ad Phil. ait eos scire « se gratis esse salvatos, non ex operibus sed voluntate Dei per Iesum Christum » (cf. Eph. 2, 8. 9). Pariter in *Doctrina duodecim apostolorum* 4,11 verbis nostrae epistolae mutua servorum dominorumque officia commendantur. Item *S. Justinus* martyr epistolam hanc cognitam habuit et aliquoties ad eam allusit (cf. c. Tryph. 39. 87. 120 etc. Eph. 4,7 sq.; 1,21). Etiam haeretici saeculi 2 plerique eam pro apostolica et divina auctoritate adhibuerunt; imo ex illis iam habemus testimonia directa de origine paulina. *Marcion* in suo canone eam habet inter paulinas; *Valentinus* deinde eiusque sectatores sententias ex ea desumptas allegarunt tamquam verba Pauli (Eph. 1,10; 3,21; 5,32; cf. Iren. c. haer. I, 3, 1. 3; 8, 4) vel apostoli (Eph. 3, 9. 10 cf. Philosoph. 6,35), vel scripturae (Eph. 3, 14. 16; cf. Philosoph. 6,34); item *Basilides* formula consueta γέγραπται verba quaedam Eph. 3, 3, 5 affert (cf. Philosoph. 7,26); neque minus *Naasseni* placita sua ex ea stabilire conati sunt (Eph. 2,17; 3,15; 5,14; cf. Philos. 5, 7. 8); quanti autem *Theodotus* cum suis eam fecerit, discere poteris ex excerptis quae Clemens alex. ex eius operibus conservavit (Excerpta Theod. 19. 48. 85 etc.. Quos locos vide *M.* 7, 468. 473. 532; 16, 3130. 3138. 3146. 3247. 3315; et 9,668. 681. 697.

Testimonia directa quibus Paulus epistolae auctor designatur praebent *auctor fragmenti muratoriani* (cf. *Cornely*, Introd. gener. ed. 2 p. 184), *Irenaeus* (c. haer. 5, 2. 3; 14,3 καθὼς ὁ μακάριος Παῦλός φησιν ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους ἐπιστολῇ, *M.* 7, 1126; similiter 1163); ab eo tempore communis exsistit omnium consensus sine ulla contradictione aut controversia de origine paulina; testimonia directa praebent *Origenes*, *Tertullianus*, *Basilius*, *Clemens alex.* etc.

Eius origo paulina impugnata est solum ex rationibus internis, ex

diversitate quae affirmabatur et sententiarum et generis dicendi. Verum prima ratio interna quae hic perpendenda est, est nexus ille intimus inter epistolam ad Philemonem et epistolam ad Colossenses et nexus inter Col. et Eph. — Prior nexus satis in aperto est positus et a nullo negatur; nominantur in utraque epistola iidem et eadem conditio effertur: Paulus vinctus, Archippus Colossensis (Col. 4,47; Philm. 1,1), Onesimus Colossensis, christianus qui mittitur Colossas (Col. 4,9), de quo narratur in ep. Philm. conversio et causa cur mittatur ab apostolo domum; in utraque epistola apud apostolum vinctum commorantur Epaphras, Marcus, Aristarchus, Lucas, Demas (Philm. v. 23. Col. 1,7; 4.10.12.14); Marcus consobrinus Barnabae, Lucas medicus carissimus (Col. 4,10.14) — talia iam per se veritatem historicam proclamant.

Magnam autem intercedere affinitatem et similitudinem inter Col. et Eph. simul cum notabili quadam diversitate, pariter agnitum est. Si idem Paulus fere eodem tempore utramque scripsit epistolam, facile declaratur et similitudo et diversitas. Ipse Haupt fatetur longe probabilius esse unum eundemque epistolam scripsisse (p. 70); insuper accurata exploratione sententiarum tantam reperiri affinitatem cum peculiari modo et indole Pauli, quae sola imitatione nequeat attingi aut apud duos pari ratione nullatenus possit inveniri (p. 82). Breviorem quandam epistolam paulinam ad Col. etiam *Holtzman* (Kritik der Eph. Col. Briefe 1872; Einleitung 3. ed.) admisit; ex qua alius quidam composuerit epistolam ad Eph.; dein eundem illum ex sua epistola ad Eph. breviorem illam ad Col. ad iustam magnitudinem canonicae epistolae ad Col. adduxisse — quae tamen coacta hypothesis paucos habuit laudatores. Alii totam quidem epistolam vel fere totam (parva interpolatione dempta, *von Soden*) Paulo relinquunt, at epistolam ad Eph. ad unum aliquem discipulum Pauli referunt, qui epistolam partim ex fragmentis epistolae ad Col. aliarumque paulinarum partim ex suis ipsius sententiis composuerit et sub ementito nomine Pauli ediderit, ut ecclesias ethnicochristianas in fide a Paulo tradita confirmaret et a perversionis periculo ex parte Iudaeochristianorum efficaciter tueretur (cf. *Klöpper*, Brief an d. Eph. 1891), vel exeunte saeculo primo quendam Iudaeochristianum in diaspora degentem sibi epistolam ad Col. imitandam proposuisse, ut Pauli auctoritate et nomine ethnico-christianos cum fratribus suis circumcisis arctius coniungeret (*v. Soden*, cf. Holtzm. Handkommentar z. N. T. II, 1). Contra quos tamen *Jülicher* declarat esse explicationem simplicissimam assumere, *unum* scripsisse duas illas epistolas cognatas (Einl. 1894 p. 97; cf. *Ewald* l. c. p. 27); et genuinitatem epistolae ad Eph. etiam agnoverunt *Beyschlag*, *Harnack* (Chronol. 1,239; cf. *Haupt* p. 52), quamvis fateantur rem non carere difficultatibus.

Ad utriusque epistolae indolem rite discernendam, haec sunt praeprimis advertenda: similitudines, quas multas adesse omnes fatentur, potissimum reperiuntur in locutionibus et dicendi formulis; sed argumentis dogmaticis, quae praecipuam earum partem constituunt, et argumentandi ratione epistolae satis inter se differunt. Nam in Eph. apostolus beneficia gentibus per Christum allata ac praesertim iura quae nunc in ecclesia cum

Iudaeis omnino paria atque eadem habent, per modum gratiarum actionis et precationis commendat, Colossensibus vero singularem Christi redemptoris dignitatem, pseudodoctorum erroribus refutatis, polemice ita demonstrat, ut per solum Iesum Christum Dei Filium, per quem omnia condita sint, omnes quoque Deo reconciliari ostendat. Iam vero argumentum de universalitate unitateque ecclesiae, in qua Iudaei et gentiles, utpote in Christo uniti, iisdem iuribus fruantur, in epistola Col. ne semel quidem attingitur, et in Eph. doctrina de singulari Christi dignitate bis tantum quasi in transitu breviter perstringitur (1,10-21), omnis autem polemica ratio ab Eph. tam aliena est, ut ex cap. 2 Col. quod universum in contentione cum pseudodoctoribus versatur, paucae solum locutiones, eaeque diverso in nexu diversumque in finem in Eph. adhibitae reperiantur (cf. Col. 2,12-14 et Eph. 2,5-11-15).

In paraenesi vel potius in altera illius sectione, quae mutua domesticorum officia complectitur (Eph. 5,22-6,9 et Col. 3,18-4,1) argumenti quoque magna deprehenditur similitudo, quatenus eadem eodem ordine praecipiuntur. Attamen consideretur oportet, praecepta quidem consonare (neque enim alia in Eph. alia in Col. praecipi poterant), eorum autem formam esse diversam. Neque dici potest praecepta Col. data in Eph. verbose esse amplificata, aut praecepta in Eph. data in summarium quoddam ieiunum in Col. esse contracta; nam quis unquam legem de mutuo coniugum amore cum sublimi expositione de vera matrimonii christiani ratione ac significatione (Eph. 5,22-33) nihil esse dixerit nisi verbosam amplificationem nudi praecepti quod Col. 3,18-19 legitur? aut praeceptum servis in Col. datum (Col. 3,22-4,1) pro summario praecepti Eph. 6,5-8 habuerit? Similitudo autem haec seu affinitas duarum epistolarum commode explicatur ita, ut dicamus (quod aliunde quoque constat — cf. Eph. 6,21 et Col. 4,7 de Tychico) apostolum eodem fere tempore utramque exarasse. Quae in priore scripserat, menti eius adhuc obversabantur, at cum aliis scriberet et alio quoque fine, etiam eaedem doctrinae alio modo erant proponendae.

Et merito provocant recentiores ad ipsam experientiam. Nam quoties quis duas scribit epistolas circa idem tempus de argumento cognato, inveniet modo se repetere quasdam locutiones eodem ordine, modo collocatione verborum paulum mutata, modo inserta nova quadam cogitatione modo verbis non iisdem sed similibus, brevius vel fusius, se de materia cognata disserere ita, ut fragmenta varia ex priore epistola usurpasse videatur.

Eo modo rem concipiunt, ut aliquos nominem, *Reuss* (Geschichte des N. T. ed. 6 1887, p. 11), *Weiss* (Einleitung, ed. 2 p. 269), qui recte « affinitatem duarum epistolarum ullo modo explicari posse negat, nisi eodem tempore ab eodem auctore scriptae concedantur »; *Godet* (Introd. I p. 578), *Wohlenberg* (Strack-Zöckler, Komm. z. N. T. IV, 1 p. 7), *Zahn* (Einl. ed. 3 I p. 356), *Hort* (Proleg. p. 165), *Abbott* (Critical and ex. Commentary on Eph. Col. p. XXI, ubi provocat ad *Paley*, Horae Paulinae).

Non desunt, qui in sententiis epistolam discrepare censeant ab epistolis Pauli genuinis. Ita contendit *von Soden* de Iudaismo aliud ferri iudicium Eph. 2,11 atque in paulinis. Dicitur Eph. 2,11 ἡ λεγομένη περιτομή, qua dictione utique indicatur circumcisionem per se nihil valere ad pietatem et salutem. At nonne idem quoque enuntiatur Rom. 2,25 et Gal. 5,6? In Eph. 2,12 gentes dici ἄθεοι, at 1 Cor. 8,5 : sunt dii multi. Verum videtur tamen evidens esse, gentes eo nomine vocari, quia verum Deum non agnoscunt; cf. Rom. 1,23. Distingui Gal. 2,14 Iudaeos a gentilibus : nos natura Iudaei, et non ex gentibus peccatores ; at Eph. 2,3 exhiberi Iudaeos simul cum gentibus : eramus natura filii irae, sicut et ceteri. Sed expende, quae Rom. 2.3 dicuntur de Iudaeis irae Dei subiectis, omnes et Iudaeos et Graecos esse sub peccato ; neque quis dixerit esse contradictionem inter Gal. 2,14 et Rom. 2,3; proin neque Eph. 2,3 doctrinae paulinae ullo modo adversatur. Immerito quoque asseritur, unionem inter Iudaeos et gentiles Eph. 2,13 seq. exhiberi modo plane singulari et discrepare ab indole Pauli. Nam quod legitur Gal. 3,28 : non est Iudaeus neque Graecus..., omnes enim vos unum (εἷς unus) estis in Christo, sensu nullo modo differt, insuper nullibi apostolus agnoscit in re religiosa discrimen inter Iudaeos et gentiles. Explicatius quidem Eph. 2,13 sq. declarat hanc unionem esse opus sanguinis (mortis) Christi : facti estis prope in sanguine Christi ; at nonne idem tandem exprimitur Gal. 3,13-14 cum dicatur : Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, secundum illud : maledictus omnis qui pendet in ligno, et hoc factum est, « ut in gentibus εἰς τὰ ἔθνη benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu » ? Immerito quoque affirmatur Christum « historicum » obscurari, negligi et fere disparere. Verum mentio fit, nos habere redemptionem per sanguinem eius Eph. 1,7; Christum esse suscitatum a mortuis 1,20; cf. 2,6.13.16.17 : veniens evangelizavit pacem ; et sanguinis et crucis eius memoria revocatur. Neque iure opponitur ecclesiam in Eph. iam adhiberi notione plane generali et quasi abstracta, dum in paulinis usurpetur pro coetu particulari. At etiam in paulinis usurpatur modo universali; nam eo sensu certo dicitur : et quosdam posuit Deus in ecclesia apostolos, prophetas, doctores, etc. 1 Cor. 12,28 ; neque aliter, si monentur fideles, ne sint offensioni Iudaeis, gentibus, ecclesiae Dei 1 Cor. 10,32; similiter apostolus dicit se persecutum esse ecclesiam Dei 1 Cor. 15,9; cf. 11,16 nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei ; cf. Gal. 1,13. Neque dici potest quasi novum induci ecclesiam esse corpus Christi. Nam Rom. 12,5 iam legimus : multi unum corpus sumus in Christo et 1 Cor. 12, 27 : vos autem estis corpus Christi, et 1 Cor. 12,12.13 in unum corpus baptizati sumus, scil. in corpus Christi — Christum dein esse caput huius corporis facili consequentia sequitur.

Doctrinis epistolae consideratis fatetur *Haupt*, sermonem non posse esse de contradictionibus veris cum doctrinis Pauli; nihilominus reperiri expressiones quasdam et locutionum formas sententiasque quae merito iniiciant dubitationes accuratius rem consideranti. Cuiusmodi haberi Eph. 2,20, fideles esse superaedificatos super fundamentum apo-

stolorum et prophetarum, summo angulari lapide Christo. At 1 Cor. 3,10 ipse apostolus dicit : ut sapiens architectus fundamentum posui i. e. vos docui; unde fideles esse edoctos ab apostolis et prophetis et hos esse quasi fundamentum aedificii spiritualis, sententia est minime a mente Pauli aliena; et si 1 Cor. 3,11 Christus dicitur fundamentum, certe simillima metaphora et sensu eodem vocari etiam potest lapis angularis. Ceterum ingenium tale, quale in Pauli epistolis apparet, non iciunum, sed maxime fertile, etiam variis metaphoris et dicendi figuris eandem exornare et describere materiam potest et id quidem insigni modo. Mirum sane est, quod *Haupt* miratur de loco 3,5 τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις omnes fideles dicuntur ἅγιοι, i. e. Deo consecrati; cur non etiam apostoli? qui speciali ratione ex mundo electi et Deo consecrati sunt ad ministerium Dei peragendum; illis itaque singulari modo debetur iste titulus, et si sacerdotes veteris foederis vocantur sancti, potiore iure apostoli hanc appellationem sibi vindicant.

De discrimine generis dicendi, quod contra originem paulinam in medium proferri solet, iam *Erasmus* monuit, nulla alia in epistola sermonem hyperbatis, anapodotis aliisque incommoditatibus molestiorem esse stilumque tantopere dissonare a ceteris paulinis, ut alterius videri possit; at simul quoque addit, pectore et indole paulinae mentis eam prorsus Paulo vindicari. Recentiores cumprimis efferunt adverti amplificationem in paulinis haud obviam, et fere turgidum dicendi genus, imo facundiam alias insolitam. At considerandum est, apostolum in hac epistola non sobrietate quadam doctrinam exponere velle, verum cum multo affectu animi grati Deo laudes persolvere et ex intimo animo precationes pro fidelibus fundere; veritates itaque dogmaticae ei praebent occasionem gratias agendi, supplicandi, gloriam Dei celebrandi; iam vero ipsi hi affectus sibi necessario vindicant aliud genus dicendi, neque in simplice expositione sistere possunt, sed dicendi ubertatem, commotionem, facundiam suo sibi iure assumunt. Ceterum ipsa criticorum discordia iam ostenditur discrimen tale ultimatim non posse origini paulinae evadere fatale. Sunt quidem qui epistolam multis suis ἅπαξ λεγομένοις, singularibus vocabulorum consuetorum significationibus, constructionibus negligentibus contortisque, laxiore sententiarum nexu scriptorem prodere dicant a Paulo diversum (cf. *de Wette*, Einl. ed. 6 p. 319; *von Soden* in Holtzm. Handkom. *III*, 1); at alii monent, ex solis stili singularitatibus nihil effici (*Kloepper*, Der Brief an die Eph. 1891, p. 19), alii eo discrimine agnito tamen epistolam Paulo attribuunt (cf. *Haupt*, *Ewald*).

Magna diligentia inquisitum est in numerum vocabulorum quae huic epistolae propria sint et recensentur 37 quae alias in novo testamento non occurrunt; et 39 quae alias apud Paulum non reperiuntur (ita Holtzm. apud *Haupt* p. 52). Inveniuntur ἅπαξ λεγόμενα sat multa in hac epistola; at oportet attendere, etiam in aliis paulinis ea minime deesse; ita *Godet* numerat ἁπ. λ. in Rom. 96, 1 Cor. 91, 2 Cor. 92, Gal. 33, Eph. 38, Col. 34, Phil. 36, 1 Thess. 18, 2 Thess. 7, 1 Tim. 73, 2 Tim. 44, Tit. 31, Philm. 4: unde 597 ἁπ. λ., dum totum vocabularium

N. T. complectitur vocabula 4698 (cf. *Godet*, Introduction I 1893, p. 148). Numerationem parumper diversam instituit *Cornely* (quam manuscriptam reliquit), esse scil. ἁπ. λ. Rom. 98, 1 Cor. 81, 2 Cor. 78, Gal. 29, Eph. 35, Phil. 34, Col. 32, 1 Thess. 21, 2 Thess. 10, 1 Tim. 57, 2 Tim. 44, Tit. 26, Philm. 5. Ex utraque numeratione paululum diversa id sine ulla dubitatione habetur, in Eph. non esse tantum ἁπ. λ. numerum, ut quisquam iure offendi possit, dummodo simul ratio habeatur longitudinis epistolarum singularum. Est enim plane eadem proportio inter 35 (38) ἁπ. λ. et 155 versiculos epistolae ad Eph. et inter 98 (96) ἁπ. λ. epistolae ad Rom. et eius versiculos 433. Immo hac ratione instituta facile apparet, complures epistolas maiorem prae Eph. habere numerum ἁπ. λ.; 2 Cor. cum suis 254 versiculis et 78 (92!) ἁπ. λ. certe satis excedit numerum Eph; pariter Phil. cum v. 104 et 34 (36) ἁπ. λ.; pariter Col. v. 95 et 32 (34) ἁπ. λ. Unde satis apparet inde nullatenus peti posse argumentum contra originem paulinam.

Maius momentum ponitur in coniunctionibus verborum ope alicuius genetivi effectis, quarum numerum sat magnum recenset *Haupt* p. 53 simul tamen monens complures nihil offensionis praebere, solum earum frequentiam rationem esse admirationis, sicuti quod sat multi genetivi solum rationem epexegeseos prae se ferant et notiones arcte inter se cognatae coniungantur, uti βουλὴ τοῦ θελήματος 1,11; ἐνέργεια τοῦ κράτους 1,19; ἐνέργεια τῆς δυνάμεως 3,7; κράτος τῆς ἰσχύος 1,19; 6,10 seq. Verum nonne merito dici potest, in hisce cerni artem oratoriam, qua ictum ponere vult in ipsa notione eamque maxime efferre et vim eius facere manifestam. Profecto potentia virtutis eius 1,19 plus dicit et vehementiorem affectum et exprimit et elicit quam simplex virtus eius. De hisce itaque et similibus iudicandum est ex eo quod, ut supra iam monitum est, apostolus cum magno affectu animi grati laudes Deo persolvit et ex intimo animo precationes offert et magnitudinem beneficiorum Dei lectoribus suis manifestam reddere gestit. De hac re iam monet *Theod. mops.*; scribit v. g. ad 1,19: considera autem et hoc in loco, quemadmodum modis omnibus extollit verbum sub gratiarum actione, prout conveniens erat; non dicens *gloriam hereditatis* absolute, sed *divitias gloriae*, neque *virtutem eius*, sed neque *magnitudinem virtutis* solum, sed vehementius secundum id quod esse videtur, dixit *supereminens magnitudo virtutis*; et hoc in loco non dixit *fortitudinis* absolute, sed *secundum potentiam fortitudinis*, ut dicat: illius magnae et potentis (Swete *I*, p. 137). Talia ex tota indole epistolae ad affectus commovendos et exprimendos directa oportet metiri neque ad trutinam merae expositionis doctrinalis revocare. Iusuper quem latet Paulum alias quoque cum aliqua verbositate in varios prorumpere affectus? cf. 2 Cor. 6,14-17; 11,20-30.

Maior quaedam stili differentia deprehendi dicitur in longis illis periodis 1,3-14; 1,15-24; 3,1-13, in quibus ope pronominis relativi sententiae longiore quasi filo sententiis adnectuntur. At simul non est oblivioni dandum longiores periodos etiam alias apud Paulum reperiri; ita Rom. 1,1-7 et 1,20-26 videtur ex textu graeco una periodus; similiter Rom. 1,26-32; longiores sententiae seu periodi haud raro repe-

riuntur Rom. 2,17-23; 4,16-21; 9, 22-26. 1 Cor. 1,21-26; 15,3-9 2 Cor. 6,2-11; Gal. 1,15-21; 2,3-11; in quibus saepe etiam ope pronominis relativi singulae enuntiationes adiunguntur.

Quae si rite perpenderis, fateri debebis, quae Eph. 1-3 habentur, nullatenus videri adeo aliena a modo scribendi Pauli, uti nonnulli volunt. Ceterum ii ipsi monent in altera epistolae parte compositionem sententiarum esse planiorem. Insuper qui epistolam ad Colossenses paulinam habent, minime ex Eph. 1.3 propter periodos difficultatem movere debent; nam Col. 1,3-9 et 1,9-21; 1,24-29; 2,6 16 periodi leguntur plane similes, etiam pronomine relativo continuatae, sicut Eph. 1.3.

Hisce expositis et declaratis merito colligitur ex internis rationibus minime convelli testimonia externa historica de origine paulina huius epistolae.

Quando epistola scripta sit.

Eodem e loco et eodem fere tempore, Romae nimirum exeunte anno 63 vel ineunte 64, Paulum captivum epistolas Eph. et Col. scripsisse, cum multis antiquioribus et recentioribus quoque tamquam certum statui debet. Etenim in utraque apostolus saepius vinculorum suorum memoriam ingerit (cf. Eph. 3,1; 4,1; 6,19; Col. 4,3 10); locutionum dein multarum idearumque et praeceptorum ea est inter ambas similitudo, quae neque facile neque apte explicari possit, nisi circa idem tempus scriptae putentur (cf. p. 12); per eundem quoque Tychicum, Pauli discipulum, qui una cum Onesimo Colossensibus epistolam affert, etiam Eph. mittitur et eadem fere formula Tychicus utrique ecclesiae commendatur (Eph. 6,21 et Col. 4,7.8, ubi cum graecis testibus et antiquioribus codicibus graecis legendum est similiter uti Eph. 6,22 ἵνα γνῶτε ut cognoscatis quae circa nos sunt). Porro Tychico in Asiam proficiscenti Paulus socium adiungit Onesimum, servum fugitivum, quem in vinculis Christo genuerat, atque ad herum Philemonem Colossensem remittendum ducit (Col. 4,7. 9); quare nemo dubitabit, quin eodem tempore, quo epistola ad Col., etiam literulae scriptae sint, quibus apostolus servum redeuntem Philemoni commendat; id quod etiam ex salutationibus in Col. et Philm. additis satis apparet (Col. 4,10. 12. 14; Philm. 23. 24). Iam in literulis istis, quamvis ex vinculis nondum esset dimissus, Philemonem, ut sibi hospitium praeparet, rogare non dubitavit (Philm. 22). Merito itaque concludendum erit, ei certam fuisse spem proximae dimissionis omnesque tres epistolas (Eph. Col. Philm.) versus finem prioris captivitatis romanae in Asiam esse transmissas. Quae conclusio haud parum confirmatur, si diversus consideratur modus, quo Paulus Philippensibus et Philemoni se ad eos esse venturum promittit; Philippensibus enim scribens confidit quidem fore, ut sibi mox ad eos proficisci liceat; quoniam autem de causae suae exitu certus nondum est, se antea Timotheum ad eos missurum esse promittit, quumprimum certi quidpiam de futura sua sorte cognoverit (Phil. 2,23 sq.). Philemoni au-

tem scribens eiusmodi dubitatione iam non laborare videtur, sed causa iam dicta se mox absolutum ac liberatum iri praevidet. Itaque epistola ad Philippenses scripta est ante Eph. Col. Philm. et quia fere omnes consentiunt Paulum Romae Philippensibus scripsisse (Phil. 1,13; 4,22), reliquas ibidem esse scriptas certo statuitur.

Verum haec sententia, quae veterum testimoniis confirmatur (cf. *Chrys. Theod. Euth.* in argumento ad Eph.; *Hier.* in Eph. 3,1; 6,21 et codicum multorum subscriptionibus est repetita (cf. *Tischendorf*, Nov. Test. ed. 8 II p. 704. 728.900) et quae diu fere communis erat, a recentioribus sat multis est impugnata, quorum sententiam *Haupt* quoque secutus est existimans epistolas ad Eph. et Col. scriptas esse in captivitate caesariensi (Act. 23,33 — 26,32); ab aestate an. 59 usque ad auctumnum an. 61. At rationes quae pro commoratione caesariensi afferri solent, haud difficulter diluuntur. Et pro *Haupt* quidem ratio potissima est, quia Paulus solum in solitudine illa caesariensi, prohibitus ab exercitio muneris apostolici, tantum habuerit otii et desiderii ad profundius studium doctrinae Christi et ad acquirendam talem intelligentiam eius, qualis in Eph. Col. appareat (p. 73). Sed etsi verum esset Paulum demum Caesareae illam profundiorem cognitionem adeptum esse, quia ipsa solitudine carceris pariter et amore suo et zelo coactus esset ad rem intime perscrutandam, num ea quae ibi acquisivit, postea iterum amisit, ita ut Romae post parvum temporis spatium iam non potuisset ideas Caesareae acquisitas literis exprimere? Bene monet *Ewald* contra Haupt ideas illas sane et in itinere et in commoratione romana comites fuisse apostoli, et Romae satis otii fuisse ad ideas illas epistolis suis inserendas (p. 3).

Neque maioris ponderis sunt quae ab aliis allata sunt; volunt enim Onesimum, servum Philemonis, e Colossis in viciniorem Palaestinam facilius quam longo itinere maritimo in Italiam fugere potuisse; ideoque Caesareae probabilius quam Romae in Paulum incidisse et ab eo ad fidem adductum esse. At isti tamen non satis attendunt, servo fugitivo iter terrestre, quod octingentorum saltem erat millium passuum, ob eius longitudinem et difficultatem ingredi non licuisse; eum autem si in proximo portu, Ephesi vel Mileti, navem ascendere debuit, facilius occasionem in Italiam quam in Palaestinam navigandi invenisse et Romae securius latuisse quam Caesareae, in parva provinciae civitate. Accedit quoque quod Paulus Caesareae in carcere detinebatur ita, ut solis familiaribus eius aditus ad ipsum pateret, Romae vero in custodia libera, ita ut omnes quicumque ad eum venire vellent suscipere ei liceret (Act. 24,23; 28,30. 31).

Onesimus nominatur in epistola ad Colossenses, neque tamen in Eph.; inde aliqui concluserunt Tychicum ex Palaestina per Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, Phrygiam profectum esse Ephesum servumque Colossis apud herum suum, itaque in Phrygia, reliquisse. Iterum autem supponitur Tychicum iter terrestre molestissimum aeque ac periculosissimum, itineri maritimo ex Palaestina in Asiam minorem praetulisse; temere quoque supponitur, apostolum debuisse mentionem facere illius servi in epistola

eorum quibus Onesimus probabilissime plane erat ignotus. Aliter res se habet apud Colossenses; iis tanquam carissimus ac fidelis frater commendatur, quia ex eis est et deinceps ad eorum ecclesiam pertinet (Col. 4,9). Monent quoque in epistola ad Philm., cum hospitium sibi Colossis parare postulet, apostolum voluisse ex carcere dimissum proficisci in Phrygiam; inde autem patere epistolam illam non esse Romae scriptam; nam quando Romae versatus sit, eum habuisse propositum in Macedoniam proficiscendi (Phil. 1,26; 2,24). Verum quid obstat, si dicimus Paulum aut voluisse per Achaiam et Macedoniam iter facere in Asiam et Phrygiam, aut etiam consilium suum itineris mutasse? Imo si fragmento Muratoriano fides est adhibenda, apostolus etiam post Philm. consilium suum mutavit et ex vinculis dimissus in Hispaniam profectus est (cf. *Cornely*, Introd. ed. 2, I p. 183), antequam ecclesias in Asia et Macedonia fundatas iterum visitaret. Quae itaque contra sententiam de compositione epistolarum in commoratione romana afferuntur, plane levioris sunt momenti neque ullo pacto sententiam eam infirmare seu dubiam reddere valent, sed facile diluuntur.

Quaesitum quoque est, utra epistola sit scripta prior. Variorum opiniones recenset *Godet* (l. c. p. 581). Quaestio quidem parvi momenti est neque certis indiciis solvi potest. Videtur quidem, si Col. 4,16 intelligitur de epistola Eph. inscripta, satis indicari, eam epistolam iam esse scriptam. Nihilominus critici, uti *Godet*, *Zahn* (Einl. I ed. 3 p. 347) negant inde quidquam effici : nam potuisse apostolum eodem modo lectionem commendare epistolae quam mox scripturus esset et quam solum animo eousque concepisset. Clare quoque patet ex Eph. 6,21 nihil merito concludi posse pro Col. tamquam epistola priore. Num ex comparatione locorum parallelorum locutionumque similium? frustra quaeres speciem firmi argumenti.

De commentariis.

Cum de Commentariis in epistolas paulinas satis iam actum sit a *Cornely* (Introd. ed. 2, III p. 579-587) et item ab *Hagen* in editione sexta Compendii Introductionis p. 599-601, hoc loco solum praecipuos quosdam commentarios nominabo. Et quidem ex graecis non sunt praetereundi : *S. Chrysostomus* (*M.* 62). *Theodoretus* (*M.* 82) *Theodorus mopsuestenus* (*Thd M.*); cuius commentarios edidit H. B. Swete (the latin version with the greek fragments; voll. 2; Cambridge 1880); *S. Ioannes Damascenus* (*M.* 95, 442 sq); *Theophylactus* (*M.* 124) *Oecumenius* (*M.* 119); *Euthymii* Zigabeni commentarii graece editi sunt a Nicephoro Calogera (Athenis 1887) in duobus tomis; commentarius in Eph. in initio secundi tomi exhibetur.

Porro S. Ephraem syri commentarii in epistolas d. Pauli, nunc primum ex armenio in latinum sermonem a Patribus Mechitaristis translati. Venetiis, 1893. Et ex latinis interpretibus nominandi sunt *Ambrosiaster* qui dicitur (*M.* 17, ad opera S. Ambrosii Appendix); *S. Thomas*

(Commentaria in omnes Pauli epistolas); *Caietanus* (Epistolae Pauli et aliorum apostolorum cum Actis, per R. D. Thomam de Vio Caietanum Cardinalem S. Xysti, ad graecorum codicum fidem castigatae et ad sensum literalem quam maxime accommodatae, Lugduni, 1558), *Estius*, *Benedictus Iustinianus* S. I., *Cornelius a Lapide*, *Natalis Alexander*.

Ex recentioribus : *Henle*, Der Ephesierbrief, 2 Aufl, 1908; *Belser*, Der Epheserbrief 1908. Ex acatholicis : *Abbot*, Critical and exegetical Commentary 1897; *Haupt*, Die Gefangenschaftsbriefe 1902; *Paul Ewald*, Briefe des Paulus an die Epheser, Kolosser und Philemon 1905.

Paulus et ecclesia philippensis.

In secundo itinere apostolico Paulus, prohibitus a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, cum pertransisset Mysiam venit Troadem (Act. 16, 6-8). Troade per noctem ei visio ostensa est : vir Macedo quidam eum deprecabatur : transiens in Macedoniam, adiuva nos. Agnovit apostolus se a Deo vocari et venit Philippos cum sociis Sila, Timotheo, Luca. Secundum consuetudinem Iudaeis primo obtulit evangelium, unde sabbato se contulit ad locum orationis, verum solum mulieres ibi invenit quibus loquebatur. Lydia mulier, proselyta σεβομένη τὸν Θεόν (Act. 16,14) baptizata est cum domo sua et apud eam apostolus hospitium habuit. Post multos dies (Act. 16,17) Paulus et Silas accusati ut perturbatores civitatis et in carcerem coniecti sunt; ab illa commoratione coetum fidelium iam esse congregatum apparet, quia « exeuntes de carcere introierunt ad Lydiam et visis fratribus consolati sunt eos et profecti sunt » (Act. 16,40).

Apostolus inde profectus est Thessalonicam. Quomodo autem apostolus sibi animos fidelium philippensium devinxerit, statim apparet; nam « Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis » (Phil. 4,16) et postea quoque potuit dicere : bene fecistis communicantes tribulationi nostrae (Phil. 4,14). Cum ab Epheso profectus iter faceret in Macedoniam et perambularet partes illas (Act. 20,1.2), etiam Philippos venisse censendus erit; nam Philippenses quoque indigebant sermone exhortationis, quia et illis donatum est pro Christo non solum ut in eum crederent, verum etiam ut pro illo paterentur (Phil. 1,29). Commoratus dein per tres menses in Graecia pascha celebravit Philippis et post dies azymorum a Philippis Troadem et inde in urbem Ierusalem perrexit (Act. 20,6-21,15). In Ierusalem autem captus est et Caesaream deductus, ubi per biennium in carcere detentus est et tandem, cum appellasset Caesarem, Romam missus est (Act. 23,24-28,16). Philippenses vero cum primum audierunt, Paulum vinctum esse Romae, per Epaphroditum ei miserunt larga subsidia et ipsi Epaphrodito mandarunt, ut Paulo obsequium et ministerium praestaret (Phil. 2,25-30). Quam liberaliter apostolo pecunias miserint, collige ex eius verbis : abundo, repletus sum acceptis ab Epaphrodito quae misistis odorem suavitatis, hostiam accep-

tam, placentem Deo (Phil. 4,18). Eorum dona apostolus animo grato accepit (Phil. 4,10).

Magno animi affectu et gaudio atque suavi quadam familiaritate de Philippensibus apostolus loquitur. Hunc affectum et amorem iam prodit, cum adeo frequenter *omnium* faciat mentionem : pro omnibus cum gaudio deprecationem facit, iustum censet pro omnibus optima sperare, omnes ut socios gaudii sui habet in corde, omnes in visceribus Christi desiderat, omnibus ad profectum permanere cupit, cum omnibus congaudet; unumquemque salutat (Phil. 1, 4. 7. 8. 25 ; 2,17 ; 4,21) ; sunt enim Philippenses fratres eius dilecti et desiderati, gaudium eius et corona eius (4,1). Inde iam merito colligi debet detrimenta maiora seu graviores abusus et pericula fidei apud eos nullatenus reperiri. Atque revera illis testimonium reddit : semper obedistis (2,12); orat pro ipsis, ut caritas magis et magis abundet. Monita quae ipsis tradit arguunt quidem defectum quendam concordiae et humilitatis (1,27; 2,1-5 ; 4,2.3); at tali defectu neque eorum fidem cepisse detrimentum neque integritatem morum pietatemque fuisse in periculo, ostendit apostolus scribens : in medio nationis pravae lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitae continentes, et in eis videt pro se materiam gloriandi pro die iudicii (2,15.16). Quae scribit apostolus 3,2 sq. contra iudaizantes non arguunt fidei periculum neque impugnationem ex parte iudaizantium, sed solum iudaizantes coram fidelibus superbe iactare sua quae existimabant praerogativa et privilegia ; apostolus solum ostendit quam immerito talia proferantur, neque contra eos agit polemice; unde patet fidelibus non imminuisse periculum perversionis, sed ad summum eos docendos esse, quantopere contemnenda sint eiusmodi opinamenta et quomodo ad vera privilegia fidelium, ad bravium supernae vocationis contendendum sit. Bonam fidelium conditionem ostendit quoque repetita exhortatio : gaudete in Domino (3,1 ; 4,4) et bonus eorum status etiam ex eo colligi potest, quod apostolus eis intimos animi sui sensus magna cum familiaritate pandit (1,4-10; 1,18-26; 2,2. 17; 3,7-14; 4,10-18).

Aliter unus ex recentioribus, *Holsten*, conditionem Philippensium concipit; opinatur enim coetum fidelium duabus partibus fuisse compositum, fidelium scil. ex iudaismo et fidelium ex gentibus, quos haec epistola voluerit reducere ad plenam unitatem fidei (cf. *Ewald*, Brief an die Phil. p. 25). Ad quam sententiam stabiliendam urget admonitiones ad unitatem et iam ad 1,3 monet *omnibus sanctis in Christo* indicari *unum* solum exsistere ordinem sanctorum, quo pariter Iudaei et gentes in unitatem comprehenduntur; partes illas tangi et ad unitatem stabiliendam moneri 1,27 et 2,2 et praecipue 2,4 non quae sua sunt singuli considerantes, et 2,12.14 omnia facite sine murmurationibus ; 2,20 et 4,2.

At de hisce partibus vel de coetu fidelium ex Iudaeis et gentibus composito in ipsa epistola nullum cernitur vestigium ; neque tale indicium habetur in narratione de fundatione coetus Act. 16,9 sq. Illos debuisse reduci ad plenam unitatem *fidei*, asseritur quidem, at nullibi de discrimine quodam fidei sermo est ; neque ulla apparet adhortatio ad unionem *in fide*. Gravissima adhortatio habetur 2,2-11, neque tamen est adhorta-

tio ad perfectam unitatem fidei efficiendam, sed admonitio potius, ut ex una eademque fide applicationem faciant ad mores et vitae rationem. Ut caritas abundet, orat apostolus (1,9); fidei autem defectum vel augmentum nullibi commemorat; solum gaudium fidei (1,25). Et quando omnia complectitur, quae adprecatur Philippensibus 4,8. 9, iterum nulla reperitur mentio fidei; plurima per epistolam tangit, laudat, commendat — at nihil de *fidei* unitate efficienda. Ceterum locos allatos, uti explicite non agant de fide, ita quoque tacite vel implicite non posse ad unitatem fidei stabiliendam merito afferri, ex ipsa explicatione patebit. Alia vide ad 2,4.

De ipsa epistola.

Occasio epistolae scribendae erat praeter donum pecuniarum quod Philippenses apostolo miserant desiderium Epaphroditi qui ex morbo periculoso recreatus cupiebat redire Philippos (4,10; 2,26). In hac epistola maxime familiariter agit et cum fidelibus blande conversatur. Quare strictum ordinem non servat, sed liberiore modo incedit ab una re ad aliam transiens. In aliis fere epistolis distingui potest pars dogmatica et paraenetica; non ita in hac epistola; dogmata quidem attingit sed ita solum, ut adhortationem efficacius urgeat.

Epistolae inscriptio hoc habet singulare, ut praeter omnes peculiari modo episcopos et diaconos salutet. Dein consueto modo a gratiarum actione incipit pro fervore quo ab initio participes erant ad promovendum evangelium, quare optimam de illis spem concipit et Deum precatur, ut in omni bono crescentes in die Christi inveniantur repleti fructibus iustitiae ad Dei gloriam (1,3-11). Dein illis loquitur de sua conditione. Laetus eis annuntiat vincula sua evangelii profectui profuisse non solum inter milites praetorios et inter alios, sed ex eo quod ipse impune evangelium potuerit annuntiare alios quoque audaciores esse factos ad praedicandum; alios quidem non pura intentione, sed ex invidia et contentione, alios autem recta caritate (1,12-17). Ipse vero gaudet, dummodo omni occasione et ratione Christus annuntietur; se enim id solum quaerere et per eorum orationem exspectare, ut Christus magnificetur sive per vitam suam sive per mortem; unde fatetur se nescire utrum potius eligat: vivere in carne pro eorum utilitate, an dissolvi et esse cum Christo quod sibi sit multo melius; at propter eorum utilitatem se confidere fore, ut iterum ad eos veniat (1,18-26). Quidquid igitur eveniat, id unum iis praestandum affirmat, ut vitam agant evangelio dignam, unanimes, fortes, pro fide pugnantes, quia digni habiti sint qui pro Christo patiantur et certámen subeant (1,27-30).

Huic admonitioni generali subiungit specialem ad concordiam et humilitatem; quam magno affectu et obtestatione proponit, non quidem ac si multum in ea re deficerent, sed « implete gaudium meum » aliquid deesse ad plenum ac perfectum gaudium. Quod ut vera humilitate et sui abnegatione suppleant, exemplum Christi eis proponit quo discant,

quali affectu animati esse debeant; Dominus enim Christus, Deus verus, in servi natura assumpta apparens se exinanivit et humiliavit factus obediens usque ad mortem crucis, qua exaltationem gloriamque meruit et assecutus est (2,1-11). Quo exemplo perpenso (2,5), uti semper obedierint ita nunc absente apostolo quo alacrius salutem operentur, hortatur, memores omnem salutis actum a Deo dependere et effici; alacriter et prompte cuncta peragant, morum integritate sese exhibeant ut luminaria in medio nationis perversae, apostolo praebentes causam gloriandi in die Christi de labore frugifero; sed etsi pro causa evangelii ipsi mors sit subeunda, fore cur ipse et illi simul gaudeant (2,12-18). Tunc addit quaedam de sociis; Timotheum, quem ob sincerum pro evangelio studium et eius in Philippenses affectionem ac curam pluribus laudat, se mox ad eos missurum promittit, simul ac de sua sorte certior factus sit. Dein eis loquitur de Epaphrodito; eum periculoso morbo laborasse, moestum fuisse propter nuntium de aegritudine sua eis perlatum et maximo eos videndi desiderio teneri; quare necesse esse, ut nunc ad eos mittatur, quem recipiant cum gaudio et honore, quia in causa Christi et in obsequio erga apostolum periculum vitae subierit (2,19-30).

Hisce de sociis perscriptis iam epistolae formula censueta *de cetero*, τὸ λοιπόν, finem erat impositurus, cum ei occurrat memoria de molestissimis iudaizantium iactationibus; ne hisce Philippenses sibi imponi sinant, repetendum censet quod antea iam ad eos scripserat et acri et acerba ironia in iactatores illos invehitur; solum enim fideles habere veram gloriandi in Christo causam. At ne quis putet se privilegia Iudaeorum spernere quia ipse iisdem careat, ostendit se illa possidere multo magis, at se omnia illa contempsisse ac contemnere, ut Christi et iustitiae ex fide Christi particeps fiat, ut Christo configuratus perveniat ad beatam resurrectionem (3,1-11). Sibi intime conscium se esse testatur, se nondum praemium illud aut perfectionem pro certo tenere; sed oblitus quasi merita iam acquisita profitetur se omnibus viribus contendere et anhelare ad bravium supernae vocationis, et exhortatur eos, ut idem sentiant et prosequantur (3,12-16).

Hanc itaque formam et normam strenue prosequantur; et ut tardiores fortasse et fide semel suscepta contentos (cf. v. 13) exstimulet, imaginem eis proponit ex una parte multorum qui terrena et carnalia sequentes pereunt, ex altera parte fidelium, qui cives sunt patriae coelestis ideoque exspectant glorificationem suam quae futura sit conformis claritatis et gloriae Christi; in hac spe firmiter permaneant (3,17-4,1). Dein addit monita specialia pro duabus mulieribus, ut idem sapiant et socium quendam sincerum rogat, ut eis opem ferat. Tunc omnes adhortatur ad gaudium in Domino, ad benignitatem, ad curas vitandas, ad petitiones Deo offerendas et adprecatur eis pacem Dei (4,2-7).

Ad finem epistolae properans, *de cetero*, τὸ λοιπόν, pro animi affectu qui sibi quasi non plene satisfacere potest, quam plurima uno conspectu exhibita compendiosa adhortatione ad omnimodam virtutem complectitur ad suum eos remittens exemplum (4,8-9); dein gaudium suum pro subsidiis sibi missis significat, at simul innuit se non penuriae vitandae

causa gavisum esse; cum didicerit (sua sorte contentus) et satiari et esurire et abundare et penuriam pati, tamen animo grato agnoscit quod et nunc et antea ipsi subsidia miserint, in quibus potissimum gaudet de fructu abundante, lucro spirituali eorum ; et se abundanter ab eis donatum affirmat, quare etiam precatur, ut Deus abundanter omni eorum necessitati prospiciat. Et salutationibus adscriptis consueta formula epistolam absolvit (4,10-20).

Ubi et quando epistola scripta sit.

Epistolam Romae esse scriptam fere inter omnes hodie constat. Id enim clare ex ipsa epistola elucet. Sufficit inspicere 1,13, ubi profectus evangelii ita exhibetur, ut vincula eius nota fierent apud milites praetorios et apud alios. Romae autem erat in libera custodia et suscipere poterat qui ad eum venire volebant; milites autem, quorum unum semper habebat custodem, audiebant Paulum praedicantem regnum Dei et docentem ; et ita vincula eius manifesta fiebant apud praetorios et evangelium propagabatur quia accessus ad Paulum patebat. Talia autem nullatenus Caesareae, sed solum Romae evenire potuisse, evidens est (Act. 24,23 et 28,16. 30.31). Ceterum Roma satis clare designatur ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ 1,13 et 4,22 maxime vos salutant qui de Caesaris domo sunt, οἱ ἀπὸ τῆς Καίσαρος οἰκίας. Plura vide in commentario.

Iam quando circiter epistola scripta sit, varia indicia praebentur in epistola. Apostolus certe iam per longius tempus erat Romae. Nam nuntius eum esse vinctum Romae debuit perferri Philippos ; ibi tum instituta est collecta pro apostolo ; haec missa est Romam per Epaphroditum, cui mandarunt, ut apostolo inserviret. Epaphroditus autem infirmatus est usque ad mortem ; de eius morbo audierunt Philippenses, et ipse moestus erat sciens talem nuntium ad eos esse perlatum ; ergo a Philippis nuntius ille iterum Romam migraverat. Hisce peragendis iam longius requirebatur tempus. Praeterea idem sequitur ex iis quae 1,12-24 narrantur. Ex eo enim quod Paulus impune evangelium praedicat et quidem ita ut profectus evangelii fiat manifestus, plures e fratribus audacius et abundantius sine timore verbum annuntiabant ; dicebant enim, si Paulus vinctus non prohibetur praedicare, ergo libere permittitur praedicatio evangelii. Alii e contra ingenium Pauli ex suo metientes et videntes multos a Paulo ad fidem adduci, putabant se posse aemulatione et zelotypia apostolum affligere, si ipsi quoque praedicationi operam darent, ac si Paulus censeret sibi uni esse ius et auctoritatem praedicandi aut quasi Paulus invidiam conciperet, quando alii cum magno profectu ministerium evangelicum obirent. Haec vero conditio et haec aemulatio fratrum, ex caritate aliorum, aliorum ex invidia et contentione, etiam longius tempus commorationis romanae supponit.

De tempore quod requiratur ad iter peragendum ab urbe Roma Philippos ita disserit *Lightfoot* (Ep. Philipp. p. 38), opus esse uno mense circiter; Romam

distare a Brundisio secundum Strabonem (VI, p. 283) 360 millia passuum ; iter maritimum a Brundisio Dyrrhachium communiter esse confectum uno die (Cicero ad Attic. 4,1); a Dyrrhachio Thessalonicam c. 270 m. vel 279 (Tab. Peuting.) a Thessalonica Philippos 100 m. (Itin. Anton., p. 152, 157). Iter autem a Brundisio Romam confici posse diebus decem (cf. Ovidius, Ep. Pont. 4,5. 8). Varia de veterum itineribus praebet Friedländer, Sittengeschichte Roms, vol. 2, p. 20 sq.

Ex epistola ad Philemonem apparet eodem tempore scriptas esse tres illas epistolas ad Ephesios, Colossenses, Philemonem (cf. Eph. 6,21. Col. 4,7-10. 12. 14. Philm. 10. 23). Quaeritur, sitne epistola ad Philippenses scripta ante has tres an postea. Tres apud criticos inveniuntur sententiae : eam esse ultimam (cf. *Godet*, Introd. I p. 509 ; et longe maiorem partem criticorum germanorum et anglicanorum hanc sequi opinionem refert multorum nominibus recensitis *Lightfoot* l. c. p. 32) ; eam esse priorem (quam tenent *Lightfoot* l. c. p. 41 sq. *Cornely*, Introd. 2 ed. III p. 485) ; pro neutra sententia posse afferri argumenta quae rem evincant (cf. *Vincent*, Ep. Philip. p. XXIV).

Attamen maxima probabilitate statui poterit, epistolam ad Phil. esse priorem ceteris. Nam in hac epistola Paulus de sua conditione ita loquitur, ut quid tandem futurum sit plane nesciat ; sperat quidem se posse iterum venire ad Philippenses, at eodem tempore fatetur fieri posse ut immoletur supra sacrificium et obsequium fidei (3,17).

Verum in epistola ad Philemonem tanta cum certitudine prospicit liberationem suam mox eventuram esse, ut non dubitet scribere : simul autem et para mihi hospitium ; nam spero per orationes vestras donari me vobis (v. 22). Eandem sententiam *Lightfoot* stabilire conatur rationibus internis, reperiri magnam dicendi similitudinem cum epistola ad Romanos, in epistolis ad Eph. Col. autem proponi doctrinae gradum et modum, quo ostendatur maior progressus intelligentiae eiusdem doctrinae, iam non lac praeberi pro parvulis, sed solidum cibum pro spiritualibus ; exhiberi quoque conditionem ecclesiae mutatam ; iam non impugnari errores primi temporis rei christianae, sed subtiliores temporis posterioris ; in epistola ad Eph. iam allegari partem hymni, quo ostendatur pietatem fidelium certis formulis exprimi solere. Dubito tamen, num hisce rationibus multum efficiatur. Doctrina de Christo quae in Eph. Col. proponitur, certe iam enuntiatur 2 Cor. 4,4 et 8,9 et Rom. 9,5 et Phil. 2,6-11 ; et quod attinet ad hymnos, iam Corinthiis scribit apostolus : cum convenitis, unusquisque vestrum habet etc. (1 Cor. 14,26).

Contra consensum communem veterum et recentiorum proposuerunt sententiam seu hypothesin de epistola hac Ephesi scripta *Lisco*, Vincula sanctorum (Berlin 1900), *Dessimann* (Licht von Osten, Tübingen, 1908) et *Albertz* (Studien u. Kritiken, 1910, p. 591 sq.). Argumenta et modum procedendi apud Lisco satis superque refutat *Albertz* ; at ipse hypothesin commendare et firmare studet, dum conatur ostendere quaecumque in epistola dicantur aut supponantur, multo melius congruere ad conditiones ephesinas quam romanas et captivitatem istam ephesinam posse conci-

liari cum iis quae in Act. et in epistolis ad Corinthios narrentur. Verum puto sufficere ad eam hypothesin non admittendam, si quis serio consideraverit, nullum reperiri indicium *captivitatis diuturnae seu longioris* (quae tamen in epistola necessario requiritur et supponitur) Ephesi ab apostolo toleratae neque in Act. neque in epistolis ad Cor.; e contra narrationibus illis et rerum conditionibus, quae in utroque hoc fonte nobis exponantur, captivitas eiusmodi diuturna prorsus excludi videtur. Nam si alicubi, certe hic valere potest ac debet argumentum e silentio petitum. De commoratione enim ephesina haud pauca referuntur Act. 19,1-20,1; refertur tempus trium mensium, quo docuit in synagoga, tempus biennii quo docuit in schola Tyranni cuiusdam, « ita ut omnes in Asia audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles » (Act. 19,10); narratur de miraculis, exorcistis, de libris magicis combustis, de eorum pretio, de commotione a Demetrio excitata (satis accurate, 19, 21-40), qua sedata Paulus valedixit discipulis et profectus est in Macedoniam. In hac narratione de biennio et sex mensibus ubi invenitur tempus pro longiore captivitate? Et cum Paulus rationem reddit Mileti de sua commoratione Ephesia ne verbulum quidem reperitur allusionis ad captivitatem! cum tamen loquatur de monitionibus, lacrimis, operibus manuum, periculis futuris. Neque captivitatis mentio fit in epistolis ad Cor.; indicium satis certum tamen *Albertz* (l. c. p. 558) deprehendit in ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, ad bestias pugnavi Ephesi (1 Cor. 15,32); at ne eo loco quidem mentio fit captivitatis longioris; plerumque locutio metaphorice explicatur, Paulus recensens aerumnas mortisque pericula (2 Cor. 11,23 sq.) eius periculi non meminit; demum civis romanus non potuit ad bestias damnari. Denique adverte in re historica id oportet inquirere quid secundum fontes et veterum testimonia factum sit, non quid iis omissis absolute fieri potuisset. De praetorio et de iis qui de Caesaris domo sunt, vide in Commentario.

De authentia epistolae.

Communiter agnita est hodie authentia epistolae. Primus eius testis est S. *Polycarpus*, qui scribens ad Philippenses suam hanc quasi audaciam excusat, cum beati et gloriosi Pauli sapientiam assequi nequeat, « qui absens vobis scripsit epistolas, in quas si intuemini, aedificari poteritis in fide »; praeterea utitur locutionibus ex hac nostra epistola depromptis. v. g. ἀξίως πολιτεύειν Χριστοῦ (Phil. 1,27), εἰς κενὸν τρέχειν (Phil. 2,16), συνεχάρην ὑμῖν μεγάλως ἐν κυρίῳ (Phil. 2,17 et 4,10), inimici crucis (Phil. 3,18). ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα ἐπουράνια καὶ ἐπίγεια (Phil. 2,10). Pariter in *martyrio Polycarpi* quod mox post eius mortem scriptum est, epistola nostra respicitur : μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ' ἑαυτούς, ἀλλὰ καὶ τὸ κατὰ τοὺς πέλας (Phil. 2,4). Etiam *S. Ignatius* martyr cognovit epistolam nostram; nam ad eam videtur alludere; dum enim scribit Romanis 2, σπονδισθῆναι Θεῷ, ob oculos habere videtur Phil. 2,17; in epistola ad Philadelphenses 8 monet μηδὲν κατ' ἐριθείαν πράσσειν et 1 οὐδὲ κατὰ κενοδοξίαν (Phil. 2,3).

Paucis annis post martyrium Polycarpi clerus lugdunensis et viennensis fratres, de quorum martyrio scribunt, Christum imitari voluisse dicunt, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo » (Euseb. h. eccl. 5,2; Phil. 2,6). Etiam haeretici agnoverunt epistolam ; ita *Sethiani* usi sunt ad suas doctrinas stabiliendas Phil. 2,6.7 ; *Cassianus*, discipulus Valentini, allegat Phil. 3,20, et *Theodotus*, pariter Valentini discipulus, refert Phil. 2,9-11 (cf. Philosophumena 10,510; *M.* 16,3126; Clemens alex. Strom. 3,4 et Excerpta Theod. *M.* 8,1196; 9,680), *Marcion* hanc epistolam in suo habuit canone. Testimonia orthodoxorum idem demonstrant ; in canone romano epistolam recenset *fragmentum Muratorianum* (cf. *Cornely*, Introd. I ed. 2 p. 184); testimonium ecclesiae gallicanae praebet *Irenaeus*, ecclesiae africanae *Tertullianus*, ecclesiae alexandrinae *Clemens* alexandrinus. Et *S. Irenaeus* quidem scribit : Paulus Philippensibus ait, et recitat Phil. 4,18 et alio loco : et rursus ad Philippenses scribit, et affert Phil. 3,20.21 (adv. haer. 4,18; 5,13; *M.* 7, 1026, 1158). *Tertullianus* (c. Marc. 5,20; *M.* 2,522) recitat Phil. 1,14-16; alio loco dicit : Philippensibus scribit et affert Phil. 3,11.12; et iterum scribit : in coelo esse municipatum nostrum ab apostolo discant, unde et salutificatorem nostrum exspectamus etc. (de resurr. carnis 23.47; *M.* 2,826.863). *Clemens* autem alex. scribit : Paulus de se fatetur et recitat Phil. 3,12-14 et miratur quod quidam audeant se dicere perfectos Gnosticos, dum tamen Paulus talia de se fateatur ; et alio loco affert sub nomine Phil. 3,19 et iterum eodem modo Phil. 2,7 (Paedag. 1,6 ; 2,1 ; 3,1; *M.* 8,312. 408. 557).

In tota antiquitate ne minimum quidem erat dubium de authentia epistolae et de Paulo apostolo scriptore, cuius indolem ea in epistola egregie exprimi recentiores omnino fatentur. Quae olim a Baur, Zeller, Schwegler aliisque obiecta sunt, hodie ab ipsis criticis obsoleta et antiquata dicuntur et flocci merito habentur (cf. *Holtzmann*, Einleitung, 3 ed. p. 272; *Haupt* p. 101; *Ewald* p. 24).

Alii conquesti sunt quod desit in epistola unitas ; iam enim 3,1 epistolam fere finiri et nihil aliud desiderari nisi actionem gratiarum, quae 4,2 seq. adscribatur. Unde 3,1-4,1 esse partem ab hac epistola alienam. Alii memores Polycarpum scripsisse καὶ ἀπὼν Παῦλος ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς volunt hanc epistolam in duas dividere. Paulum pluries Philippensibus tantopere dilectis scripsisse valde est verisimile et 3,1 revera habetur indicium prioris alicuius epistolae : eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum (οὐκ ὀκνηρόν), vobis autem necessarium (ἀσφαλές, vide Comment.). At cur non potuit apostolo accidere quod in epistola familiari saepe evenit, ut volentibus finire epistolam subito occurrat nova quaedam cogitatio, argumentum novum ?

De interpretibus.

Pauca hic dicenda sunt. De antiquis interpretibus et latinis expositoribus valet idem quod supra in epistolam ad Ephesios dictum est.

Ex aliis noto paucos : *Beelen*, Comment. in ep. ad Philippenses, 2 ed. 1852; Des Apostels Paulus Brief an die Philipper, von Dr. theol. Karl Joseph *Müller*, 1899 — (cuius mentionem feci in Comm. *M.*); *Lightfoot*, Epistle to the Philippians 1903; *Vincent*, critical and exegetical commentary on the epistles to the Philippians and to Philemon, 1897; *Haupt*, Die Gefangenschaftsbriefe, 1902; Paul *Ewald*, Brief des Paulus an die Philipper, 1908; et Martin *Dibelius*, Brief an die Philipper, 1911.

De ecclesia Colossensium.

Colossae in Phrygia ad Lycum flumen non longe ab Hierapoli et Laodicea sitae erant. Apostolus bis quidem Phrygiam peragravit, Colossas tamen non adiit neque in ea regione praedicavit (Act. 16,6; 18,24 et cf. Col. 1,4. 7.9; 2,1). Ibi evangelium annuntiavit Epaphras, Colossensis (4,12), quem apostolus vocat dilectum suum conservum (scil. in ministerio evangelii socium suum et servum Christi, 1,7), qui ab ipso laudatur fidelis pro vobis minister Christi et a quo Colossenses rite edocti sunt et instituti, uti claris verbis apostolus testatur 1,5-7; 2,6. Epaphras nunc versatur apud apostolum captivum, quare eum vocat apostolus concaptivum meum in Christo Iesu (Philm. 23); apostolum certiorem reddidit de fide et dilectione fidelium, de eorum in Paulum apostolum dilectione (1,5. 8) et, cum esset semper sollicitus pro eis, ut starent perfecti et pleni in omni voluntate Dei (4,12), apostolum edocuit de pseudodoctoribus nonnullis qui per speciem quandam sapientiae et vitae sanctioris homines decipere tentarent et per cultum quendam angelorum et Christum et opus eius redemptionis obscurare et deprimere satagerent (2,8-23).

Quinam isti doctores fuerint et quaenam eorum doctrinae et unde haustae, parum constat. Unum manifestum est, non ex uno fonte sed ex variis rivulis collecta esse eorum axiomata. Ex una parte indolem praebent iudaizantium, qui non solum legalia observent, verum ultra progressi arctam iniungant abstinentiam; ex altera parte exhibent talia quae minime apud iudaizantes (quales alias nobis in epistolis paulinis exhibentur) quaesieris, praetendunt philosophiam, cultum angelorum, visiones, Christo summam suam dignitatem denegant. Apparet itaque apud illos commixtio quaedam multiplicium errorum. De hisce in varias partes disceptatum est (vide *Haupt*, p. 12). In re incerta et in diversas partes controversa sufficiet pauca adnotare. Cum neque ex iudaismo, neque ex essenismo, neque ex utroque iuncto sufficiens conquiri possit explicatio rerum omnium, consultum erit cum *Henle* (cf. Theol. Quartalschrift, Tübingen 1888, p. 604) et *Steinmann* (Gegen welche Irrlehrer richtet sich der Kolosserbrief 1906, Strassburg) oculos dirigere ad opiniones religiosas orientales et ibi quaerere fontem, unde magna ex parte Iudaei incolae regionis illius ad Lycum venerint. Iam eo modo nobis ostenditur Babylonia, Mesopotamia, unde teste Iosepho (Ant. 12, 4) tempore Antiochi Magni, regis syri, fere duo millia familiarum iudaicarum in Lydiam et Phrygiam migrarunt. Accedit quod

Ephesi quoque cultus quidam exercebatur orientalis et speciatim persicus. Magi insuper persici variis in regionibus Asiae minoris, et etiam in Phrygia, sibi sedes fixerunt. Inde autem non erit improbabile paulatim exstitisse commercium quoddam inter Iudaeos illos in Phrygia et magos babylonicos. Quare opinatur *Steinmann* ex tali commercio et ex Mithracismo satis probabiliter explicari et falsam illam ascesin et doctrinam de angelis mediatoribus. Nomina angelorum ex Babylonia esse allata dicitur in tractatu talmudico Rosch haschana c. 14, inter illa nomina invenitur Mittron quod nomen re et usu idem esse cum Mithra existimatur. Simili modo ex Mithracismo exorta esse illa pericula, contra quae agat apostolus, etiam censet *A. Schäfer* in dissertatione (Die gegenwärtige Aufgabe der Einleitung in das N. T. 1905).

De argumento epistolae ad Colossenses.

Apostolus Deo gratias agit de fide et dilectione Colossensium, de qua audivit, et propter bona eis reposita in coelo ex doctrina evangelii, quam illis Epaphras attulit et quae nunc apud eos fructificat et crescit (v.3-8); quare apostolus assidue pro eis orat, ut crescant in sapientia, in omni virtute confortati, ut Deo Patri agant gratias de beneficio redemptionis per Filium (v. 9-14), Huius dein Filii dignitatem ostendit : est imago Dei, dominus universae creaturae, creator et conservator et finis omnium, caput ecclesiae, principium et auctor novae vitae gratiae et gloriae, quia in ipso omnis plenitudo inhabitat et omnia per sanguinem crucis eius expiata sunt (v. 15-20). Quare admonentur Colossenses, olim quidem a Deo alieni et inimici, nunc autem reconciliati, ut sese exhibeant immaculatos, stabiles in fide et spe evangelii quod praedicatur in universa creatura (v. 21-23). Eius evangelii praedicator ac propagator constitutus est Paulus, ut doceat gentes divitias gloriae mysterii a saeculis absconditi nunc autem revelati, quod mysterium Christus est, quem apostolus praedicat, ut omnes ad perfectionem adducat, laborans in virtute Christi (v. 24-29). Unde sollicitudinem suam pro omnibus testatur, ut omnes studeant has divitias plena intelligentia percipere in cognitione Christi, in quo omnes thesauri sapientiae continentur (2,1-3). Hac doctrina de Christo praemissa, qua indirecte iam errores ei contrarii perstringuntur, apostolus directe aggreditur pseudodoctores, monens ne se permittant decipi blandis sermonibus, verum ut in fide accepta firmiter cum actione gratiarum persistant, neve decipiantur falso nomine philosophiae, seu potius inanis fallaciae, quae proponitur secundum traditionem hominum et elementa mundi, nequaquam autem secundum Christum, in quo tamen est plenitudo divinitatis et qui est caput omnis ordinis angelici, et in quo ipsi per baptismum novam vitam gratiae peccatis deletis acceperunt et lege vetere in cruce abolita plena de principatibus et potestatibus victoria est reportata (v. 4-15).

Ex hac rerum conditione infert apostolus, ne se sinant obstringi antiquis ritibus et observantiis, quae solum sunt umbra typi bonorum

Christi, neve se seduci sinant specie quadam abstinentiae et cultu angelorum, quem ritum ex visionibus acceptum superbe praetendunt, at eo ipso sese separantes a capite ex quo totum corpus unice crescit in augmentum quod Deus vult. Per mortem Christi plane exempti sunt ab elementis mundi, ergo absonum est, ut iubeantur, quasi viventes sub eorum dominio, abstinere ab usu rerum legitimo, quae abstinentia speciem quidem prae se fert sapientiae in cultu voluntario et in ieiunatione et in asperitate corporis, at ubi nihil est honorificum, sed omnia tendunt ad satietatem carnis (2,16-23). Hac doctrina exposita transit apostolus ad partem paraeneticam. Praemittit admonitionem generalem ex unione cum Christo declarata (2,11-13. 20) sponte enatam, ut sapiant quae sursum sunt, utpote viventes cum Christo nunc quidem abscondite, at in adventu Christi gloriose.

In oppositione ad abstinentiam illam a pseudodoctoribus praeceptam ostendit apostolus, a quibusnam revera abstinere oporteat et quaenam « membra terrena » (videtur locutio deprompta esse ex penu illorum doctorum) sint mortificanda; abstineant a peccatis veteris hominis, et induant novum hominem qui est secundum imaginem Dei, in quo novo homine vivit Christus (3,1-11). Induant itaque mores, quos habere decet electos Dei, praesertim caritatem; inter se exhortentur canticis spiritualibus; omnia peragant in nomine Christi cum actione gratiarum (3,12-17). Hisce monitis generalibus et pro omnibus subiungit particularia pro familia domestica : pro coniugibus, pro filiis et patribus, pro servis et heris (3,18-4,1). Addit adhortationem ad preces fundendas, etiam pro se, ut scil. sibi fiat opportunitas evangelii praedicandi ; et monet, ut prudentes sint in agendo et loquendo (4,2-6). Dein addit quaedam de Tychico et Onesimo, et varias illis scribit salutationes, commendat, ut legant epistolam laodicensem et hanc mittant Laodiceam; Archippo commendat ministerium et concludit salutatione optans, ut memores sint vinculorum suorum (4,7-18).

Uti ex epistola elucet, illi doctores altiorem quandam sapientiam praetendebant, quam nomine philosophiae ornabant et quam ex visionibus magna ex parte se accipere iactabant. Ieiunatione illa quae tam arcte cum cultu angelorum coniungitur duobus in locis (3,18.23) videtur innui praeparatio quaedam ad commercium cum angelis, quo altiorem sapientiam acquirerent. Et ad talem viam ineundam ut se praepararent observatione quorundam legalium et abstinentia (3,16.21), fideles pellicere conabantur. Quare apostolus quam maxime effert thesauros omnes sapientiae esse repositos in Christo et cuncta bona gratiae et gloriae iis contingere in Christo et per Christum. Ab illis autem angelis nihil obvenire posse neque boni neque mali, discere poterant ex eo quod iam omni potestate erant spoliati (2,15). Quamvis doctores illi praerogativam circumcisionis extulisse videantur (2,11), tamen illam fidelibus persuadere neutiquam tentabant; id quod iure concluditur, quia apostolus de tali conatu prorsus silet, cum tamen alias eiusmodi tentaminibus iudaizantium acerrime obsistit, uti in epistola ad Galatas.

Immerito concluderetur ex admonitionibus contra vitia (3,5 seq.), ea

apud Colossenses viguisse. Sed fideles, recenter ad fidem adducti et mores christianos edocti et conversantes inter ethnicos haud raro ad omne genus scelerum pronos, profecto graviter admonendi erant accurata variorum vitiorum designatione, quo magnam omnis iniquitatis et turpitudinis abominationem et odium conciperent et sibi persuaderent quantopere talia hominem christianum dedecerent, opera scil. veteris hominis. Conditionem Colossensium, de qua audivit apostolus, fuisse in universum omnino bonam, satis apparet ex omnibus quae dicuntur 1,4-12.

De origine paulina epistolae.

Epistolam esse authenticam et a Paulo apostolo scriptam habetur iam nexu arcto huius epistolae cum epistolis ad Philemonem et ad Ephesios. Quae duae epistolae, si genuinae existimantur, iam de hac vix poterit dubium moveri. Et nexus cum epistola ad Philemonem in aperto est positus : in utraque epistola eadem conditio personarum exhibetur : nominatur Archippus, vir colossensis (Col. 4,17; Philm. 2), Onesimus, Epaphras, Aristarchus, Marcus, Demas, Lucas (Col. 4,10.14, Philm. 23). Quae sit similitudo cum epistola ad Ephesios simul cum multiplici varietate locutionum, supra iam expositum est et ostensum, solum sufficienter explicari, si utraque epistola eidem auctori attribuitur, qui ex epistolis ad Colossenses et ad Philemonem est Paulus apostolus. Etiam *Haupt* fatetur supposita genuinitate aenigma epistolarum ad Eph. et Col. facilius solvi et tantam cerni in utraque epistola consensionem in modo cogitandi singulari et in indole particulari, quae neque imitatione potuerit effici neque apud duos eadem ratione inveniri (p. 82).

Testimoniis externis clare quoque asseritur origo paulina; *Marcion* eam habet ordine temporis in suo catalogo decem epistolarum paulinarum (cf. Tertull. c. Marc. 5,19; Epiphan. haer. 42,9), eam recenset *fragmentum Muratori.*, quod sententiam ecclesiae romanae nobis praebet; de sententia ecclesiae africanae nos docet *Tertullianus*, de sententia ecclesiae gallicae *S. Irenaeus*, de sententia alexandrinae *Clemens* alex. (cf. Tert. de praesc. 7; resurr. c. 23; Iren. c. haer. 3,14; 5,14; Clem. Strom. 1,1; 4,8). Apud priscos haereticos epistolam notam fuisse, produnt quae in Philosophumenis afferuntur de *Docetis* et *Peratis* et quae Irenaeus refert ex verbis *Valentini* et Clemens alex. de *Theodoto* (cf. Philos. 8,10; 5,12. Iren. c. haer. 1,3; Clemens Excerpt. Theod. 19. 31. 43. (Vide si placet *M.* lat. 2,20. 825. 519; *M.* gr. 7,914. 1162. 473; 8,705. 1276; 9,668. 673. 680; 41,708; 16,3162. 3355).

De commentariis.

Vide supra in Proleg. ad ep. Eph. p. 19.

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM AD EPHESIOS

Inscriptio epistolae. Benedictionis spiritualis excellentia,

Praemissa inscriptione consueta (*v.* 1) *bonorumque adprecatione* (*v.* 2) *apostolus Deo laudem dicit ob beneficia in nos collata* (*v.* 3), *quorum excellentiam describit primo ab aeterna electione ac praedestinatione* (*v.* 4-6), *secundo ab opere et divino consilio per Christum exhibito* (*v.* 7-12), *tertio a dono et arrha Spiritus sancti* (*v.* 13-14), *quae tria in laudem gloriae eius fieri ter repetitur* (*v.* 6. 12. 14).

1. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi et fidelibus in Christo Iesu.* 2. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*	1. Παῦλος ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν (ἐν Ἐφέσῳ) καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 2. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Simili modo, quo in plerisque epistolis, Paulus in hac inscriptione, quae consuetis tribus membris constat (nomine illius qui epistolam dat, designatione illius cui epistola designatur, adprecatione gratiae; cf. ad 1 Cor. 1,1), apostolicam suam dignitatem asserendam duxit. Publicas quidem litteras daturus, ut plenam verbis suis tribueret auctoritatem, sese appellavit *apostolum Iesu Christi per voluntatem Dei*, vel ut alibi dicit secundum imperium Dei (κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ 1 Tim. 1,1) cf. 1 Cor. 1,1; sese dicit vocatum a Deo (Rom. 1,1). Quare nolim cum *Euth.* simpliciter explicare : ἀπόστολος Χριστοῦ τουτέστιν ἀποσταλεὶς ἀπὸ Χριστοῦ, nam vocatio seu missio hic Deo attribuitur, uti etiam Gal. 1,15.16; proinde explicandus est genitivus Iesu Christi genitivus possessivus (ut grammatici loquuntur) est scil. apostolus quem Christus habet, qui secundum Dei voluntatem munus legationis pro Christo subire, causam Christi propagare, in ministerio Christi sedulo occupari debet. Provocans ad Dei voluntatem significat Deum ipsum per suum os exhortari neque se illa, quae fidelibus necessaria esse iudicaverit, etiam nunc, licet sit vinctus, libere proloqui vereri (6,20; 2 Cor. 5,20); pariter autem profitetur una ex parte se hoc munus non propria voluntate assumpsisse, neque suis meritis obtinuisse, sed tamquam gratiam a Deo ipso accepisse (Gal. 1,15), altera vero ex parte sibi ipso suo munere divinitus collato necessitatem evangelii praedicandi fidelibusque invigilandi divinitus impositam esse insinuat (1 Cor.

9,16). Unde titulum suae missionis palam exhibet et opus est inculcare fidelibus, Dei vocatione et voluntate aliquem fieri ministrum Christi.

Pro more nomini suo appellationem eorum subiungit ad quos litterae dantur: *omnibus sanctis*, adiectivum *omnibus* cum a pluribus gravioribusque testibus omittatur, non videtur esse genuinum; si quis vero ob latinorum et aegyptiorum (cop. vers.) auctoritatem retinere voluerit, illud simili modo atque in ep. ad Rom. inscriptione interpretabitur. Etenim quia epistola nostra, id quod ex argumento satis elucet, proxime fidelibus ex gentibus destinatur, dici potest apostolum inserto vocabulo *omnibus* praecavere voluisse, ne Iudaeochristiani epistolam ad se nihil pertinere rati monita eius, quasi sibi non essent data, spernerent aut ne gligerent (cf. *Cornely*, Com. in Rom. 1,7 p. 51). Ceterum adiectivo illo omisso sensus inscriptionis vix ac ne vix quidem mutatur, cum illa appellatione sanctorum ac fidelium in Christo omnia ecclesiae membra am satis manifeste comprehendantur (cf. Col. 1,1). Namque *sancti* (οἱ ἅγιοι) vel potius cum appositio *in Christo* ad ambo nomina utpote uno articulo copulata (τοῖς ἁγίοις... καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ) trahenda sit, *sancti in Christo* (cf. Phil. 1,1; 4,21) omnes fideles a Paulo vocari solent, quatenus baptismo mundati, a mundo segregati divinoque servitio consecrati sunt; iidem nominantur *fideles in Christo*, eorum sanctitas seu consecratio et eorum fides fundatur et firmam radicem habet in Christo, cum quo iam vitae quandam societatem inierant complantati cum eo (Rom. 6,5). Nomine sanctorum Paulus solos quidem Christifideles designare solet, quare etiam plerumque hoc solo in inscriptione utitur; hoc tamen in loco, uti Col. 1,1 quoque, alteram *fidelium* appellationem addit, qua simul explicite enuntiatur, qua conditione et qua animorum dispositione tandem per baptismum sint consecrati.

Tertium inscriptionis membrum, salutis vel potius spiritualium bonorum adprecationem pro more adiungit; bona sunt *gratia*, favor divinus seu benevolentia, et pax; cf. 2 Mach. 1,1 τοῖς ἀδελφοῖς χαίρειν.. καὶ εἰρήνην ἀγαθήν, in qua formula graeca salutatio χαίρειν cum hebraica iuncta cernitur; pro χαίρειν in epistolis sacris χάρις scribitur, uti notat Theodorus mops. παραπλήσιόν τι τῇ παρ' ἡμῖν συνηθείᾳ, ὡς ὅταν ἐπιστέλλοντες λέγομεν, ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι χαίρειν. τὸ χάρις ὑμῖν τίθησιν, ὥσπερ ἡμεῖς τὸ χαίρειν ἐν ταῖς ἐπιγραφαῖς τῶν ἐπιστολῶν εἰώθαμεν (cf. *Swete* l. c. I p. 118 II, p. 2); ceterum vide 1 Cor. 1,3 et 2 Cor. 1,2. Aequali ratione dona haec efflagitantur a Deo patre nostro et Iesu Christo, unica praepositione ἀπό utramque personam coniungente; unde Patres graeci et latini (contra Arianos praecipue) divinam Christi naturam probare solent. Sedulo quoque notant graeci ad. v. 1 per voluntatem Patris, διὰ quoque Patri convenire neque ea particula declarari conditionem inferiorem, si v. g. de Filio Dei dica-

tur : omnia per ipsum facta sunt (cf. *cat. Cr. Chrys. Oec. Thph. Euth.*; etiam *Hier.* notat : per non praeiudicat Patri). In epistolis pastoralibus ponuntur χάρις, ἔλεος, εἰρήνη, in reliquis : gratia et pax.

De forma epistolarum privatarum multa colligi possunt ex papyris. Nomen eius qui mittit epistolam generatim primo loco positum reperitur, exceptis libellis (epistolis) et supplicibus et querulis, in hisce et in epistolis ex saec. 4 post Chr. dativus primo loco legitur. Quandoque deest inscriptio ; singularis est forma χαῖρε Οὐαλεριανέ, παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ, B. Pap. 435, et Γαιανός, χρηστέ μου ἀδελφέ Ἀγ. χαῖρε, Oxyrh. 122 a. d. 23. Exempla quoque habentur, ubi deest χαίρειν, vel scribitur πλεῖστα χαίρειν, vel ubi lacuna cernitur inter dativum et χαίρειν. Supplendum erit λέγω vel εὔχομαι, vide 2 Ioan. 10. 11 καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε. At facta est formula salutionis simpliciter; ita v. g. B. Pap. 93 : Ἀβοῦτι οὐετερανῷ χ(αίρειν) π(αρά) Ἡτολ(εμαίου) υἱοῦ. Vide *Ew.* p. 56. 57.

1,3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo,* 4. *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius, in caritate,* 5. *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae,* 6. *in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo;*

7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius,* 8. *quae superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia,* 9. *ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo,* 10. *in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt, in ipso,* 11. *in quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,* 12. *ut simus in laudem gloriae eius, qui ante speravimus in Christo,*

13. *in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto,* 14. *qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius.*

1,3. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ, 4. καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναι ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους κατενώπιον αὐτοῦ, ἐν ἀγάπῃ, 5. προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτόν, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, 6. εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἧς ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.

7. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, κατὰ τὸ πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ, 8. ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, 9. γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, 10. εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ ἐπὶ τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν αὐτῷ. 11. ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, 12. εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον δόξης αὐτοῦ τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριστῷ.

13. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, 14. ὅ ἐστιν ἀρραβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ.

In v. 11 εκληθημεν A D E F G d e g vocati sumus; in v. 14 ος ℵDEK al longe plu Did Chr Thdrt Dam Phot apud Oec Thph.

Incipit apostolus a laudibus Dei celebrandis, et quam merito annuntianda sint Dei praeconia, statim exhibetur v. 3 *qui benedixit* etc., compendio quodam universa Dei in nos collata beneficia complectendo. Fieri initium a laude apparet ipsa voce εὐλογητός et ter repetito illo *in laudem gloriae eius* v. 6. 12. 14. Et εὐλογητός quidem iam recte explicuit *Thd. M.* ἀντὶ τοῦ ἐπαινεῖσθαι καὶ θαυμάζεσθαι ἄξιος, dignus quem laudemus et miremur, et *Euth.* εὐφητός ὑμνητός, insuper notum est verba in τός potius id efferre quod fieri possit et congruere latinae formationi *ilis*, ὁρατός visibilis, μεμπτός vituperabilis vel vituperandus, στρεπτός versatilis. Quare εὐλογητός laudabilis, laudandus, celebrandus explicetur oportet (cf. *Ab. Hpt. Corn.* ad. 2 Cor. 1, 3); unde supplendum erit, non *sit* (id quod *Bels.* vult) sed est, quemadmodum *Victorinus* praebet : benedictus est, et *Ambr.* recte sensum expressit : benedicitur Deus, cum laudibus dignis extollitur. Quod sequitur *Deus et pater Domini nostri* dupliciter legi posse veteres iam advertunt, ita scil. ut genetivus a solo nomine praecedente dependeat vel ab utroque (cf. *Theod. M. Hier. Euth.*); de utraque acceptione egit *Corn.* ad 2 Cor. 1,3 et merito praefert secundam : « benedictus Deus qui Christum secundum humanitatem creavit, et secundum divinitatem genuit, atque ita est Deus et pater eius » (*Herv.*) vel benedictus Deus eius, qui assumptus est hominis, et pater eius qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum (*Hier.*) et secundus hic sensus planior est magisque fluit (*Lap.*), qui etiam in v. 17 enuntiatur et in ipsis Christi verbis indicatur : ascendo ad Deum meum (Ioan. 20, 17). Plura de ea re vide *Corn.* ad 2 Cor. 1, 3.

Nostra benedictio Dei est laus et gratiarum actio, agnitio et celebratio maiestatis eius; benedictio autem Dei nobis facta sunt dona eius et beneficia; nam Dei benedicere benefacere est (*Est.*). Iam beneficiorum et cumulus et excellentia breviter quidem, sed praeclare describitur : *benedixit nos in omni benedictione spirituali*, nullum donum nobis conveniens et utile ab eius beneficentia excluditur, dona omnis generis, quaecumque pro hominibus statuit, contulit; eaque sunt ordinis altioris, *spiritualia;* est nempe πνεῦμα, spiritus apud nostrum apostolum vel ipse Spiritus sanctus, vel illud Dei et Spiritus sancti donum, illa animi indoles et habitudo, qualitas, cuius virtute homo vitae supernaturalis particeps efficitur vel consors fit divinae naturae (2 Petr. 1, 4). Inde elucet excellentia omnis benedictionis, doni, spiritualis, quae sunt subsidia et auxilia ad fovendam augendamque vitam illam supernaturalem; *in coelestibus* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, saepe referunt vocem ad dona et beneficia quae non terram respiciunt, sed coelum, ne scil. terrena sapiamus sed quae sunt in coelis τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς (*Chrys.*) et *Theod. M.* ἐν τ. dici vult ἀντὶ τοῦ περὶ τῶν ἐπουρανίων, benedictionem esse circa coelestia, non ut terram

hereditemus nec terrena sapiamus, similiter *Oec. Thph.* ἐπουράνια πάντα, neque aliter *Hier :* omnis benedictio de coelestibus computatur. Bene autem advertit *Est.* vocem eam quinquies in hac epistola legi neque usquam alibi ; legi 1,20 ; 2,6 ; 3,10 et 6,12 et nomen quidem in his omnibus significare loca quae supra nos sint (ad dexteram suam in coelestibus, consedere fecit in coelestibus, potestatibus in coelestibus). Unde merito infertur etiam in 1,3 sensum localem esse retinendum.

Sed ad quid referatur ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, disputatur. Ad Deum qui exsistat in coelis aliquos vocem trahere *Lap.* commemorat neque tamen ei placet, et merito quidem ; repugnat enim ipsa collocatio nominis ; notionem localem perspexit *Euth.* ἄνωθεν τοῖς κάτω χαριζόμενα de supernis beneficia obtingere iis qui infra degunt ; at id potius ἀπ' οὐρανοῦ supponit ; alii exponunt : benedictione spirituali provehimur ad coelestia gloriae loca ; sensus quidem localis servatur, at nimis facile relinquitur notio ἐν τοῖς neque talis permutatio praepositionum hodie admittitur, quae utique veteribus familiaris erat. Relinquamus itaque vocem in suo loco. Arcte adiungitur ad notionem *in omni benedictione spirituali*, ergo beneficia haec supernaturalia quasi domicilium suum, fontem suum ac locum proprium habere in coelestibus regionibus, ibi esse thesauros illos repositos, ex quibus singula nobis proveniunt. Quae notio valde commendatur eo quod sequitur *in Christo* (qui iam est ad dexteram Patris in coelestibus), in quo omnia pro nobis dona et beneficia conclusa sunt. Quidquid enim benedictionis spiritualis sperare possumus, id omne in Christo tamquam in causa meritoria est repositum et totus ordo supernaturalis in Christo tamquam in suo centro constituitur. Quam arcte consistant in Christo cuncta consilia Dei Patris de salute hominum, uti hoc loco iam indicatur, ita per totam epistolam sublimi modo pertractatur. Eius rei indicium quoddam et praeludium cernitur in promissione Abraham, patri fidelium, facta : benedicentur in te, in semine tuo omnes nationes terrae (Gen. 12,3 ; 18,18 ; 22,18), quae benedictio omnibus gentibus contingit in Christo, uti apostolus Galatis scribit (Gal. 3,14).

Quod in v. 3 universe et summatim dictum est omnem benedictionem spiritualem in Christo nobis obvenire, in subsequentibus per singulas partes explicatur. Et primo quidem enuntiatur, hunc modum a Patre constitutum, ut in Christo cuncta beneficia reponantur conclusa, plane consentaneum esse consilio divino iam ab aeterno concepto, v. 4 *sicut* καθὼς, si quidem *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, i. e. ab aeterno, nam tempus incepit simul cum creatione rerum, quod autem est ante initium temporis, est aeternum ; ita solet aeternitas designari Ioan. 17,24 et 1 Petr. 1,20, ubi pariter dicitur Christum quasi agnum

immaculatum praecognitum fuisse ante mundi constitutionem ; de electione fidelium ab aeterno sermo fit quoque 2 Thess. 2,13 secundum lectionem ἀπ' ἀρχῆς : debemus Deo gratias agere, quod elegerit nos ἀπ' ἀρχῆς in salutem (cf. Rom. 8,29). Fidelibus autem suggeritur magna in Deum caritas et gratiarum actio, simulque insignis suae ad fidem vocationis aestimatio, cum sibi conscii esse debeant, se ab aeterno esse a Deo electos, se itaque ab aeterno, antequam exsisterent, a Deo esse dilectos; Deus autem eos elegit ἐν αὐτῷ, *in ipso*, in Christo, ratione habita Christi eiusque operis redemptionis, quia omnia beneficia divina in uno Christo fundata nobis obveniunt; neque enim est aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4,12). Haec autem electio ad fidem intuitu Christi ab aeterno facta in id dirigitur et tendit pro tempore vitae εἶναι ἡμᾶς, bene explicant graeci : ὥστε, ἵνα ὦμεν (*Chrys.*), εἰς τὸ εἶναι (*Euth. Oec.*), *ut essemus sancti* ἁγίους, segregati a mundo et consecrati Deo, quam conditionem exprimamus in vita, ἀμώμους *et immaculati*, expertes maculae, sceleris, adeoque vere puri *in conspectu eius*, coram eo, scil. ut essemus in oculis Dei inculpati, irreprehensibiles; merito adnotat *Est.* : « addit autem apostolus *in conspectu eius*, significare volens de vera sanctitate et integritate vitae se loqui, qualis iudicio Dei omnia cernentis probetur ». Quia electio in hunc finem et statum vitae fiat in Christo, simul consequitur, istum statum non posse haberi neque conservari nisi in Christo, in coniunctione cum eo, eius ope et auxilio.

Iam *Hier.* notat, dupliciter legendum esse, ut *in caritate* vel cum superioribus vel cum inferioribus copuletur. Qui ad superiora referunt, explicant de Dei in nos caritate qua elegit (*Oec. Thom. Iust. Nat.*); verum obstat ipsa vocis collocatio, qua ἐν ἀγάπῃ nimis distat ab ἐξελέξατο; alii accipiunt de nostra in Deum et proximos caritate, in qua simus sancti et immaculati (*Ambrst. Lap. Bels.*); at nec collocatio placet nec sensus; neque enim immediate iungitur ἐν ἀγάπῃ cum illis attributis et quid sibi vult : ut simus incontaminati seu irreprehensibiles in nostra erga Deum caritate? Restat tertium idemque obvium et optimum, ut cum sequentibus iungatur (*Chrys. Thph. Est. Ew.* ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς, id quod *Hier.* pariter admittit et *Fulgentius* habet : qui in caritate praedestinavit nos (*M.* 65,654) et *Est.* inde confirmat, quod Scriptura passim beneficium praedestinationis et salutis nostrae adscribat caritati Dei Patris erga genus humanum, ut Ioan. 3. *sic dilexit Deus mundum* etc., item Rom. 5 et 8, et iterum hac epistola cap. 2 *Deus propter nimiam caritatem qua dilexit nos convivificavit nos in Christo ;* ratio quidem haec quadrat in primam expositionem, sed illi obstat hyperbaton, quod per hanc Graecorum expositionem facile evitatur. Simul cum illa aeterna electione Deus destinavit ac statuit ab aeterno in eximia sua

erga homines caritate, ut nobis conferretur adoptio filiorum προορίσας εἰς υἱοθεσίαν. Benedictio illa spiritualis v. 3 iam accuratius declaratur filiatione adoptiva, qua filii Dei nominamur et sumus (1 Ioan. 3,1), et si filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi (Rom. 8,17), et insuper, quoniam estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : abba, Pater (Gal. 4,6). Hanc autem excellentiam dignitatis et hunc iuris titulum ad eximia Dei bona et beneficia Deus nobis largitur *per Iesum Christum*, per meritum Filii eius naturalis, qui dat potestatem filios Dei fieri his qui credunt (Ioan. 1,12). Quam filiationem apostolus designat : filii Dei estis in Christo, quicumque enim in Christum baptizati estis, Christum induistis (Gal. 3,26. 27 graece). Quod additur *in ipsum* εἰς αὐτόν, recte explicat *Euth.* εἰς υἱοθεσίαν τὴν εἰς αὐτόν (sim. *Oec.*), ut filii Dei nominemur et habeamur (*ThdM.*); haec quippe filiatio non est adoptio ab homine facta, sed est adoptio a Deo concessa, facit filios Dei, quorum indoles ac dignitas filialis spectat ad Deum, refertur ad eum.

Haec autem praedestinatio in adoptionem filiorum facta est *secundum propositum voluntatis suae* κατὰ τὴν εὐδοκίαν secundum beneplacitum (v. 9); notat *Hier.* vocem esse ex graeca translatione assumptam : εὐδοκία רצון Septuaginta transtulerunt rebus novis nova verba fingentes. Summa exprimitur libertas Dei in constitutione ordinis supernaturalis ; complacuit Deo tantam exhibere manifestationem suae bonitatis, quanta cernitur in communicatione gratiarum ac donorum ordinis supernaturalis. Relucet in ea manifestatione, in illa benedictione spirituali, in filiatione adoptiva, in opere Christi, maiestas et excellentia divinae bonitatis, quae est simul ratio cur ei placuerit talem condere ordinem sublimem; quare additur v. 6 *in laudem gloriae gratiae suae*, suam enim spectat gloriam, quam a nobis agnosci et laudibus ac actione gratiarum vult praedicari et extolli, « ut ex magnitudine eius in nos caritatis, quae sempiterna laude digna sit, nostra in ipsum benevolentia maiora capiat incrementa » (*Iust.*). Dei enim in nos caritas (ἐν ἀγάπῃ προορίσας) in nulla alia re fundatur, nisi in summa eius bonitate quam manifestare ei complacet; est itaque quam maxime χάρις, favor ipsa eius benevolentia et clementia, quae χάρις sua excellentia et sublimitate splendet, id est, tamquam δόξα gloria apparet, ideoque a nobis laudibus prosequenda est, quem finem Deus a nobis exposcit εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ. Gratia autem hic non tam gratuitum donum supernaturale denotat, quam iuxta primariam suam significationem est ipsa divina benevolentia, ex qua tamquam a primo suo fonte omnia bona in nos emanant (vide ad Rom. 5, 15.17), ad quam igitur etiam nostra praedestinatio ad adoptionem velut summum beneficium referenda est. Id quippe sententia relativa quae

sequitur diserte declaratur, quia Deus *in sua gratia* i. e. in sua erga nos clementia, *nos gratificavit*, nos sibi gratos acceptosque reddidit et id quidem *in dilecto Filio suo;* haec igitur divina benevolentia nobis obtingit nosque Deo gratos acceptosque facit in Christo, cuius membra fide et baptismo facti sumus. Bene *Chrys.* ad hoc beneficium clare efferendum vim genuinam ac potestatem verbi ἐχαρίτωσεν explicat : non tantum a peccatis nos liberavit sed etiam amabiles ἐπεράστους (amore dignos) nos fecit.

Verbum χαριτοῦν profanis scriptoribus incognitum solum legitur Eccli. 18,16 (17) et Luc. 1,28 et hic. Iam graeci illud idem valere aiunt quod χαρίεντα καὶ ἐπέραστον ποιεῖν τινά, gratum, amabilem facere aliquem (cf. *Chrys. Theod. Oec. Thph. Dam. Euth.*), eundem sensum vulgatus interpres suo gratificavit attribuit, uti Pelagio praeeunte vix non omnes latini explanatores censent. Eadem explicatio etiam ad Eccli. 18,17 congruit, ubi latinus interpres participium κεχαριτωμένος suo *iustificatus* liberius quidem sed satis fideliter reddidit, ac praesertim ad Luc. 1,28 ubi b. Virgo ab angelo κεχαριτωμένη salutatur. Cum itaque Deus fideles sibi gratos acceptosque reddidisse dicatur, enuntiari hic doctrinam de iustitia inhaerente seu de gratia sanctificante merito censent theologi. Quod lectionem attinet, plerique testes et editiones praebent ἧς, alii ἐν ᾗ, *Thph* ᾗ. Genetivum ἧς attractione ad genetivum praecedentem χάριτος ortum esse omnes consentiunt. At genetivum hunc non pro accusativo ἥν positum esse, ex ipsa notione χαριτοῦν consequitur; quare assumere dictionem χάριν χαριτοῦν τινά, ut *Hpt.* vult, non licet iam ex eo quia χάρις hoc loco non donum gratuitum significat. Habetur igitur attractio hoc loco liberiore quodam modo, qui apud Paulum et in novo testamento saepius cernitur (cf Rom. 4.17; 2 Cor. 1,4; Eph. 4,1; Act. 1,22; 24,21; 26,16; Iudae 15 etc.): dativus ᾗ est instrumentalis sensuque cum ἐν ᾗ plane consonat.

Longe maiore numero testium et auctoritate commendatur lectio communior graeca ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, sensu quidem a vulgata lectione (*in dilecto Filio suo*) non differt, at ob maiorem quae ei inest vim praeferenda est. Christus enim, cum quasi nomine proprio *Dilectus* vocetur, singulari ratione et prae omnibus quae cogitari possint Patri dilectus esse significatur.

Ut beneficii de quo gratias agit magnitudinem ostendat, varias quodammodo praedestinationis causas complectitur ; efficientem (secundum beneplacitum voluntatis suae), motivam (in caritate), meritoriam (per Iesum Christum), finalem proximam (in adoptionem filiorum i. e. in ipsum), finalem ultimam et supremam (in laudem gloriae gratiae suae.

Aliqua notanda restant. Dictionem *in ipsum* εἰς αὐτόν nonnulli antiquiores latini (*Ambrst. Thom. Herv.*) referunt ad Christum velut ad causam exemplarem praedestinationis nostrae, quatenus « Christo tamquam capiti et exemplari conformari debeamus, hic per Dei cognitionem amoremque et gratiam, in futuro autem per gloriam » (*Lap.*). Quamvis haec explicatio aliqua forte probabilitate non careat, cum graecis tamen plerique iuniores et recentiores pronomen αὐτόν velut reflexivum ad sententiae subiectum (Deus) aptius referunt, ita ut dictio εἰς αὐτόν tamquam complementum priori membro εἰς υἱοθεσίαν adiungatur, utpote quod non satis definitum esse videatur, cum per se non exprimat, cuius filii futuri simus; unde Deus praedestinavit nos, ut per Iesum Christum filii sui adoptivi essemus, ut *Euth.* ait: ὁ γὰρ Πατὴρ προώρισεν ἡμᾶς υἱθετηθῆναι αὐτῷ. Recentissimi editores pronomen reflexivum 3 pers. tempore apostolico formis ἑαυτοῦ vel αὐτοῦ exprimi solitum esse censent (cf. Tischendorf-Gregory, Nov. Test. III p. 126; *Blass* § 13,1; *Winer-Schmiedel*, Gram. p. 211).

In v. 5 lectio vulg. *secundum propositum* forte ad errorem librariorum referri debet. Nam *propositum* ubique (praeter hunc locum) in novo test. respondet graeco πρόθεσις, cui etymologice congruit (cf. Act. 11,23; 27,13. Rom. (4,5); 8,28; 9,11. Eph. 1,11; 2 Tim. 1,9; 3,10); εὐδοκία a vulgato interprete variis quidem nominibus est translatum: voluntas (Rom. 10,1; 2 Thess. 1,11), bona voluntas (Luc. 2,14; Phil. 1,15; 2,13), placitum (Matth. 11,26; Luc. 10,21), beneplacitum (Eph. 1,9), at nunquam idem est nec esse potest quod propositum. Accedit quod antiqua versio latina (*Ambrst. Hier. Aug.* de praedest. sanct. 18,36) hic revera *placitum* exhibet, pro quo *Hier.* (in Comm.) legere maluit beneplacitum. Addi potest graecorum explicatio qui ad propriam εὐδοκίας significationem respicientes bonam promptamque voluntatem, seu benevolentiam clementiamque designatam vident; unde *Theod.* (cf. *Oec.*): munificentiae magnitudinem admirans stupensque subiunxit κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, hoc voluit, hoc ei placuit; εὐδοκίαν enim Scriptura vocare solet benefaciendi studium (τὴν ἐπ' εὐεργεσίᾳ βούλησιν).

Apostolus v. 4-6 exposuit aeternum divini beneplaciti consilium et ultima sententia relativa iam indicavit ipsam exsecutionem aeterni consilii electionis ac praedestinationis nostrae. Ad hanc ulterius declarandam nunc progreditur, exponens quaenam bona spiritualis benedictionis nobis in Christo collata sint (cf. v. 3). Et statim tangitur illud quod ante omnia naturae hominis lapsae conferri debuit v. 7 *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius*, nos *in* Christo *habere* redemptionem non tam significat nos per Christum esse redemptos, quam in eo velut in fonte nunc iam nostram redemptionem reperiri, ita ut non nisi cum eo coniuncti et uniti illam obtinere et possidere possimus; nam ἐν hic proxime a verbo ἔχομεν dependet. Porro *redemptio* ἀπολύτρωσις proprie designat servi vel captivi liberationem quae per iusti pretii λύτρον solutionem efficitur. Christus sanguinem suum tamquam pretium non solum iustum ac sufficiens, sed superabundans divinae iustitiae offerens nos redemit, ergo per sanguinem suum; vide Rom. 3,25; 5,9; Col. 1,14.20; Hebr. 9,14. 1 Petr. 1,19. 1 Ioan. 1,7; Apoc. 1,5; 9,5.

Huius redemptionis primum et certo quodam modo primarium fruc-

tum appositione subiungit *remissionem peccatorum*, non condonationem qualemcumque, sed veram remissionem, τὴν ἄφεσιν, i. e. ablationem et exstinctionem peccatorum omnium Christus nobis promeruit. Quam autem excellens hic modus redemptionis sit et quantam bonorum ubertatem pro nobis contineat, indicatur cum addatur *secundum divitias gratiae eius*, αὐτοῦ scil. Dei, de quo antea et postea potissimus texitur sermo; nam apostolus id praeprimis agit, ut beneficiis quae Deus Pater in Christo concessit recensitis Patris gratiam ac clementiam commendet; quam donis non exhauriri ostendit de eius *divitiis* loquens (cf. Rom. 2,4; 9,23; 11,33). In redemptione et remissione peccatorum iam aperiuntur nobis divitiae gratiae Dei; verum abundantiores quoque pro liberalitate divina offeruntur v. 8 *quae superabundavit*, ἧς ἐπερίσσευσεν quam superabundare fecit; ponitur ἧς vi attractionis (τῆς χάριτος αὐτοῦ v. 7) pro ἥν et περισσεύειν rite vertitur sensu transitivo *abundare facere* in vulg. 2 Cor. 9,8 et 1 Thess. 3,12, quae eadem notio ex ἧς hoc quoque loco exigitur; hanc abundantiam gratiae εἰς ἡμᾶς *in nobis* seu erga nos (relate ad nos) exhibuit Deus *in omni sapientia et prudentia*, tantam horum donorum copiam conferens, ut abundemus in iis; cf. ἐν similiter 2 Cor. 3,9; 8,7.8. Phil. 1,9. Col. 2,7. Eximia illa dona et charismata intelliguntur, quibus multiplex rerum divinarum intelligentia, sapientia quaevis pro illustratione mentis, et normae pro quavis prudentia in agendi ratione, fidelibus communicantur; videtur alludi ad largam effusionem donorum Spiritus (1 Cor. 12,4-11. Rom. 12,6-8. Col. 1,9 1 Thess. 5,19.20).

Cuius doctrinae revelatione effecta sit haec superabundans effusio gratiae secum afferens omnem sapientiam et prudentiam pro cognitione ac vita, declaratur : v. 9 *ut notum faceret* γνωρίσας, dum nobis notum fecerit *sacramentum voluntatis suae* τὸ μυστήριον, arcanum illud et reconditum Dei consilium, quod a sola libera Dei voluntate dependet neque cuiquam innotescere potest nisi Deus revelaverit. Hoc secretum Dei consilium describitur in subsequentibus, *secundum beneplacitum suum* κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, iterum effertur liberrimum Dei propositum seu decretum, *quod proposuit in eo* ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, quod in Christo valere et in opus deduci sibi constituit v. 10 *in dispensatione* εἰς οἰκονομίαν ad institutionem *plenitudinis temporum*. Οἰκονομία proprie ac proxime id sonat, quod administratio domus rerumque domesticarum sive suprema ipsius patris familias (τοῦ οἰκοδεσπότου Matth. 20,1 etc.) sive inferior procuratoris ab hero constituti (cf. Luc. 16,2; ubi vulg vertit : villicatio) ; sed inde iam ab Aristotelis aetate de administratione reipublicae fructuumque publicorum tum suprema tum inferiore adhibetur ; a Paulo autem (et Petro) in sermonem sacrum recepta dictio non tantum ad munus sibi

veluti procuratori concreditum, ad spiritualium regni messianici bonorum dispensationem et administrationem transfertur (1 Cor. 9,17; Col. 1.25; eodem sensu translato οἰκονόμος 1 Cor. 4,1.2; Tit, 1,7; 1 Petr. 4,10), sed etiam ad supremam aeternamque illam administrationem, qua Deus universum salutis nostrae regnum cum omnibus suis gratiis ac donis praeparavit, in mundum invexit, ad perfectionem paulatim adducit ac tandem gloriose consummabit.

Ultima hac significatione in nostro loco sumitur et addito genetivo *plenitudinis temporum* accuratius definitur; nam locutione τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν (cf. Gal. 4,4) eadem aetas designatur, quae ab apostolo alibi τὰ τέλη τῶν αἰώνων fines saeculorum 1 Cor. 10,11, aut συντέλεια τῶν αἰώνων (Hebr. 9,26), aut uti a Petro et Ioanne quoque dictionibus ad prophetarum usum loquendi, propius accedentibus ἔσχατος καιρός novissimum tempus (1 Petr. 1,5) ἐσχάτη ὥρα (1 Ioan. 2,18) appellatur, ipsa nimirum aetas messianica, quae a primo Domini adventu initium sumens secundo eius adventu eatenus terminatur, quatenus Christus omnibus hostibus prostratis electisque in beatitudinem adductis imperium illud, quo ad regnum suum fundandum propagandumque usus est, non iam exercebit (cf. *Cornely* in 1 Cor. 15,24). Tempus autem ipsum in hac dictione velut vas quoddam spatiosum cogitatur quod decurrentibus periodis, quae generi humano assignatae sunt, impleri debuit, atque plenitudo temporum definitorum (τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν) advenit, quando spatium praeparationi regni messianici assignatum erat expletum ipso primo Christi adventu, uti res proponitur Gal. 4,4 at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Liberum illud decretum Dei spectat igitur ad administrationem et gubernationem aetatis messianae.

Iam sacramentum voluntatis Dei est secundum beneplacitum Dei, ex liberrimo eius decreto quo administrationem spectabat temporis messiani, *instaurare omnia in Christo*, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. Cardo rei vertitur in acceptione vocis ἀνακεφαλαιώσασθαι [1], legitur adhuc semel apud Paulum ἀνακεφαλαιοῦται Rom. 13,9 : non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo *instauratur :* diliges proximum tuum sicut teipsum. Inde petenda erat explicatio, quae sane haec erit : in hoc verbo *diliges* colliguntur, continentur et cum eminentia quadam exhibentur et perfecte complentur illa reliqua mandata. Si haec

1. Vocem explicat *Zorell :* repetens breviter rei summam ac caput (κεφάλαιον) dico, ad caput omnia quae dixi revoco, ad unum caput omnia redigo (Lexicon graecum novi testamenti).

notionem transferimus ad nostrum locum, explicabimus : *omnia, quae in coelis et in terra sunt*, praeclarissima quaeque bona vel quidquid boni, pulchri, quidquid appetibile reperiri potest in coelis et in terra, omnia continentur et excellenti modo collecta et quasi in unam summam seu formam redacta exhibentur in Christo. Sacramentum seu mysterium voluntatis Dei quod pro tempore messiano notum fecit est summa Christi excellentia, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col. 2,3). Est itaque mysterium Dei omnibus patefactum, omnia et singula bona coelestia et supernaturalia pro vita nostra terrestri nobis exhiberi et esse conclusa pro tempore et aeternitate in Christo. Quae cognitio si altas radices in animis egerit, abundanti gratiae Dei accepta refertur (v. 8).

De hac parte aliquae agitantur quaestiones. Verba v. 8 *in omni sapientia*, aliqui ad Deum referunt; ita *Oec.* σοφῶς καὶ φρονίμως ἐγνώρισεν ἡμῖν; item *Euth.* πανσόφως καὶ φρονίμως ἀποκαλύψας. At planum est haec verba haud apte de Deo dici; nam πᾶσα σοφία καὶ φρόνησις posset quidem idem valere quod *tota* vel *summa* sapientia, πᾶσα ἡ σοφία (uti *Haupt* ostendit); at saltem ex novo testamento nullum eius usus exemplum afferri potest; sensus eius dictionis continuo est *quaevis* vel *omnis generis* sapientia (cf. Matth. 3,15. Act. 7,22. Col. 1,11), id quod de Deo vix dici potest eum aliquid facere in quavis sapientia; accedit quod φρόνησις *prudentia* certe explicationem de hominibus indicat. Neque offensioni esse potest fideles dici omni sapientia et prudentia a Deo esse donatos; nam eodem modo de fidelibus sermo fit Col. 1,9; 3,16. Ceterum *Euth.* aliter quoque explicat : ἐμπλήσας ἡμᾶς πάσης σοφίας πνευματικῆς καὶ φρονήσεως ἀληθινῆς. Dicit quidem *Hier.* posse etiam accipi : in omni sapientia revelatum est mysterium, iuxta quod fideles consequi poterant, et ita verba ad sequentia trahunt *Theod. Thph. Euth. Oec.;* at merito plerique ea ad superiora adnectunt. De qua iunctione pluribus agit Origenes in cat. Cr. 112.

Legitur in vulgata : *ut notum faceret* ex lectione γνωρίσαι (F. G., quam sequuntur d e f g go Victorin Ambr. Aug); at lectio genuina est γνωρίσας, de qua plura habet Orig. l. c. et *Hier.* praebet *notum faciens*. Ita solum proponitur sensus rectus; debet nempe declarari, quomodo Deus abundare fecerit gratiam in omni sapientia et prudentia, neque enim ipsa revelatio est finis et scopus eius abundantiae gratiae.

Quomodo singula membra in v. 9. iungenda sint, disceptatur. At res ipsa collocatione videtur satis demonstrari; nam ἣν προέθετο non potest separari a κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, εἰς οἰκονομίαν necessario videtur iungendum esse cum προέθετο, ut plenus habeatur sensus, quare haec sententia relativa addatur ad κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, nam si Deus dicitur habere beneplacitum, valde superfluum esset addere quod sibi proposuit, nisi subderetur ad quid illud direxerit. Unde tria haec membra κατὰ... καιρῶν intime inter se iunguntur et tamquam determinatio adverbialis referri debent ad infinitivum ἀνακεφαλαιώσασθαι, qua dictione infinitiva per modum epexegesis declaratur τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ.

Sed quae est notio istius verbi? syr : ut omnia ab initio (a capite) renoventur in Christo; vulg : instaurare; legunt restaurare *Vict. Ambr.;* ad initium revocare *Tert.* (de Monog. 5), recapitulare *Iren.* (c. haer. 3,16,6; 21,10, etc.), *Tert.* (c. Marc. 5,17), *Hier* (in Comment.). Oportet notare verbum ἀνακεφαλαιοῦν

spectare ad κεφάλαιον, non ad κεφαλή : illud, sicut etiam capitulum, nunquam sicut caput sensu metaphorico praefecti vel principis adhibetur. Quare admitti nequit pervulgata illa explicatio a κεφαλή petita : sub uno capite coniungere vel ad unum caput redigere. Qua notione voci haud recte attributa interpretantur (magis prospicientes ad v. 22, ubi Christus caput supra omnem Ecclesiam datum appellatur) : Deus decrevit, ut utraque, coelestia et terrestria, angeli et homines, ad Christum tamquam ad unum caput revocarentur, ut Christus caput angelorum et hominum constitueretur (*Chrys.* μίαν κεφαλὴν ἅπασιν ἐπέθηκεν, *Est. Iust. Henle, Bels.*). Sententia quidem vera est et ulteriore conclusione ex hoc loco deduci poterit, at non est explicatio litteralis. Alia proponitur quae magis ad notionem κεφάλαιον accedit : id quod in re vel quaestione praecipuum ac gravissimum est (cf. Hebr. 8,1) ; unde κεφαλαιοῦν proxime idem valet quod in summam redigere, seu praecipuas rei vel quaestionis partes summatim colligere et comprehendere, ἀνακεφαλαιοῦν (si ratio habenda est τοῦ ἀνα) summatim repetere, dictorum brevem instituere repetitionem, uti oratores in epilogo facere solent, qua notione *Hier.* recapitulare declarat. Et *Hier.* quidem eum in sensum vocem accipit : universa mysteria et omnis dispensatio in terris et in coelis gesta in Christi passione completur. Notionem summatim rem proponendi etiam exprimunt graeci ; *Chrys.* συντέμνειν, *Thph.* Pater in Christo συνέτεμε τὰ διὰ μακροῦ χρόνου οἰκονομούμενα, et *Oec.* explicat ἀνακεφαλαίωσιν : τὴν σύντομον τῶν πραγμάτων βολήν. Aliis placuit vocem in eam trahere notionem, ut Christus totum mundum per peccatum turbatum et discissum iterum in unitatem et ordinem redigat. Cui sententiae affinis est illa : in ipso instaurantur quae in coelis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur ; instaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines a corruptionis vetustate ad aeternam vitam renovantur (cf. *August.* Enchirid. 62 ; *Iust. Nat.*) ; et similiter explicant *ThdM.* (*Swete*, I p. 130), *Dam.*

Quae ex profanis scriptoribus pro huius vocis explicatione habentur, haec fere sunt : ex locis (Arist. fr. 123.5.1499.33 A et Dion. hal. Ant. rom. 1,90) colligitur notio recapitulandi i. e. summatim recolligendi quae antea exposita sunt. Eodem modo intelligenda est definitio Quintiliani 6,1 quam dat vocis ἀνακεφαλαίωσις : rerum repetitio et congregatio. Apud Strabonem κεφαλαιοῦσθαι dicitur de integra summa quae ex singulis numeris colligitur (2,1 ; ed. Tauchn. 1,145) ; adiungenda erit notio et usus vocis συγκεφαλαιοῦσθαι apud Xenophontem (Cyrop. 8,1.15,8.6.14), ubi scil. narratur, Cyrum multitudinem servorum quibus varia commissa erant negotia et ministeria ita ordinasse et disposuisse, ut per unum omnibus dare posset mandata et munera dirigere idque nominatur συγκεφαλαιοῦσθαι τὰς οἰκονομικὰς πράξεις (*Haupt*), unde iterum enascitur sensus multa congregandi seu comprehendendi in uno, reducendi ad unum κεφάλαιον ; cui congruit quod ex Origene affertur in cat. Cr. εἰς ἓν κεφάλαιον συνάγεσθαι, etc.

Notionem hanc omnia recapitulandi in Christo ita concipit *Lap :* Christus fuit recapitulatio omnium operum Dei visibilium et invisibilium ; omnia enim eius adventum designarunt vel ad eum directa sunt et diriguntur, omnesque eorum dotes, gratias, perfectiones unus in se complectitur Christus ; quidquid in veteribus historiis, in regibus, prophetis excellens est et laude dignum, quidquid virtutis, quidquid praeclare dictum, heroice gestum, quidquid speciosum, Deo gratum, imo si quid inter coelestes spiritus est sanctum, gloriosum, illustre, id multo excellentiore ratione breviorique compendio habemus in Christo.

Ex usu vocis Rom. 13,9 : et si quod est mandatum, in hoc verbo ἀνακεφαλαιοῦται repetitur et summatim comprehenditur, elucet quoque non opus esse ut notio *iterum* ea in locutione deprehendatur. Si quis formae mediali vocis peculiarem significationem attribuere voluerit, eam in dictione κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ iam

reperiet praeformatam. Cum adeo explicite efferatur οἰκονομία dispensatio seu administratio quae pertineat ad plenitudinem temporis, ad aetatem messianam, apparet solum de Christo, de Verbo quod caro factum est, sermonem esse posse. Non sine quadam emphasi legitur hoc loco ἐν τῷ Χριστῷ in ipso illō Christo in quem baptizati estis, in quem creditis ei complantati, tanta bona et insignia ornamenta conclusa sunt.

Aliis tamen non negligenda videtur particula ἀνα, vocemque concipiunt : res discerptas dissipatasque iterum apta dispositione ad pristinam ordinis unitatisque rationem revocare. Quae notio ita ad textum nostrum applicatur. A principio enim Pater universa per Verbum creans et ad Verbum destinans angelos hominesque ad statum supernaturalem pariter elevatos in unum regnum coniunxerat, quod in Verbo quasi comprehenderetur in eoque suam haberet perfectam unitatem. At praeclaram hanc unitatis ordinisque rationem primitus in tota creatione stabilitam peccatum non tantum turbaverat, sed plane subverterat et abstulerat; apostolus autem nunc celebrat Patrem eo quod pro sua misericordia pristinum illud regnum in Verbo incarnato restituere decreverit; in Christo redemptore omnia quae in coelis et in terra sunt recapitulans i. e. membra regni dissipata et disiecta iterum colligens et disponens, ut in Christo quasi comprehensa primitivam suam reciperent unitatem iterumque unum constituerent regnum sapientissime ordinatum.

Locutione : omnia quae in coelis et in terra sunt, proxime quidem creaturas ratione praeditas universas, angelos et homines, designari plerumque statuunt; unde Deus decreto suo voluisse dicendus erit, ut homines per Christum redempti iterum cum omnibus angelis sanctis in Christo et per Christum coniungerentur unumque regnum constituerent. Ad quam interpretationem spectare quoque videtur quod dicitur Col. 1,20, Deum per Christum omnia reconciliasse atque per sanguinem crucis eius ea quae in terris et ea quae in coelis sunt pacificasse; quam pacem concordiamque reconciliatam angelos testatos esse merito dixeris, cum Christo nato gloriam celebrarent Deo in altissimis et in terra hominibus pacem annuntiarent (Luc. 2,13).

Insuper locutio illa : quae in coelis etc. etiam latiore sensu capi potest, ut simul cum creaturis ratione praeditis creaturae adspectabiles ratione expertes comprehendantur; utpote quae nunc quidem post peccatum, uti Paulus docet (Rom. 8,19), vanitati subiectae et servituti corruptionis ingemiscant exspectantes revelationem filiorum Dei, sed quae ipsae quoque aliquando a servitute corruptionis liberatae iuxtá finem primitus a Deo praefixum in primitiva sua perfectione infinitam creatoris sui sapientiam et gloriam perfectissime manifestaturae sint; ad quam conditionem in ultima et perfecta glorificatione filiorum Dei evehendae sunt. Tunc erit restitutio in integrum. Id quod *Theod.* quoque pluribus declarat omnes creaturas per Incarnationis medicamentum fructum quendam percepturas esse.

Ex hac similibusque sententiis antiqui iam haeretici colligere voluerunt, ipsos quoque daemones in integrum restitutum iri atque Christi meritis expiatos in Christi regnum intraturos esse. Quo in errore etiam *Origenes* versatus est (cf. Orig. de princ. 1,6,1. in Ioan. tom. 1,40; *M.* 11,165; 14,43); at non item, ut aliqui perperam putaverunt, *S. Hieronymus*, qui hanc opinionem affert quidem, sed diserte eam vocat haeresin (cf. *Hier.* in Eph. 4,16 et Apol. c. Ruf. 1,26; *M.* 26,503; 23,418). Verum ad hunc errorem refellendum illa iam plane sufficiunt, quae contra suae aetatis haereticos *Tertullianus* (de carne Chr. 14) monet : Incarnationis Christi « causa fuit salus hominis; scil. ad restituendum quod perierat venit (Christus); homo perierat, hominem restitui oportuerat. Ut angelum gestaret (i. e. ut Verbum angelicam naturam assumeret), nihil tale de causa est;

7332

nam etsi angelis perditio reputatur (illud) : in ignem praeparatum diabolo et angelis eius, nunquam tamen illis restitutio repromissa est, nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre. Quod autem Pater neque repromisit neque mandavit, Christus administrare non potuit ». Neque in scripturis neque in fontibus traditionis quidquam de salute daemonibus promerenda continetur, e contra in revelationis testimoniis haud pauca reperiuntur de daemonum contumacia poenisque in aeternum duraturis neque unquam finem habituris (cf. *Petavius*, de angelis 2,8 ; *Pesch*, Praelect. dogm. IX n. 668 sq.).

Inter catholicos theologos quoque aliqui in interpretatione huius loci iustos limites transgredi videntur eo quod ex eo derivare conantur « Christum Dominum angelis (bonis) gratiam et gloriam meruisse, quippe quae illis data sit propter praevisa merita Christi » (*Suarez*, de Incarn. diss. 42, sect. 1,2, qui alios eiusdem sententiae allegat). At immerito ex hoc loco impugnatur communis theologorum sententia, qua statuunt gratiam angelis datam a Christi meritis nequaquam dependere ; nam et Scriptura, ubicumque de fine et causis Incarnationis loquitur, solius generis humani redemptionem nominat, et Patres aperte negant Christum pro angelis mortuum esse (ac proinde pro eis gratiam gloriamque meruisse ; cf. *Petav.* de Incarn. 12, 10,7 seq. *Stentrup*, de Verbo incarn. II, 1 p. 326 seq.). Quocumque demum modo locus noster explicatur, nulla ratione cogimur dicere Christi meritis angelos debere suam gratiam gloriamque. Apposite enim *Chrys.* monet, domum cuius pars collapsa sit, totam dici in integrum restitutam, quamprimum pars quae collapsa erat aedificata et restaurata fuerit ; similiter igitur Pater in Christo universa, coelestia et terrestria, recapitulasse dicendus est, quia genere humano, quod lapsum erat, per Christum redempto omnia iam ad pristinum ordinem a Patre stabilitum et ad primitivam in Christo unitatem sunt revocata. Addi potest, si cui haec recapitulandi notio placuerit, quod *Hervaeus* sentit : « ea quae sunt in coelis instaurata sunt, i. e. in melius commutata, in Christo, i. e. in Christi operatione, quia in revelatione mysterii Incarnationis receperunt angeli quandam in melius promotionem et gaudium eorum crevit, cum homines in suum consortium coepissent recipere ». Vide ad Eph. 3,10.

Benedictio spiritualis (v. 3) nobis contingit in redemptione ac remissione peccatorum (v. 7), dein in omni sapientia et prudentia (v. 8), cuius culmen et fastigium nobis offertur secundum manifestationem arcani Dei consilii in cognitione Christi (v. 9,10) ; porro aliud adiungitur, quod simul cum iis in Christo nobis confertur (ἐν αὐτῷ) ; quare pergitur, similiter uti v. 7, ἐν ᾧ, et novum hoc bonum inducitur particula καί v. 11 ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν hereditate donati sumus, vel heredes constituti sumus, scil. regni Dei ; haud bene vertitur in vulg *in quo etiam* (*et nos*) *sorte vocati sumus*, quod neque ad vocem graecam satis congruit neque ad sensum et ulteriorem explicationem benedictionis coelestis ; perperam quoque additur *et nos*. Proprie quidem κληροῦν significat *sortiri*, sortitionem instituere, ac frequentius rem vel personam aliquam sortitione vel *sorte designare ;* quam designationem interpres vulg. per vocationem explicuit ; unde interpretes latini saepius de vocatione divina explicabant : sorte, i. e. gratia divina, divina electione, non nostris meritis vocati

sumus (*Thom.*); at de gratia vocationis hoc loco sermo esse nequit, neque Paulus de vocatione elegisset verbum κληροῦν. Vox ipsa κλῆρος translate haud raro rem significat quae sorte alicui tribuitur vel gratis obvenit (cf. Deut. 12,12. Act. 1,27 ; 8,21). Quia autem partes hereditatis singulis sortitione assignari solebant, κλῆρος etiam idem valet quod *hereditas ;* cf. Num. 32,19 ἀπέχομεν τοὺς κλήρους ἡμῶν, hereditates vel possessiones nostras ; Deut. 3,18 ; 5,31 etc. Dominus Israelitis Palaestinam dedisse dicitur ἐν κλήρῳ, et Deut. 5,33 ἡ γῆ ἣν κληρονομήσετε, terram quam hereditabitis. Quia autem Palaestina filiis Israel in hereditatem ac possessionem divinitus data typus est salutis messianae et aeternae beatitudinis (cf. Matth. 5,4) mirum non est, quod haec quoque in libris sacris novi foederis simpliciter κλῆρος vocatur (Act. 26,18, Col. 1,12 ; plerumque tamen κληρονομία). Porro sicut Palaestina appellatur Israelitarum κλῆρος, κληρονομία, hereditas, ita vicissim populus Israel ipse, quem Deus sibi peculium elegit (Ex. 19, 5) κλῆρος hereditas vel possessio Domini vocatur (Deut. 4,20 ; 9,29. Is. 19,25). Qui loquendi modus etiam a novo testamento non abest ; ita Israel Dei (Gal. 6,16) et κλῆρος (1 Petr. 5,3). Inde Patres videntur ansam cepisse ad viros illos, qui sacro ministerio deputati et consecrati prae reliquis fidelibus peculium Dei constituunt, nomine κλῆρος designandos.

Hae vocis κλήρου significationes translatae etiam notionibus verbi derivati κληροῦν ortum dederunt. Ita nomine κλήρου mox satis vulgato pro ministris sacris κληροῦν induit notionem aliquem sacrum ministrum facere. Hanc notionem supponit *Euth.*, qui de solis apostolis locum explicans vocem declarat : a Christo ad apostolatum et praedicationem sunt deputati (ἐκληρώθησαν) ; similiter *Ambr.* ex voce colligit, dispensationem praedicationis his solis, qui ex Iudaeis crediderant, a Deo decretam esse. Quam explicationem admitti non posse iam ex eo apparet, quia apostolus neque de solis apostolis neque de solis Iudaeo-christianis loquitur, sed generatim de fidelibus.

Alii propriam verbi significationem retinentes nostrum ἐκληρώθημεν cum *S. Ambrosio* (de exhort. virg. 6,39) vertunt *sorte* constituti sumus vel potius *sorte destinati sumus*, illudque membro mox sequenti (ut simus in laudem gloriae eius) arcte connectentes cum *Theod.* interpretantur : sorte (utique divinitus gubernata) constituti sumus,... ut simus in laudem gloriae eius ». Etsi autem haec constructio per se apta videri possit et facilis, tamen nequit probari. Sensus enim, utut verus est, ad nostrum locum non congruit. Nam Paulus duobus beneficiis specialibus, quae in adoptione continentur omnibusque filiis Dei conceduntur (peccatorum remissioni et supernaturali institutioni) iam enumeratis veluti tertium beneficium non potuit addere finem ultimum, propter

quem Deus omnia agit et omnia dona sua distribuit; idque eo minus quia iam immediate ante enumerationem beneficiorum specialium manifestationem divinae gloriae velut adoptionis finem ultimum iisdem fere verbis indicavit (v. 5.6) atque in fine totius huius sectionis (v. 14) denuo indicaturus est.

Neque sufficit explanare : assumti sumus in populum Dei. Id quippe iam satis assertum est in adoptione filiorum; apostolus autem, uti in v. 7 et 8-10 novas partes et dona illius benedictionis spiritualis affert, ita hic quoque in v. 11, uti postmodum in v. 13-14 novam quandam rationem illius benedictionis assignare voluisse censendus erit. Atque id praeclare habetur, si notionem priorem (κλῆρος i. e. κληρονομία, hereditas) supponentes ex ea explicamus κληροῦν hereditatem distribuere, heredem constituere, κληροῦσθαι hereditatem accipere, heredem constitui. Quam notionem merito assumimus (cf. Is. 17,11 graece et κληρονομεῖν Ios. 17,14. Prov. 13,22; Is. 53,12), quae etiam apud profanos invenitur (κληροῦσθαι sortitione aliquid attributum accipere); eam secutus est ille latinus interpres, quem *Vict.* et *Aug.* (de Praed. 18,35) exprimunt : sortem consecuti sumus. Quam acceptionem *Hier.* in commentario indicat (« verbum hereditatis et sortis, per quae in Christi partem venimus, ostendit nos de alia potestate ad aliam transmigrasse ») eamque alii proponunt (*Iust. Est. Lap. Nat. Bels. Henle, Haupt, Ew.* etc.). Haec autem hereditas est regnum Dei, heredes constituti sumus regni, Deus dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine (Col. 1,12; cf. Rom. 8,15; Gal. 3, 29; 4,6 sq.), nam ius ad coelestem hereditatem veluti sorte nobis obvenit (*Nat.*).

Talis autem hereditas regni Dei, qua coheredes Christi efficimur, nobis proponitur tamquam donum magnificentiae et liberalitatis Dei (cf. v. 5) *praedestinati secundum propositum eius*, ultimum fundamentum nostrae futurae in coelis hereditatis indicatur, uti v. 5, esse aeternam electionem ac praedestinationem. Nam liberalissimum consilium Dei de salute et beatitate aeterna ex uno beneplacito Dei pendet; vel, ut theologi loquuntur, praedestinatio complete spectata non innititur praevisis nostris meritis, verum ultima eius ratio est liberum Dei propositum (κατὰ πρόθεσιν, v. 9 κατὰ τὴν εὐδοκίαν etc.) ; iam quantae sit efficaciae et quomodo unice ad consilium voluntatis divinae referatur, cum emphasi effertur : *qui operatur omnia secundum consilium* (κατὰ τὴν βουλὴν secundum decretum seu deliberatam sententiam) *voluntatis suae*, τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος, verbum ἐνεργεῖν operationem significat efficacem (*Est.*).

Uti in v. 6, ita hic quoque praedestinationis nostrae et electionis ad regnum et hereditatem Dei causa ultima finalis indicatur, laus scil. et gloria Dei v. 12 *ut simus in laudem gloriae eius*, vult enim Deus habere

consortes et participes gloriae suae, quia in hac participatione gloriae Dei excellentissima sunt documenta et argumenta, quanta magnificentia et liberalitate Deus pro sua bonitate electis suis coelestia beneficia et seipsum tribuat; inde gloriam suam manifestat ab omnibus summis laudibus celebrandam. Verum non tantum in futuro, in ipsa possessione gloriae coelestis fideles erunt in laudem gloriae eius; iam nunc, ait apostolus, sumus in laudem gloriae eius, scil. tamquam tales *qui ante speravimus in Christo*, quia iam spem nostram collocavimus in Christo nunc antequam plenam manifestationem regni Dei et hereditatis nostrae adipiscamur; speravimus enim omnes ante tempus impletionis et spem nostram direximus in Christum sola annuntiatione bonorum illorum nobis facta. Hac autem fide et spe, quam verbis divinis exhibuimus, Deo gloriam tribuimus, sumus in laudem gloriae eius. Bene explicat *Thph.* τοὺς προηλπικότας qui priusquam instet futurum saeculum, speramus.

Verum est, longe plerosque ex veteribus et recentioribus aliter explicare. Vident enim ea voce τοὺς προηλπικότας iam induci distinctionem Iudaeos inter et gentes; illos iam sperasse in Christum antequam nomini christiano consecrarentur; unde volunt ea voce solum designari fideles ex Iudaeis, Iudaeo-christianos. Sed merito dubitare licet sitne haec explicatio ex mente apostoli. Nam in omnibus quae antecedunt a v. 3 *nos* etc. de fidelibus generatim usurpabatur; de distinctione inter Iudaeos et gentes solum infertur sermo explicitus cap. 2; novum beneficium, de quo mentio fit v. 14, iterum pertinet ad omnes et est ulterior quaedam explicatio illius benedictionis spiritualis qua Deus nos benedixit v. 3; etiam a v. 15 et sq. apostolus eos solum alloquitur ad quos epistolam dirigit, id quod iam facit v. 13, ubi pariter secundum stilum epistolarem sermonem inflectit ad eos quibus mittit epistolam et καὶ ὑμεῖς *et vos* dicendo declarat de ipsis quoque valere cuncta quae exposita sunt. Si fideles nunc vocat προηλπικότας, haec appellatio bene congruit ad ἐκληρώθημεν, heredes constituti sumus, hereditatem accepimus; eam enim completam nondum possidemus, verum antea spem nos olim possessuros illam esse tenemus. Neque valet dicere: omnis spes est de re nondum obtenta, ergo in *antea sperare* voluit apostolus Iudaeos designare. Hoc loco enim apostolus efferre vult, nos omnes spem concepisse in Christum et quidem eo tempore, quo hereditas illa coelestis et eius possessio, sicuti nunc adhuc, plane est futura. Duplex spes itaque exprimitur in προελπίηειν, spes in Christum et spes enascens ex spe in Christum, i. e. altera spes in gloriam futuram. Rem explicat *ThdM.*: « qui et ante exitum rei credidimus Christo et de his spem accepimus;... nam quod dixit *qui ante speravimus* in comparatione incredulorum dicit; ut dicat illos qui ante exitum rei, per illam fidem quae in Christo est, qui etiam et ista se adqui-

rere sperant;... et quod dicit *nos*, non de illis qui tunc erant dicit, sed in communi de omnibus qui quolibet tempore credunt » (*Swete*, I, p.131).

In salutatione v. 2 *gratia vobis et pax* allocutus est eos qui legunt vel legi audiunt epistolam ; deinceps in universum ad fideles sermonem extendit, iam opportunum censet se ad eos convertere quibus epistola destinatur, ut explicite efferatur quae de cunctis dicta sint, etiam ad suos spectare lectores v. 13 *in quo et vos cum audissetis verbum veritatis*, est verbum veritatis evangelium, non tam ratione originis, quia Christi vel Dei, aeternae veritatis, sit verbum (*Thom.*), aut ratione claritatis, quia membris et figuris, uti veteris testamenti revelatio, non amplius sit obscuratum (*Chrys.*), quam ratione suae praestantiae, quia nihil nisi veritatem, omni prorsus errore excluso, eamque divinitus revelatam continet. Haud male *Lap.* aliique indirecte innui volunt antea alios magistros, falso promittentes veritatem, iis praesto fuisse. Hoc verbum veritatis appositione declaratur esse *evangelium salutis vestrae*, evangelii fide suscepti effectus explicatur, salus aeterna fidelium. Evangelium est quippe virtus Dei (efficax Dei instrumentum) ad salutem omni credenti (Rom. 1,16). Hac appositione inserta apostolus repetit ἐν ᾧ *in quo* et altero participio adiecto καὶ πιστεύσαντες absolvit sententiam inceptam addens alium effectum et aliud donum, quod evangelium auditum et fide susceptum ex liberali Dei decreto subsecutum est *et credentes signati estis spiritu promissionis sancto;* per prophetas Deus iam olim promiserat Spiritum sanctum tempore messiano effusum iri (Ioel 2,28. Is. 32,15; 44,3. Ez. 36,26. Zach. 12,10) ; eundem Spiritum suis missum iri Christus promiserat (Joan. 14,16.26; 16,7) ; unde vocatur Spiritus promissionis, utpote promissus (*Theod*), ex promissione datus (*Thph.*) vobis annuntiatus (*Euth.*), vel ut *Vict.* habet, Spiritus promissionis Christi ; *signati estis*, simul cum dono adoptionis filiorum acceperunt Spiritum sanctum (Rom. 5,5 ; 8,15. Gal. 4,6), tamquam sigillum, quod animis impressum eos singulari modo velut filios adoptivos, qui ius haberent ad hereditatem et ad Deum pertinerent, demonstraret; signati estis velut Dei λάχος καὶ κλῆρος (*Thph.*) ut Dei sors et pars (hereditas), vel, ut ait *Oec.*, Spiritus sanctus qui innumera bona promittit, simul signum est et sigillum.

In v. 13 alterum *in quo* varias provocavit sententias. Alii enim non anacoluthon admittere volebant, sed potius ellipsin, licet inter eos de supplemento inserendo non conveniat. Sunt enim qui solum verbum substantivum ἐστέ supplentes explicent : in quo (Christo) et vos *estis*, postquam verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae audistis, in quo (Christo) etiam vos postquam credidistis signati estis (cf. *Cai.* et plures recentiores, uti *Reischl*, *Meyer*). Cui explicationi primo iam obstat quod verbum *estis* in hoc nexu specialem habet vim, ideoque non potuisset omitti, nisi verbum εἶναι eadem in significatione iam

antea esset adhibitum — dein quod secundum hanc interpretationem verbum ἀκούειν *audire* hic idem valeret quod *cum fide audire;* nemo enim in Christo esse potest, nisi cum fide audierit evangelium eique se subiecerit; ac proinde participium πιστεύσαντες (postquam credidistis) tautologice additum. Alii ex antecedente supplent : in quo (Christo) et vos evangelio audito spem vestram collocastis (cf. *Est. Iust. Nat.*) ; sed valet idem quod verbum *audire* velut synonymum cum πιστεύειν esset sumendum. Alii demum malunt supplere in quo et vos ἐκληρώθητε (ex v. 11) evangelio audito heredes estis constituti (*Lap. Henle*) ; sed in v. 11 id iam etiam de iis qui epistolam legunt dictum est, ergo inepte repeteretur quasi antea non de omnibus fidelibus sermo fuisset; dein habetur idem quod iam dictum est, verbum *audire* non esse synonymum cum *credere*, et si esset, haberetur tautologia. — Durissimo anacolutho *Simar* (Theol. d. h. Paulus, ed. 2 p. 220) participium πιστεύσαντες quasi pro verbo finito ἐπιστεύσατε positum esse arbitratur alterumque ἐν ᾧ non parallelum habet cum priore, sed cum *Chrys. Thph. Euth.* paucisque modernis ad εὐαγγέλιον refert : in quo (Christo) et vos — audito verbo veritatis, evangelio salutis vestrae in quod etiam credidistis — signati estis Spiritu sancto promisso. Qua perplexa constructione multo simplicior et clarior est illa anacoluthi ratio, quam ab *Ambrst.* et *ThdM.* (omissione alterius ἐν ᾧ) insinuatam et ab *Hier.* diserte vindicatam cum haud paucis modernis quivis facile adoptaverit; dicamus itaque alterum ἐν ᾧ esse repetitionem praecedentis utique per se supervacaneam.

Aliqui, uti *Est.* malunt sigillum Spiritus sancti intelligere de charismatis (similiter, uti 2 Cor. 1,22); at discrimen iam in eo est, quod 2 Cor. 1,22 sermo est de solis apostolis, qui Spiritu sancto obsignati esse dicuntur, nostro autem loco de omnibus fidelibus agitur et enuntiatur generalis veritas, quae a dono particulari charismatum non dependet, neque nostro loco describitur Spiritus sanctus velut distributor charismatum, sed tamquam sigillum, quo adoptio filiorum et ius hereditatis confirmatur, sicut signo annuli tabulis contractus impresso promissio vel donatio roboratur (*Nat. Lap.*). Ipsum Spiritum sanctum acceperunt inhabitantem in eis, atque de eo inhabitante hoc loco agi et non de distributione charismatum, pariter elucet ex eo, quia v. 14 Spiritum promissum, quo fideles obsignantur, arrham dicit hereditatis nostrae; charismata autem, quae interdum ipsis conceduntur peccatoribus neque communiter iustis dantur, futurae hereditatis arrha vel pignus appellari vel aestimari minime possunt ; v. 14 *qui est pignus hereditatis nostrae*, esse legendum ὅς diserte *Oec.* affirmat ; ἀρραβών melius vertitur arrha, uti iam *Hier.* notat, « non idipsum autem arrhabo quod pignus sonat ; arrhabo futurae emptionis quasi quoddam testimonium et obligamentum datur », vel accuratius loquitur *Euth.* ἀρραβὼν μέρος ἐστὶ τοῦ ὅλου, pars est totius. Est scil. arrha prima pars pretii, quae in emptione cum in finem solvitur, ut integri pretii postea solvendi fidem faciat. Discrimen bene assignat *Aug.* « melius dicitur *arrha* quam *pignus;* haec enim duo similia videntur inter se, sed tamen habent aliquam differen-

tiam non negligendam. Et pignus quando datur et arrha quando datur, ideo fit, ut quod promittitur impleatur ; sed quando datur pignus, reddit homo quod accepit, re completa propter quam pignus accepit ; arrha autem quando datur, non recipitur, sed superadditur ut adimpleatur » (sermo 378 ; of. serm. 23,8; vide *Cornely*, Comment. in 2 Cor. p. 48) ; similiter *ThdM.* : « hereditatem vocat ipsam futurorum bonorum fruitionem ἀπόλαυσιν, arrham hereditatis hodiernum Spiritus donum (τὴν ἐνταῦθα δόσιν τοῦ πνεύματος); perfectam Spiritus largitionem exspectantes brevem quandam delibationem (βραχεῖάν τινα ἀπαρχὴν τοῦ παρόντος) receperunt ». De quo discrimine saepe monent (cf. *Thom. Iust. Lap. Bels, Henle* etc.) Recte tamen *Thom.* notat, Spiritum etiam apte dici pignus ; « nam per Spiritum sanctum Deus nobis diversa largitur, quorum quaedam manent in patria, uti caritas, quae nunquam excidit (1 Cor. 13,8) ; quaedam vero propter imperfectionem non manent, sed evacuabuntur, sicut fides et spes; sic ergo s. Spiritus dicitur arrha per respectum ad ea quae manent ; pignus vero per respectum ad ea quae evacuabuntur ». Et *Dam.* ἀρραβῶνα explicat ἀρχὴν κτήσεως..

Merito nos attendere iubent (*Irenaeus* c. haer. 5,8,1, *ThdM. Theod. Thph. Oec. Aug. Hier.* etc) arrham non esse nisi parvam partem rei promissae, atque ex magnitudine rei nobis datae, Spiritus sancti nobis inhabitantis, nobis concludendum esse ad immensam magnitudinem hereditatis promissae; si arrha tanta est, quanta erit ipsa possessio completa et perfecta ! Sicut nostrum ius ad hereditatem constituitur et fundatur in Christo, in nostra cum Christo unione v. 11 ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν,ita pariter in eo fundatur et in eius unione habetur nostra obsignatio v. 13 ἐν ᾧ.... ἐσφραγίσθητε, quae obsignatio ulterius declaratur *in redemptionem acquisitionis*. De notione τῆς περιποιήσεως bene ait *Oec.* nos sumus περιποίησις, acquisitio, et *Thph.* eiusdem acceptionis meminit, quae notio plane est ad rem. Nam etiam LXX hebr. סגלה peculium semel ea voce explicant, Mal. 3,17 ἔσονταί μοι εἰς περιποίησιν, erunt mihi in peculium. Iam eodem nomine in novo foedere appellari fideles et coetum fidelium, iam ex eo patet, quia isti in sortem ac conditionem populi electi ingressi sunt; unde dicitur Act. 20,28: ecclesia Dei quam acquisivit (περιεποιήσατο) sanguine suo, et 1 Petr. vocantur fideles λαὸς εἰς περιποίησιν, populus acquisitionis, quem scil. Deus sibi acquisivit et peculium fecit. Quare merito vox intelligitur de coetu fidelium, seu de ecclesia. Obsignatio igitur eum in finem fit εἰς ἀπολύτρωσιν, ut tandem habeatur redemptio perfecta, scil. ut fructus redemptionis semel et perfecte a Christo peractae etiam in redemptis plenus ac perfectus appareat. Ultimam hanc perfectionem in beatitudine coelesti et in gloriosa corporis immortalitate sitam si spectaveris, nostra redemptio hisce in

terris potius est sola inchoata quaedam redemptio, et fructus eius quos Christus nobis promeruit, solum ex parte percipiuntur. Nam teste apostolo nos quoque qui primitias Spiritus iam possidemus, adhuc cum gemitu exspectamus perfectam adoptionem filiorum, redemptionem corporis nostri (Rom. 8,23). Proximus finis inhabitantis Spiritus sancti est itaque, ut efficaciter obviam feramur gloriae coelesti et ita tandem ad consummatam pertingamus redemptionem; quare labor noster in hac vita in eo quoque consistit, ut duce eodem Spiritu ipsi hanc nostram redemptionem et liberationem a peccatis per continuum studium et exercitium virtutum magis in dies efficere conemur. Ultimus vero et summus finis huius doni Spiritus sancti et obsignationis per eum factae est *in laudem gloriae eius*, ille scil. qui omnibus Dei operibus ultimatim praefixus est; uti reliquis donis (v. 6.14) ita praeclaro hoc dono inhabitantis Spiritus sancti, tamquam arrhae, manifestatur profusa Dei in nos benignitas ac munificentia, celebratur praeconium gloriae eius.

Cernitur aliqua explicationis diversitas in v. 14 duplici modo; εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως coniungitur non cum verbo finito ἐσφραγίσθητε, sed cum sententia relativa: qui est pignus hereditatis nostrae, et εἰς sumitur non sensu finali (uti sumitur in membro parallelo εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ), sed sensu temporali. Unde exoritur haec tandem sententia: Spiritus sanctus est arrha hereditatis nobis, quousque veniat tempus perfectae redemptionis ecclesiae; quem sensum *Est.* quidem vocat planiorem et probabiliorem. At iam satis durum est εἰς alio et alio accipere sensu. Neque placet sensus: arrham tamdiu manere, donec completa solutio fiat. Multo melius εἰς eodem utrobique sensu coniungitur cum verbo finito, ut assignetur finis proximus et ultimus doni illius obsignationis per Spiritum sanctum.

Precatur apostolus, ut celsitudinem et praestantiam vocationis cognoscant. 1,15-23.

1,15. *Propterea et ego audiens fidem vestram quae est in Domino Iesu, et dilectionem in omnes sanctos,* 16. *non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis,* 17. *ut Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius;* 18. *illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius in sanctis,* 19. *et quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus, secundum operationem potentiae virtutis eius,* 20. *quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus,* 21. *supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne*

1,15. Διὰ τοῦτο κἀγὼ ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ καὶ τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους, 16. οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν μνείαν ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, 17. ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης, δῷη ὑμῖν πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, 18. πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς, τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ, τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τῆς κληρονομίας αὐτοῦ ἐν τοῖς ἁγίοις, 19. καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, 20. ἣν ἐνήργηκεν ἐν τῷ Χριστῷ ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ καθίσας ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, 21. ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος καὶ

nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. 22. *Et omnia subiecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam,* 23. *quae est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur.*

παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. 22. καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ αὐτὸν ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, 23. ἥτις ἐστὶν τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσιν πληρουμένου.

In v. 15 om αγαπην την ℵ* BAP. Or. Hier. at legendum esse DEFG cum omnibus fere minusc, Chrys Theod Cyr alex Dam Thph Oec, cum versionibus, satis constat. In v. 16 om υμων ℵABD mu minusc, go. In v. 18 B om υμων. In v. 19 εις υμας DFGP alq minusc t. In v. 20 καθισας ℵBA mu minusc Patres gr. it vulg, reliqui testes εκαθισεν; B et alq min ουρανοις, reliq επουρανιοις

A gratiarum actione de eorum perseverantia in fide et caritate exorsus (15.16a) Paulus Deum rogat, ut eorum corda lumine gratiae imbuat (16 b.17), quo cognoscant, quae sibi spes ex vocatione divina exorta sit quantaque sit gloria hereditatis inter sanctos repositae (v. 18), cuius praestantiam credentibus destinatam expendant secundum supereminentem Dei virtutem qua Christum glorificavit (19-21) supremumque caput Ecclesiae statuit. — Quemadmodum praecedentem partem (v. 3-14), ita totum hoc membrum quoque una sententiarum complexione absolvit, modum tamen expositionis eatenus mutavit, quatenus non iam per laudationem Dei, qui fidelibus beneficia contulit, argumentum tractat, sed precationis forma adhibita ita a Deo pro fidelibus expetit cognitionem beneficiorum, ut illa simul recenseat et ex parte describat.

Exposuit apostolus beneficia in benedictione spirituali fidelibus collata : redemptionem, remissionem peccatorum, supernam illustrationem, ius hereditatis acquisitum, adoptionem filiorum per Spiritum sanctum inhabitantem, tamquam per arrham, obsignatam. Ad haec beneficia respiciens eaque summopere aestimans impellitur ad Deo gratias agendas eo quoque quia dona illa in fidelibus permanere et suis fructibus sese manifestare nuper certior est factus. Unde v. 15 *propterea*, non est cur solum ad v. 13-14 referatur (ut *Hpt.* vult), recte cum aliis ad omnia antecedentia pertinere dicitur (*Henle, Bels. Eic.*), ita ut ea omnia menti apostoli obversentur eiusque animam ad gratias agendas impellant, *et ego*, praeter se omnes fideles et praesertim eos, qui apostolo bonos illos nuntios attulerant, Deo gratias persolvere supponit et indicat, *audiens fidem vestram* τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν (cf. Col. 4,7 τὰ κατ' ἐμέ, Act. 18,15; 26,3) *quae est in Domino Iesu* ἐν τῷ κυρίῳ, in eo fundatur fides, in eo habet originem et incrementum et in eo firmiter consistit et manet, *et dilectionem in omnes sanctos*, in omnes fideles qui baptismo Deo et Christo sunt consecrati, sacri ἅγιοι.

Mentione facta dilectionis simul ostenditur fides non sterilis, sed fruc-

tibus et bonis operibus se manifestans (cf. Gal. 5,6. Iac. 2,24 sq.). Apposite *Chrys.* adnotat fidem ac dilectionem velut admirabilem quandam bigam (θαυμαστήν τινα συνωρίδα) ubique ab apostolo coniungi (cf. 1 Thess. 1,3. 2 Thess. 1,3. Col. 1,4 etc.). Quanti aestimet haec dona et quantum sibi cordi sit eiusmodi virtutibus imbui animos fidelium continua sua manifestat gratiarum actione v. 16 *non cesso gratias agens pro vobis*, quotiescumque scil. preces ad Deum fundit, *memoriam vestri faciens in orationibus meis;* eodem sensu dicit alias se semper, sine intermissione, πάντοτε, ἀδιαλείπτως orare pro fidelibus (1 Thess. 1, 2.3. Rom. 1,10. Col. 1,4). Merito iubet *Chrys.* nos considerare hoc loco amorem vere apostolicum Pauli, utpote qui continuis precibus gratiarumque actionibus, quae in omnibus fere eius epistolis leguntur, beneficia in discipulos suos et in omnes fideles collata velut sibi ipsi data exhibeat. Iam declarat, quomodo memoriam eorum faciat in orationibus suis; obsecrat scil. eorum memor Deum v. 17 *ut Deus Domini nostri Iesu Christi*, ita iam v. 3 Deum Patrem nominavit, a quo praeclarissima beneficia fidelibus sunt collata et qui tanta iam praestitit, ab eo iure alia quoque sperantur. Et videtur consulto appellari *Deus Domini nostri*, quo titulo efficaciter quasi monetur, ut opus, ad quod Christum misit in mundum, etiam potenti subsidio apud fideles promoveat; insuper fideles intime cum Christo Domino nostro iuncti, tamquam membra Christi capitis nostri, maiore quodam iure ad Deum pertinent adeoque beneficia eius sperare possunt.

Altero nomine compellatur *pater gloriae;* bene notat *Chrys.* et ex eo *Oec.* : « apostolus Deum semper iuxta subiectam materiam appellat : patrem misericordiarum (2 Cor. 1,3), Deum pacis (2 Cor. 13,11), Dominum virtutum (Ps. 23,10); nunc autem patrem gloriae, quia maximam gloriam donavit generi humano; omnia quippe beneficia nobis tradita nomine generali vocat gratiam, utpote nomine apud nos magnificentiore ». Verum hic potissimum *pater gloriae* vocatur, quia gloriosam fidem, sapientiam, cognitionem gratiamque novi testamenti fidelibus per Christum exhibet (*Lap.*) et in antecedentibus iam ter proposuit apostolus Deum cuncta largiri *in laudem gloriae suae*, unde rite advertit *Henle* Deum esse continuo creatorem suae gloriae, eum esse sensu eminenti patrem gloriae. Hisce itaque titulis petitionem suam commendat et fulcit : *ut det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius*, spiritum hoc loco non ipsum Spiritum sanctum intelligemus, quatenus sapientiam secum affert, sed ex modo loquendi veteris testamenti, quem apostolus alias quoque adhibet, satis apparet varias animorum affectiones addito πνεῦμα describi ; ita cui Deus dat prudentiam, is dicitur repleri spiritu prudentiae (Ex. 28,3) et cf. Num. 5,14;

Deut. 34,9 et eodem modo loquitur apostolus de spiritu servitutis (Rom. 8,25), de spiritu huius mundi (1 Cor. 2,12), de spiritu mansuetudinis (1 Cor. 4,21), de spiritu lenitatis (Gal. 6,1) etc. Simili modo hoc loco intelliguntur dona, seu charismata sapientiae et revelationis. Exposcit itaque apostolus, ut Deus gratia sua fideles promoveat in recta intelligentia doctrinae fidei, ut novas quoque cognitiones i. e. revelationem, illustrationes iis largiatur. Sed omnis haec intelligentia et illustratio versatur ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, scil. Θεοῦ, in perfectiore ac pleniore Dei cognitione; nam hanc notionem ἐπίγνωσις habere apud apostolum, certum est (cf. Rom. 1,28; 10,2; 3,20. Eph. 4,13. Phil. 1,9. 1 Tim. 2,4, etc. *Henle*; vide quae ea de re disputat *Cornely*, Comm. ep. Rom. p. 101 sq. Comm. in 1 Cor. 407).

In v. 17 vulgata nostra sua interpunctione aliam interpretationem indicat; eius enim editores, ne aeternus Pater diceretur Deus Jesu Christi, commate posito nomen *Deus* a reliqua dictione separantes legunt : Deus, (qui est) Domini nostri Jesu Christi pater gloriae, i. e. pater gloriosus, qui etiam gloriam suam Filio communicat. Hanc interpretationem *Est.* v. g. adoptavit. Alii pariter volentes evitare, ne Deus Jesu Christi diceretur, usi sunt hyperbato plane inusitato, trahentes ultimum genetivum (*gloriae*) ad primum nomen (*Deus*) et iungentes : Deus gloriae (qui est), Domini nostri pater (cf. *Iust.*); parenthesi posita nodum solvit *Vatablus :* Deus (Domini nostri pater) gloriae cf. *Henle*. At plane supervacaneum est eiusmodi mira quaerere effugia. Patres enim et antiqui interpretes in ista appellatione : Deus Domini nostri, nihil difficultatis invenerunt, prout revera nulla adest (cf. *Chrys. Thph. Oec. Ambr.*).

Interpretationis discrimen cernitur apud Patres in explicatione ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Nam praeeuntibus S. Athanasio seu auctore eiusdem aetatis (Testimonia de communi essentia Patris et Filii 31; *M.* 28,60) et S. Gregorio naz. (or. 30,8 *M.* 36,113) nomine *gloriae* hoc loco ipsum Verbum seu divinam Christi naturam designari ex interpretibus graecis *Theod. Euth.*, ex latinis *Hier.* tenent, quos sat multi alii secuti sunt. Audiatur pro pluribus *Thom.* : « sic ergo dicit : *Deus* Domini nostri, secundum quod est homo, et *Pater* eiusdem secundum quod est Deus, *Pater* inquam gloriae, scil. Christi, qui est gloria eius (Prov. 15,20) : gloria patris filius sapiens, et gloriae nostrae, in quantum dat omnibus gloriam ». Etiam S. Cyrillus alex. (de adoratione in spir. 11, *M.* 68,768) Filium in Scripturis simpliciter *gloriam Dei ac Patris* vocari affirmat, verum ad nostrum hunc locum non alludit. Sed explanat dictionem *Dam.* ita, ut Deus dicatur auctor, ἀρχηγός, omnis illius doni divini, quod in Spiritu per Verbum subministratur.

Qualem sapientiam et revelationem apostolus pro fidelibus efflagitet explicat in subsequentibus v. 18 *illuminatos oculos cordis vestri*, petit scil. ut Deus *oculos cordis* det seu reddat, faciat *illuminatos*, cor notione in sacris litteris obvia dicitur de intellectu et affectu hominis, de homine interiore, cuius vis percipiendi superna illustratione est illuminanda, augenda, confortanda; de modo loquendi cf. Act. 26,18. Et quo tendat haec illuminatio et ad quid eam expostulare oporteat, designatur : *ut*

sciatis εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς, ut certo cognoscatis, clare sciatis, *quae sit spes vocationis eius*, scil. Dei, ad quam spem vos Deus vocaverit, quae et quanta bona vocatione divina vobis proponantur. Spes dicitur sensu obiectivo pro re sperata ; cf. Col. 1,5 ἡ ἐλπὶς ἡ ἀποκειμένη ἐν οὐρανοῖς. Petit itaque apostolus, ut clare cognoscant et viva fide intelligant quae et quanta sint bona fidelibus a Deo praeparata et ultimatim in coelo possidenda, quae vi divinae vocationis ad fidem ob Dei fidelitatem se obtenturos esse sperare possint ac debeant. Haec autem spes altero membro etiam accuratius determinatur : τίς ὁ πλοῦτος *quae divitiae gloriae hereditatis eius*, hereditas a Deo nobis destinata ultimatim consistit in divitiis gloriae, et petendum est a Deo, ut apprehendamus τίς ὁ πλοῦτος, quam dives, copiosa et abundans sit haec gloria (*Lap.*), quam opulenta, splendida, magnifica (*Est.*) sit haec gloria hereditatis seu regni Dei.

Agitur hoc loco de gloria hereditatis nostrae, cuius arrham iam possidemus v. 14 et quae nobis iam attributa est v. 11, quae iure ad nos pertinet et in adoptione filiali quoque exprimitur. Haec hereditas dicitur hereditas Dei tanquam auctoris et largitoris, dicitur hereditas nostra, nobis destinata, a nobis possessa in sua inchoatione et demum in gloria plene attingenda. Hisce suppositis facile explicatur id quod legitur additum *in sanctis* ἐν τοῖς ἁγίοις, ἅγιοι sunt et appellantur fideles hisce in terris viventes (cf. v. 1). Unde iam solvitur quaestio, pertineatne ἐν ἁγίοις ad integram dictionem (divitiae gloriae hereditatis), an ad hereditatem tantum. Nam hac in terra οἱ ἅγιοι gloriam hereditatis non possident ; hereditas autem reponitur in sanctis, apud eos invenitur, iis concredita est ; est enim hereditas nostra. Et revera videtur hoc loco poni *in sanctis* simpliciter pro ἡμῶν, qui genetivus non potuit addi post κληρονομίας αὐτοῦ, cum tamen sensus totius sententiae alius non sit, nisi hic : quae sint divitiae gloriae hereditatis nostrae quam Deus nobis dedit. De modo dictionis vide Act. 20. 32 κληρονομίαν ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, 26,18 κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις (et alia apud *Henle*).

Porro petit apostolus, ut clare cognoscant v. 19 *quae sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus*, erga nos credentes, εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας tamquam tales qui credunt, Deo adhibent fidem ; Deus exhibet et manifestat supereminentem magnitudinem suae potentiae ; apostolus cum emphasi seligit et cumulat verba desiderans, ut quam firmissimam persuasionem de maxima Dei erga se potentia animis insculpant. Sed quorsum ? Adnotat *Est.* hanc partem exponi a *Chrys. Thph.* de virtute seu potentia Dei, qua utatur in vocandis infidelibus ad fidem et convertendis ab omni vitiorum genere — ad quam rem utique opus esse potenti gratia — et ita etiam exponunt *Lap. Nat. Iust.*, similiter *Bels.* quoque loquens de miraculo iustificationis. At bene pergit *Est.* :

« verum si contextum apostoli consideremus magis apparebit eum loqui de futuri saeculi bonis quae adhuc speranda restant i. e. de beata resurrectione et gloria coelesti; introducit enim resurrectionem et gloriam Christi, ut doceat nos sperare, quod eadem virtute Dei similiter resuscitandi sumus ad vitam immortalem et gloriosam ». Atque revera in hoc contextu non est sermo, quomodo pervenerint ad fidem, ad conversionem, ad iustificationem, neque quomodo haec iustificatio in dies crescere possit (quem sensum admitti posse *Bels.* censet), sed sermo est : τίς ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως, τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης, ergo ut haec bona, ad quae a Deo vocantur, ut has divitias gloriae et rite aestiment et spe invicta mediis in tribulationibus firmissime in animis retineant, apostolus efflagitat pro illis gratiam bene intelligendi summam Dei promittentis potentiam, quae potentia fundamentum praebet inconcussum spei fidelium (cf. *Henle*). Causam et nexum similem *Theod. Ambrst. Dam. Euth. Thom. Cai.* aliique proponunt.

Iam indicat apostolus, quomodo nobis efformare debeamus notionem de hac supereminente magnitudine virtutis Dei, ex qua simul excellentiam spei vocationis nostrae et gloriae metiamur; mittit nos apostolus ad ea quae Deus praestitit in Christo homine, ut inde habeamus firmissimum argumentum eius potentiae et spei nostrae : *secundum operationem potentiae virtutis eius;* κατὰ secundum etc refertur ad sententiam τί τὸ μέγεθος, haec scil. magnitudo virtutis Dei colligenda est et dimetienda κατὰ τὴν ἐνέργειαν efficaciam, seu vim et vigorem τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ potentiae fortitudinis eius; en quomodo voces conquirit et cumulat ad suggerendam in nobis sublimem de Dei potentia notionem. Nomina ita distinxeris : nomen ἰσχύς synonymum nominis δύναμις facultatem significat qua quis quidpiam efficere valet; eius autem significatio augetur tum praecedente nomine κράτους, quod ipsam quoque virtutem aut robur sonat, sed virtutem potius victricem, quippe quae superatis difficultatibus et obstaculis probetur, tum nomine regente ἐνεργείας, quo proprie efficacia virtutis designatur; ergo Deus egit secundum efficacissimam suam et insuperabilem virtutem suam.

Argumentum omni exceptione maius potentiae illius et certitudinis spei nostrae eiusque excellentiae est tamquam exemplum vivum ipse Christus homo glorificatus; unde v. 20 *quam operatus est* ἣν ἐνήργηκεν quam efficaciter exercuit et exercet seu exserit adhuc continuo (attende vim et notionem perfecti graeci) *in Christo*, et primo quidem *suscitans illum a mortuis*, ἐγείρας eo quod eum suscitabat καὶ καθίσας et eum sedere fecit *ad dexteram suam in coelestibus*, consortem eum fecit divini imperii et ea ratione eum exaltavit summa dignitate instructum. Ut firmum habeamus fundamentum pro spe vocationis nostrae, apostolus efficacissimam

Dei vim ac fortitudinem commemoravit eamque nobis nunc proponit in suscitatione Christi a mortuis, quod est documentum insigne divinae potentiae. Uti hoc loco, ita generatim apostolus attendens Christi naturam humanam eum a Patre suscitatum esse ἐγερθῆναι dicit (Rom. 4, 24 seq : 6,4.9.8,11. 34; 10,9.1 Cor 6,14; 15,4.12 sq.; nota in vulgata saepe adhiberi surgere, resurgere, ubi graece habetur ἐγείρεσθαι suscitari). Eodem modo dicitur in altero membro καθίσας eum sedere fecisse ad dexteram suam; « Filius a dextris Patris esse dicitur, ut qua Deus illi maiestate esse par significetur, qua homo proximam post Deum gloriam excellentiamque adeptus et in potissimis bonis honoris ac gratiae gloriaeque a Deo ei communicatis constitutus esse denotetur » (*Lap.*). Sessione hac declaratur itaque suprema excellentia supra omnes creaturas, suprema ac singularis beatitudo, supremum dominium in coelo et in terra a Patre Christo collatum (cf. *Thom.* Summa III qu. 78, a. 1-4; *Stentrup*, de Verb. inc. II, 2; thes. 71).

Summam Christi exaltationem ac dignitatem apostolus ulterius (v. 21-23) describit; qua enim potentia Deus Christum exaltavit, eadem potentia etiam illa maxime admirabilia et grandia circa nos (τὰ καθ' ἡμᾶς ὑπερβολικὰ, *Euth.*) efficit. Et de Christi quidem dignitate supereminente in coelestibus dicit v. 21 *supra*, ὑπεράνω longe supra, *omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem;* nomina quidem sunt abstracta, at iis creaturas vivas ac potentes declarari, non notiones, iam patet ex oppositione ad Christum. Quattuor istis nominibus, quibus rationes quaedam gubernationis, dominii, administrationis connotantur, hoc in loco neque magistratus humanos neque humanos una cum angelicis, sed solos angelorum ordines seu classes designari, communior fuit interpretum catholicorum sententia inde a Patrum aetate, atque hodie (uti dicunt *Hpt. Ew.*) etiam inter acatholicos communis est. Id iam probatur ex eo quod de loco ἐν ἐπουρανίοις vel ἐν οὐρανοῖς, ad quem Christus elevatus sit, agatur. Porro ex supremis creaturarum spiritualium ordinibus eos esse qui recenseantur, non tam nomina docent, quae secundum *Hier.* (Comment. et in Apolog. c. Ruf. 1,23) alias classes sibi subiectas supponant, quam contextu evincitur, ex quo elucet apostolum Christo summam dignitatem summumque in coelo locum assignare, ac proinde excellentissimas creaturas spirituales nominari debuisse. Idem quoque confirmatur clausula enumerationis *et omne nomen*, etc. Omittens longiorem enumerationem nullas esse creaturas asserit, supra quas Christus non elevetur, quocumque demum *nomine*, seu honoris, potentiae, dominationis titulo vel auctoritate, nominentur sive in hoc saeculo quo vitam agimus, sive in futuro; in periodo coelesti regni messiani. Ceterum vide ad 3,10.

Interpunctione in vulgata conspicua : in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis eius, videntur multi interpretes latini inducti esse, ut totam Dei potentiam hoc loco in se et in exaltatione Christi descriptam referrent ad modum quo Deus infideles adducat ad fidem. At melius vidit ea in re *Cai.* « et ne incredibilis huiusmodi superexcellens magnitudo divinae potentiae credatur futura in nos, manifestat eam a simili efficacia, quam iam exercuit in Christo. Hanc enim similem efficaciam significat dicendo : secundum operationem potentiae fortitudinis eius quam operatus est in Christo Iesu. Ita quod particula *secundum operationem* refertur ad particulam *supereminens magnitudo potentiae*, etc. ». Sententiam et mentem apostoli solum ex parte attingunt, qui in exaltatione Christi nihil aliud deprehendunt nisi *exemplum;* ita *Ambr.* : « exemplum salutis credentium et gloriae in resurrectione Salvatoris consistere profitetur, ut ex ea cognoscant fideles quid eis promissum sit ». Eodem modo scribit *Thom.* ad v. 19 : « enumeratis beneficiis quae apostolus conferenda optat Ephesiis in futurum, hic consequenter ponit formam et exemplar illorum beneficiorum. Sicut autem vita Christi est forma et exemplar iustitiae nostrae, ita et gloria et exaltatio Christi est forma et exemplar gloriae et exaltationis nostrae ». Haec quidem vera sunt, at rem non exhauriunt. Argumentum potius proponitur quo fideles efficaciter docentur ut ad excelsam illam spem animos firmiter erigant, ut εἰς τὸ εἰδέναι omni ex parte consistat. Hoc autem argumentum conficitur ex Dei potentia manifestata in Christi exaltatione (cf. *Dam.*).

Porro describitur dignitas et exaltatio Christi simulque affertur ratio, cur haec Christi sublimis excellentia sit pro nobis firmum spei et gloriae argumentum (v. 22-23). Ad Christi dignitatem pertinet universale dominium, quod constructione mutata i. c. verbo finito loco participiorum inducit et verbis psalmistae profert v. 22 *et omnia subiecit sub pedibus eius*, cf. Ps. 8,7 et Hebr. 2,8 : in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum. Quod dominium Christus ex mortuis resurgens sibi attribuit : data est mihi omnis potestas in coelo et in terra (Matth. 28,18). De verbis psalmi eorumque ad Christum applicatione vide *Cornely*, Comment. 1 Cor. p. 477. Iam idem Christus, cui omnia subiecta sunt, constitutus est caput ecclesiae; *et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam* κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ dedit eum caput super omnia ecclesiae, ut scil. fideles ex capitis excellentia magnitudinem et certitudinem beneficii in ecclesiam, in suum ipsorum coetum et proinde in se ipsos collati colligant et clare cognoscant. Ad hanc conclusionem indicandam, cum emphasi ponitur in initio καὶ αὐτόν, ipsum illum, de quo adeo magnifica dicta sunt; ad explicandum ὑπὲρ πάντα aliqui assumebant traiectionem : ita iam *Chrys.* ἢ τὸν ὄντα ὑπὲρ πάντα Χριστόν, ἢ ὑπὲρ πάντα τὰ ἀγαθὰ τοῦτο πεποίηκε, prius probat *Est.* ut quam maxime probabile : et ipsum, qui est super omnia (prout syr. quoque); verum eiusmodi traiectio est admodum dura et hoc loco valde supervacanea, cum modo dictum sit Christum esse super omnia et in collocatione καὶ αὐτόν idem exprimatur. Debet ὑπὲρ πάντα referri ad κεφαλήν,

non quidem ea notione qua diceretur eum esse caput summum ad distinctionem capitum inferiorum, nam hoc in loco caput minime habet significationem praefecti seu domini, potius proprium suum capitis sensum retinet. Unde dicitur Deum dedisse ecclesiae caput excellentissimum, ita ut ὑπὲρ πάντα ipsius capitis summam praestantiam et dignitatem per modum adiectivi designet. Lectio vulg. *super omnem ecclesiam* contra codicum graecorum et interpretum reliquorum fidem profertur. Ex qua lectione latina saepe concludunt cum *Aug. Thom.* Christum esse caput etiam angelorum, quippe qui triumphanti ecclesiae accenseantur; verum adverti debet, quo sensu hic dicatur Christus caput. Christus est quidem caput angelorum secundum significationem metaphoricam, quatenus est superior ac dominus, seu rex angelorum; at caput ecclesiae eo sensu hoc loco dicitur, quatenus ecclesia est corpus eius (mysticum) quo sensu Christus nequit dici caput angelorum.

Ad naturalis capitis similitudinem Christus nunc est mysticum caput ecclesiae, quia erga eam, uti postea docet apostolus (4,15.16; 5,29), simili ratione se habet atque caput naturale ad corpus suum, quippe in cuius membra singula ex capite, quod quasi sedes et centrum est omnium virium vitalium, virtus omnis diffundatur, ita ut ex capite membra habeant non solum, ut nutriantur, conserventur, crescant agantque, sed etiam ut inter se ad unum corpus constituendum compingantur et uniantur. Hoc autem sensu nomen *capitis* unice esse intelligendum hoc nostro loco, ultima sententia relativa ostenditur, qua dicitur de ecclesia v. 23 *quae est corpus ipsius* ἥτις utpote quae, qua dictione etiam causa redditur praecedentis assertionis. Bene adnotant *Chrys. Thph. Oec.*: « ne audito capite principatum quendam vel potestatem (ἀρχήν τινα καὶ ἐξουσίαν) significari arbitreris (nam haec quoque nomen capitis valet) dicit Christum caput esse ecclesiae veluti corporis sui et cum ecclesia velut cum suo corpore coniunctum et unitum ». De corpore mystico Christi vide ad Rom. 12,5 et ad 1 Cor. 12,12.13.27.

Apte dicit *Thom.*: exponit autem quod dicit, quae est corpus ipsius, subdens « et plenitudo eius » etc. Cardo rei vertitur in notione πλήρωμα. Veteres et iuniores longe plerique voci tribuunt notionem *complementum*, ita ut ecclesia dicatur complementum eius i. e. id quo Christus, si consideretur ut caput completur; namque caput et corpus ita inter se continentur, ut caput vivum non habeatur sine corpore, uti altera ex parte corpus vivum non habeatur deficiente capite. Unde *Chrys.* ait: « complementum capitis est corpus et complementum corporis est caput ». Complet itaque in hac acceptione ecclesia Christum, ei tamquam capiti praebens membra per quae agat. Comparatione rem declarat *Thom.*: « corpus naturale est quaedam plenitudo animae; nisi enim

essent membra cum corpore completa, non posset anima suas operationes plene exercere ». Quo sensu etiam aliqui accipiunt alterum membrum : *qui omnia in omnibus adimpletur*, ita graeci (*Chrys. Thph. Oec. Euth.*) hoc fere modo : nam si non essent, hic quidem pes eius, ille vero manus, alius aliud membrum, et haec omnia propriis officiis distincta, non perficeretur Christus secundum rationem capitis, quia non haberet integrum et consummatum corpus; similiter *Hier.* : adimpletur imperator, si quotidie eius augetur exercitus, ita Christus credentibus qui veniunt ad eum.

Verum quod graece habetur τοῦ πάντα ἐν πᾶσιν πληρουμένου potest active quoque concipi, uti *Oec.* inter alia explicat τοῦ πληροῦντος et revera πληρούμενος quamvis sit medii generis, activa (transitiva) significatione hic adhiberi recte dicitur. Unde quemadmodum ecclesia Christum complet, ei tamquam capiti praebens membra, ita Christus sua ex parte ecclesiam complet omnibus membris illa subministrans quibus agere possint. Itaque Christus *omnia* quae ad ipsum pertinent seu omnia corporis sui membra, *omnibus* ἐν πᾶσιν (dicitur quippe πληροῦν τι ἔν τινι cf. 5,18, Col. 2,10) viribus complere asseritur, quibus corpus eiusque membra singula ad munera exercenda opus habent; ex capite enim in corpus eiusque membra vita virtusque omnis diffunditur. Quam activam notionem etiam probant interpretes latini (*Cai. Est. Lap. Iust. Nat. etc.*) et recentiores (*Bels. Henle, Abb. Hpt. Ew.*) paucis exceptis. Si igitur πλήρωμα intelligitur complementum (quam notionem ex recentioribus *Abb. Ew.* et alii quoque retinent) habemus acute dictum quoddam : ecclesia appellatur complementum (die Ergänzung, Vervollständigung) illius qui ipse est complementum ecclesiae, quam scil. et cuius membra omnia omnibus gratiis donisque complere debeat ac revera continuo complet ; Ioan. 15,5 sine me nihil potestis facere.

Sed diversam vocis πλήρωμα acceptionem iam praebet nobis *Theod.* ; dicit enim ecclesiam vocari plenitudinem Patris, Patrem enim eam implevisse donis omnis generis. Unde πλήρωμα sumitur non sensu activo, sed sensu passivo : id quod impletum est. Notum est voces in μα generatim habere sensum passivum. Quam notionem recentiores sat multi etiam pro nostro loco postulant. In usum vocis ac notionem eius passivam diligenter inquisitum est (cf. Fritzsche, Rom. II, p. 469 sq. ; Expositor 1890 p. 462-472; Lightfoot, Ep. Coloss. p. 255-271) et Cremer (Bibl. theol. Woerterb. edit. 9.) simpliciter asserit vocem semper usurpari sensu passivo. Et eo sensu certo dicitur v. g. Rom. 13,10 πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη impletio legis est caritas (vulg. plenitudo legis) et v. 8 ὁ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον νόμον πεπλήρωκεν, item Gal. 4,4 et in nostra hac epistola 1,10 πλήρωμα τοῦ χρόνου, τῶν καιρῶν, Rom. 11,25 τὸ πλ. τῶν ἐθνῶν

numerus completus; sensu passivo adhibetur Col. 1,19; 2,9; pariter Ioan. 1,16 ἐκ τοῦ πλ. αὐτοῦ de plenitudine eius nos omnes accepimus, etc. Quare 1,23 ecclesia est plenitudo Christi i. e. quatenus Christus eam implet, suis donis ac gratiis eam complet ac perficit. Quae explicatio proponitur a *Bels. Henle, Hpt.* etc., et cum epistolae contextu melius quam prior illa congruere videtur.

Agitur enim primo et per se de exaltatione Christi eiusque dignitate a v. 20 et deinceps. Haec autem habetur in eo quod ipse praestat ecclesiae, non in eo quod ei quasi praebet ecclesia. Dein ex contextu fideles debent concipere spem firmissimam propter supereminentem magnitudinem virtutis Dei secundum operationem potentiae virtutis eius quam operatus est in Christo; iam fideles (ecclesia) sunt corpus Christi impletum donis eius ac gratiis, ergo iam habent firmissimum argumentum et certissimum pignus bonorum ad quae divinitus vocati sunt et ita excellentia et magnitudo promissionis : τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης iis quam maxime persuadebitur, qui eo modo iam intime Christo iuncti sunt. Nam quae Deus Pater Christo praestitit, praestabit et praestare debebit pariter corpori eius et membris iam vita Christi et eius donis animatis et exornatis. Ad hanc acceptionem prope accedit *Dam.* explicans : ἡ ἐκκλησία ἐστίν, ἡ δεκτική, φησιν, τοῦ διήκοντος, τῶν οὐρανίων πάλαι, νῦν δὲ καὶ ἐπιγείων, ecclesia est recipiens eum, qui olim coelestia pervadebat, nunc autem etiam terrena — ecclesia est plenitudo Christi quatenus Christum recipit, δεκτικὴ Χριστοῦ igitur. Et eodem modo *Ephr.* intellexisse censendus est, dum scribit : quemadmodum vestivit ipse sibi corpus nostrum hic, fit in fine ecclesia corpus eorporis eius : atque *ita implentur omnia ab eo*, qui in omnibus impletur.

Ex clausula illa v. 21 *et omne nomen quod nominatur*, etc. duo infert I. B. *Lightfoot* (Epistles to the Colossians and to Philemon, 1904 p. 150), apostolum exhibere impatientiam suam de angelologia adeo elaborata, quam speculationem repudiet utpote ad rem minime pertinentem; imo ea formula ipsa apparere, ordines illos angelicos non tamquam vere in rerum natura exsistentes ab apostolo describi, sed ab apostolo repeti opiniones quasdam subiectivas (St Paul does not profess to describe objective realities, but contents himself with repeating subjective opinions). Attamen mirum est, quod anglicanus episcopus hanc sententiam apostoli de angelologia (quam in aliis quoque epistolis eius invenimus) in eadem invenerit clausula, qua interpretes eum argumenti vim augere et confirmare voluisse affirmant. Neque admitti potest, eum nolle describere ordines angelorum in rerum natura exsistentes, sed solum referre opiniones subiectivas pseudodoctorum iudaeo-gnosticorum (cf. l. c. p. 101). Nam ea interpretatione apostolum secum ipso committeremus. Numquid enim imaginarii sunt vel ex subiectiva opinione repetiti principatus et potestates (αἱ ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐξουσίαι) quibus multiformem Dei sapientiam per ecclesiam innotescere debere idem apostolus docet (3,10), aut illi principatus et potestates, contra quos nobis esse luctandum monet (6,12), et quos aliquot annis ante nostram epi-

stolam eadem in serie cum angelis (utique malis) enumeravit (Rom. 8,38)?

Quod quo magis pateat, non erit inutile pauca addere de angelicorum ordinum nominibus a Paulo adhibitis. Praeter nomen *angeli* (ἄγγελος), quod apostolus plerumque velut omnibus creaturis mere spiritualibus commune adhibet (cf. 1 Cor. 4,9; 6,3; 13,1 etc.), in prima iam quam scripsit epistola *archangelum* nominat (1 Thess. 4,15), in quarta (quinta) deinde *principatus et potestates et virtutes* (1 Cor. 15,24 πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν), in epistola dein ad Romanos angeli, principatus, potestates, virtutes eadem in serie ponuntur (Rom. 8,38 ἄγγελοι, ἀρχαί, ἐξουσίαι, δυνάμεις: de varia lectione vide *Cornely*, Comment. in Rom. p. 464[1], ita ut nomine *angelorum* hic una tantum classis a reliquis distincta designari recte dicatur. Et haec habentur in epistolis ante captivitatem scriptis. Tempore captivitatis, uti hanc, ita epistolam scripsit ad Colossenses, in qua Filii Dei summam dignitatem asserturus in eo omnia esse creata dicit (ἐν αὐτῷ, δι'αὐτοῦ, εἰς αὐτόν) et enumerationem terminat quattuor classibus angelorum: *sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates* (θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαί, ἐξουσίαι, Col. 1,16), una classe quae in nostro loco nominatur omissa (δυνάμεις, *virtutes*) et altera addita quae in nostro non nominatur (θρόνοι, *throni*, vet. lat. *sedes*) ac reliquarum ordine permutato; unde eum in suis enumerationibus ad maiorem minoremve classium dignitatem non attendisse iure concludere licet. Duobus praeterea in locis epistolae ad Col. commemorat *principatus et potestates*, quibus si addideris tres nostrae epistolae locos, habes omnes, in quibus de angelicis classibus loquitur apostolus. Inde autem sole clarius elucet classes has in rerum natura exsistere ei esse certum.

Septem igitur classes nominibus apostolus distinguit: angelos, archangelos, principatus, potestates, virtutes, dominationes, thronos. Num aliae plures admittendae sint, ex eius testimonio definiri nequit, quia nunquam completam seriem tradere voluisse apparet. Neque magis nos docet, qua ratione singulae classes inter se distinguantur, neque alii loci s. Scripturae de completo classium numero aut de varia earum dignitate quidquam certi nobis tradunt. Tres ordines, angelos, potestates, virtutes recenset Petrus (1,3.22). Aliis in locis iisdem nominibus potestatum, principatuum, (ἐξουσίαι, ἀρχαί) magistratus humani nominantur (Rom. 13,1; Tit. 3,1; Luc. 12,11; aliter Luc. 20,20).

Apud veteres classes angelorum varie recensentur. Et *Origenes* quidem in primo libro περὶ ἀρχῶν prius enumerat angelos, principatus, potestates, thronos, dominationes (5,3; *M.* 11,159); postea (6,2 col. 167) recenset τάξιν ἀγγελικὴν ἢ δύναμιν ἀρχικὴν, ἐξουσίαν, ἢ θρόνον, ἢ κυρείαν, dein (8,1 col. 176) angelos nominat et archangelos. Sed in commentario in Ioan. (tom. 1,34; *M.* 14,80.81) ita habet: Deus genus primum quoddam rationale excellens honore fecit (πρῶτόν τι τῇ τιμῇ γένος λογικόν), ὅπερ οἶμαι τοὺς καλουμένους θεούς, ergo primum genus ex eius sententia sunt qui *dii* in scripturis vocantur; provocat enim eo loco ad Ps. 135 confitemini Deo deorum et Ps. 49,1 Deus deorum locutus est; alterum genus vocantur *throni*, tertium ἀρχαί. Ex hoc Origenis loco etiam intelligitur, quomodo *Ephrem* in primo loco angelorum ponat Elohim exaltatos[1] (Op. syr. I, 270); explicans enim Deut. 1,15 prima in classe ponit Elohim exaltatos, thronos, dominationes; in altera: archangelos, principatus, potestates, in tertia: angelos, virtutes, cherubim, seraphim.

1. Cogita de textu Ps. 82,6 (hebr, syr): ego dixi: Elohim vos, et filii exaltati omnes; Ps. 97,7 adorate eum omnes Elohim (hebr); Ps. 138,1 in conspectu Elohim psallam tibi (hebr) etc.

Ab inferioribus ad superiores ascendendo Basilius seleuciensis nominat τῶν ἀγγέλων χοροστασίας, καὶ τοὺς αὐτῶν ταξιάρχας, θρόνους, κυριότητας, ἀρχάς, ἐξουσίας, δυνάμεις, cherubim, seraphim (orat. 39,2; *M.* 85,429).

Duplicem ordinem sequitur Dionysius areopagita qui dicitur. Nam in cap. 6 (de coelesti hierarchia, *M.* 3,201) hanc ponit seriem: throni, cherubim, seraphim — ἐξουσίαι, κυριότητες, δυνάμεις — angeli, archangeli, ἀρχαί. At in cap. 7. 8. 9, in quibus singula nomina declarantur tres illos ordines seu gradus ita proponit: seraphim, cherubim, throni — κυριότητες, δυνάμεις, ἐξουσίαι — ἀρχαί, archangelos, angelos (*M.* 3,207.237.240.257). Postquam huius Ps. Dionysii opera divulgata sunt, maior quidam consensus, praesertim auctoritate Gregorii Magni effectus est. De utriusque sententia in explicandis hierarchiis et ordinibus et nominibus satis agit *Thom.* partim in Commentario, multo magis autem in Summa theol. (I qu. 108, a. 1-6). Hoc unum certum est, quod Augustinus dicit: « esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in coelestibus apparatibus firmissime credo et differre inter se aliquid indubitata fide teneo; sed quaenam ista sint et quid inter se differant, nescio » (ad Oros. c. Priscill. 11,14; *M.* 42,678); aut alio loco habet: « quid inter se distent quattuor illa vocabula, quibus universam ipsam coelestem societatem videtur apostolus esse complexus, dicant qui possunt; si tamen possunt probare quae dicunt; ego me ista ignorare confiteor » (Enchir. 58; *M.* 40,259).

Dubium non est quin apostolus nostro in loco de *beatorum* angelorum ordinibus loquatur; attamen quemadmodum angelos lucis et angelos satanae distinguit (2 Cor. 11,14 et 12,7), ita plerisque nominibus recensitis, atque iis praesertim quibus frequentius utitur (principatus et potestates), non beatorum tantum angelorum, sed etiam daemonum ordines nuncupat; angeli quippe ob peccatum a Deo reprobati pristinos suarum dignitatum titulos viresque naturales retinuerunt (cf. Rom. 8,38; 1 Cor. 15,24 et *Cornely*, Comment. p. 465.437; Eph. 6,12; Col. 2,15).

Ex qua miseria ad quantam dignitatem evecti sint 2,1-10.

2,1. *Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris,* 2. *in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae,* 3. *in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii irae, sicut et ceteri;* 4. *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos,* 5. *et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati),* 6. *et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu,* 7. *ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu.* 8. *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim*

2,1. Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν καὶ ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν, 2. ἐν αἷς ποτὲ περιεπατήσατε κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, 3. ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς πάντες ἀνεστράφημέν ποτε ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν, ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν, καὶ ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί. 4. ὁ δὲ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, 5. καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν συνεζωοποίησεν τῷ Χριστῷ (χάριτί ἐστε σεσωσμένοι), 6. καὶ συνήγειρεν καὶ συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 7. ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσιν τοῖς ἐπερχομένοις τὸ ὑπερβάλλον πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 8. τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ

donum est, 9. *non ex operibus, ut ne quis glorietur;* 10. *ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

ὑμῶν, Θεοῦ τὸ δῶρον, 9. οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται. 10. αὐτοῦ γάρ ἐσμε ποίημα κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπὶ ἔργοι ἀγαθοῖς οἷς προητοίμασεν ὁ Θεὸς ἵνα ἐν αὐ τοῖς περιπατήσωμεν.

In v. 5 B add και ταις επιθυμιαις, item B εν τω χριστω, item arm cop Chr Dam Vict Am Ambr.; complures testes οὗ χαριτι.

Bene monet *Hier.* hac in parte ante omnia ordinem lectionis esse reddendum, scil. illud primum *et vos* variis interpositis demum in v. 5 suum accipere complementum *convivificavit in Christo et conresuscitavit*, etc.; et eodem modo advertit *Thph.* ad v. 5 συνεζωοποίησεν esse apodosin sententiae ab initio inceptae, cetera esse interiecta. Atque paucissimis exceptis hodie καὶ ὑμᾶς eadem ratione supplent et iungunt. Neque enim ullo pacto fieri potest, ut καὶ ὑμᾶς referatur vel ad ἐγείρας 1,20 vel ad πληρουμένου 1,23. Praeterea omnis alia coniunctio ipsa serie cogitationum excluditur. Huius autem tanti hyperbati causam advertit *Est.* non tam in scribendi imperitiam, quam in vehementiam spiritus apostolici referendam esse, quo compulsus sit multa interponere, priusquam ad exprimendum verbum, a quo pendebat initium periodi, perveniret. Et cum in iis sermonem ab iis quibus scribebat transtulisset et extendisset ad fideles alios quoque (v. 3.4 *nos*) non prius illud *vos* in v. 5 reassumit, sed pergit in ratione loquendi interea usurpata.

Et in hac quidem parte continuatur argumentum ab 1, 18 et sq. tractatum. Ibi enim petit apostolus a Deo, ut bene intelligant et maxime aestiment quae sit spes vocationis et quae divitiae gloriae hereditatis Dei. Ut autem et magnificentiam et certitudinem huius spei et harum promissionum sibi intime persuaderent, apostolus eis perpendendum proposuit, quid Deus pro supereminente magnitudine potentiae suae iam praestitisset pro gloria et exaltatione Christi, cuius gloria et exaltatio, utpote capitis ecclesiae, simul argumentum est ac pignus pro gloria fidelium, ergo pro magnitudine, excellentia, certitudine spei illis divinitus exhibitae. In conditione igitur et exaltatione Christi illis ostenditur primum argumentum et firmissimum fundamentum spei; ad hoc accedit alterum, quod, quia proxime adiacet et illos ipsos quam maxime respicit et ipsorum experientia continetur, eo magis aptum et idoneum est ad spem beatam et firmam gignendam. Hoc autem in eo consistit, quod Deus iam pro ipsis fecerit.

Quale autem sit hoc opus Dei in ipsis iam apparens, quo melius perspiciatur, apostolus pristinum describit statum miserrimum, ex quo erepti sunt, eique opponit fastigium quoddam honoris ac dignitatis, ad quod iam elevati sunt et quidem simili quadam ostensione potentiae

Dei, quia, utpote mortui, gratia Dei in Christo ad vitam et ad partem donorum coelestium translati sunt. Unde in illis iam relucet forma quaedam ac similitudo Christi.

Exposuit apostolus 1,20-23 quid Deus pro Christo fecisset, quod primum est argumentum pro spe hoc loco expositum; transit ad alterum, quid pro ipsis praestiterit; quare simplici particula *et vos* sermonem continuat, *cum essetis mortui* ὄντας νεκρούς, cum allusione ad 1,20 ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ad opus Dei in Christo, nam cogitatione supplendum est : et vos mortuos convivificavit. Quali autem morte prostrati iacuerint, declaratur *delictis et peccatis vestris*; cf. Col. 2,13, mortui coram Deo, privati illa vita iustitiae quam Deus animis inesse vult, et quae est inchoatio quaedam vitae beatae coelestis (cf. Rom. 6,2-11). Multitudo et varietas peccatorum duabus illis expressionibus designatur, παραπτώματα, proprie lapsus, prolapsiones. Eius mortis et peccatorum gravitatem et causas tangit apostolus in sequentibus, v. 2 *in quibus aliquando ambulastis*, vitam degistis, conversati estis; iterationem ac consuetudinem vario modo peccandi indicat. Dein causas et fontes ostendit, ex quibus larga illa peccatorum copia exorta sit *secundum saeculum mundi huius*, κατὰ τὸν αἰῶνα secundum tempus *mundi huius*, mundus autem consideratur tamquam adversarius et inimicus Dei; unde tempus mundi est periodus illa qua indoles mundana, Deo inimica, ergo consuetudo peccandi dominatur. Quare sensum bene declarat *Euth.* ὁ αἰὼν λέγεται ἡ ζωὴ, vita mundi, vita mundana ὑλικὴ, nihil habens spirituale designatur, et *Thph.* : οἱ τὰ τοῦ κόσμου φρονοῦντες, temporalia solum appetentes. Censet *Chrys.* apostolum mansuetudinem exhibere, ne accusatione nimis gravarentur; nam ipsa tempora moresque hominum illam peccandi consuetudinem secum ferebant.

Et insuper « ne eos valde gravaret, dedit eis adiutorem, ne existimaretur totum eis esse imputandum, et quidem adiutorem fortem, diabolum » (*Chrys.*) *secundum principem potestatis aeris huius*, praeter mundum et homines peccatores in mundo etiam princeps huius mundi (Ioan. 14,30) vel deus huius saeculi (2 Cor. 4,4) copiam illam et consuetudinem peccatorum promovit; est alia causa externa peccatorum infesta hominibus mundi. Disputatur de notione τῆς ἐξουσίας hoc loco; ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος potest significare : princeps, cui competit potestas aeris, cuius quasi dominium et imperium est in aere, qui habet potestatem in hoc aere, ita ut regio in qua versatur et unde suam exercet potestatem sit aer (*Hier. Thom. Ew.*). Sed quamvis secundum 6,12 aer dici possit regio ubi versantur daemones, tamen aerem esse regnum diaboli seu regionem eius potestatis ac dominii nequit assumi. Manet altera notio ἐξουσία, quae 1,21 et 6,12 nobis suggeritur, nomen esse col-

lectivum et dicere uti 1,21 ordinem angelorum, ita hic ordinem quendam vel classem daemonum (ita *Lap. Est. Nat. Bels. Henle, Hpt.*). Unde ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας exhibebit notionem, sicut Beelzebub, princeps daemoniorum. Quod vulg. habet *aeris huius*, τούτου profertur a paucis (FG, Tert. Ambr.); *aeris*, ea voce declaratur regio, ubi versantur daemones, uti *Thph.* dicit, « principem potestatis aeris appellat, non veluti in aerem dominetur, absit! sed quod in eo demoretur ». Nam ut homines perducere possint ad peccata, tamquam spiritus prope homines in aere versari facile cogitantur.

Attamen explicatio proposita subiacet dubio. Nam non est omnino certum ἐξουσίαν posse accipi nomen collectivum. Nam ubi ita adhibetur, ei apponitur πᾶσα, vel legitur in plurali (Eph. 1,21. Col. 2,10. 15). Quare ab aliis negatur ἐξουσίαν notione illa collectiva accipi posse (cf. *Abb. Ew.*). Neque valet analogia, ut : συμμαχία i. e. σύμμαχοι, δουλεία i. e. δοῦλοι, πρεσβεία i. e. πρέσβεις, nam ἐξουσία aliter se habet, quia ἐξουσίαι seu πᾶσα ἐξουσία totum illum ordinem designat. Inde alii retinent notionem potestatis et explicant locutionem : principem potestatis cuius sedes sit in aere. Fortasse phrasis etiam concipi potest : principem potentem aeris, eodem sensu. Alii tentarunt explicare ex Col. 1,13 principem potestatis tenebrarum; at ἀέρος certe non idem est ac σκότους; neque si aer distinguitur ab aethere, continuo sequitur aerem poni pro tenebris. Singularis est opinio *Ephr.:* princeps est super aera ad accipiendam ab eo similitudinem formae visibilis (ad h. l.).

Notat *Thom.* aliam litteram (lectionem variantem) habere : spiritum qui nunc operatur ; secundum quam lectionem constructio est obvia : secundum principem potestatis, secundum spiritum, et appositione explicatur iste princeps. Verum legitur τοῦ πνεύματος, *spiritus*, qui genitivus per se dependere potest ab ἄρχοντα, ita ut spiritus qui nunc operatur ab altiore quodam principe missus eique inserviens exhibeatur. Sed fortasse melius et secundum collocationem arctius refertur genitivus ille ad ἐξουσίας, appositionis et explicationis loco; nomen collectivum de turba daemonum seu ἡ ἐξουσία τοῦ ἀέρος declaratur esse τὸ πνεῦμα sensu generico. Et quantam stragem potestas daemoniaca efficiat, habetur τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος, magna exhibetur efficacia et funestus cernitur effectus etiam nunc apud eos qui eius dominationi subsunt ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, scil. filii inobedientiae, noto hebraismo, ii sunt qui indole moribusque contumaces sibi persuaderi non patiuntur et obedientiam detrectant, Deo fidem et obedientiam denegant. Peccati autem natura est inobedientia, est rebellio; daemon autem qui inobedientia et rebellione factus est daemon, pro sua natura et indole quam efficacissime operatur in animos cognatos. Quare qui in delictis et peccatis ambulant, quam maxime agunt secundum daemonem.

Quam efficaciter iste spiritus agat et quam potens auxilium reperiat

in illis ipsis quos oppugnat, describitur in v. 3; indicatur simul accedere ad impugnationem externam mundi (hominum perversorum) et diaboli causam aliam ipsi homini internam, naturam scil. ipsam hominis corruptam. Ne autem illos solos quibus epistola legitur arguere tamquam peccatores videatur (*Vict. Euth.*), modum loquendi generalem de omnibus fidelibus adhibet v. 3 *in quibus et nos omnes*, nota quam frequenter apostolus ab allocutione (*vos*) transeat ad locutionem generalem (*nos*), vide 1,12.13.14.18.19 et 2,3.5.7.8.10; quare hic quoque neutiquam cerni potest transitus ab ethnico-christianis ad iudaeo-christianos.

Quod dicitur *in quibus* ἐν οἷς explicatur ab aliis: in quibus delictis (*Hier. Thom. Est. Nat.*), ab aliis: inter quos (ita *Chrys.*, ut videtur, *Just. Lap. Bels. Henle, Hpt. Ew.*), quod proxime adiacet et ipso sensu commendatur: *nos omnes aliquando* in numero filiorum inobedientiae *conversati sumus*, nos omnes eramus peccatores. Fontem autem omnibus internum peccatorum assignat; nam vivebamus, agebamus *in desideriis carnis nostrae*, quae desideria ad mala opera erant efficacia: *facientes* τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς, malos impulsus et incitamenta carnis nostrae secuti ea operibus expressimus et complevimus; itemque τὰ θελήματα τῶν διανοιῶν *cogitationum*, mentium, i. e. pro sua quisque mente, indole, animi dispositione et affectu impellitur ad peccata, ad superbiam, invidiam, iram, vindictam etc. In homine ipso duo fontes desideriorum et appetituum designantur: unus ex parte naturae humanae inferiore, ex carne; alter ex parte superiore, ex mente.

In quam miseram conditionem pervenerint, depingitur sententia absolute adiecta: *et eramus natura filii irae*, quotquot nunc sumus fideles, antea eramus *sicut et ceteri*, repetitur quoad sensum et cum emphasi quod antea dictum est: in quibus et nos omnes etc. Verum status ille ante fidem susceptam describitur ratione habita Dei, et natura et malitia peccati depingitur ex Dei de eo iudicio et ex supplicio peccatori debito, ἤμεθα τέκνα φύσει ὀργῆς eramus obnoxii secundum naturam, per naturam, irae divinae. Ratione habita Dei peccatum provocat indignationem, iram Dei; Deus maxima aversione et indignatione prosequitur peccatum, quae ira Dei in poenis et suppliciis de peccatis manifestatur. Et in tali conditione eramus φύσει, ipsa nostra natura nos fecit obnoxios irae, illa scil. natura corrupta, cuius desideria et appetitus et impulsus in parte inferiore ac superiore modo descripta sunt. Vim vocis non attigerunt qui teste *Hier.* verterunt prorsus, sive omnino, neque *Thph. Oec.* explicantes: ἀληθῶς, γνησίως vere, germane. Nota oppositionem ad id quod nunc ex gratia facti sunt.

Quaeritur, doceaturne hic peccatum originale? graeci quidem interpretes de ea doctrina hoc loco non loquuntur; at latini interpretes com-

muniter ibi nveniunt hanc doctrinam expressam. Ita *S. Augustinus* (varios eius locos recenset *Est.*) *Thom.* « peccatum vero originis insinuat » et *Est.* « nec vero alius intellectus magis congruit » similiter *Nat.* « peccatores, inquam, nati eramus, sicut et gentiles », et *Iust.* « recte dixit Chrysostomus, quemadmodum ex homine natus, natura ipsa homo est, ita nos una cum natura peccati labem contrahimus » (tam aperte quidem s. Doctor non loquitur : sicut qui est filius hominis, natura homo est, ita nos quoque irae filii eramus, sicut et ceteri, hoc est, nemo liber erat, sed omnes fecimus ἄξια ὀργῆς quae iram merentur) et *Lap.* plenum apostoli sensum esse ait, ut non solum corruptio naturae in Adamo spectetur, sed etiam et multo magis quod ex ea secutum est; de peccato originali etiam explicant *Henle*, *Belser*, et aliqui recentiores acatholici. Negant autem *Abbott*, *Hpt. Ew.*

Quaestio dependet a ratione qua sententia : et eramus natura filii irae, concipitur in hoc contextu; scil. estne consecutio seu sequela ex antecedentibus seu continuatio descriptionis illius ἀνεστράφημεν *conversati sumus*, facientes... et eramus (*ergo*) natura iudicio obnoxii, seu filii irae; an haec sententia capi debet eo sensu, ut ex re quadam antecedenter facta inferatur causa, cur tam male conversati simus, sic ut explicari debeat ita : *nam* eramus natura iudicio obnoxii ?

Si ipsa constructio sententiae spectatur, ad ἀνεστράφημεν additur descriptionis causa ποιοῦντες, sensu temporis praeteriti : cum faceremus; si nunc assumitur apostolum relicta constructione participali καὶ ὄντες τέκνα φύσει ὀργῆς verbis καὶ ἤμεθα inferre conclusionem, seu effectum ex ἀνεστράφημεν ποιοῦντες, tum utique per se non statim inferri potest peccatum originale, et φύσει exhibet (quod *Cai.* hoc loco vult) pronitatem naturalem, fomitem, i. e. refertur ad *desideria carnis nostrae*, quae ex ipsa natura oriantur.

Ex altera parte autem potest dici, si solum effectus describeretur, potius erat exspectandum : *et facti sumus* natura (indole naturae) iudicio, irae obnoxii. Potest itaque urgeri : *et eramus*, iam eramus, ita conversati sumus facientes, quia *eramus* ipsa natura iudicio obnoxii; dein necessario φύσει notionem culpae seu peccati includit, quia obnoxium esse irae non ad solum fomitem, sed ad culpam pertinet.

Apostolus conditionem ante susceptam fidem describens proposuit ultimo loco fastigium miseriae ex peccatis exortae, iram (Dei). Quid ergo exspectare debuerunt ? nihil, nisi supplicia et condemnationem. Quare efficaci oppositione eo magis effertur et elucet Dei misericordia, caritas, gratia et status ille vitae et exaltationis in quem translati sunt (v. 4-10). Dum apostolus depingebat luctuosam illam conditionem eiusque causas externas et internas pluribus recenseret, oblitus est ini-

tium sententiae καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκρούς, unde pergit solum respiciens ultimam sententiam καὶ ἡμεθα et ei opponens quid ex sua parte Deus fecerit v. 4 *Deus autem* ὁ δὲ Θεός, quare δὲ hoc loco positum bene intelligitur, neque opus est ullo pacto subtili illa sententiarum traiectione, qua *Orig.* (cat. 134) et *Hier.* particulam removere conati sunt. De illa conditione ante fidem quam maxime valuit illud : vidit Dominus et misertus est super magnitudinem mali (1 Par. 21,15); *Deus autem* πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει, cum esset dives, « ut clarius significetur causa beneficii praestiti, non ex parte nostra sed ex parte Dei » (*Est.*), et *Chrys* : non dicit simpliciter ἐλεήμων, sed πλούσιος, sicut et alibi : in multitudine misericordiae tuae (Ps. 68,14.17) et miserere mei secundum magnam misericordiam tuam (Ps. 50,1). Bene primo loco mentio fit abundantiae misericordiae Dei, qua Deus non iram (quam meruerамus), sed miserationem summam tristi illi statui obtulit et exhibuit. Et notat *ThdM.* : « resumpsit iterum illud in illa narratione donationis Dei, ultra non dicens *vos*, sed *nos*, ut ostendat quoniam et malitiam aestimat esse communem, et gratiam similiter ».

In coniungendis membris varietas quaedam deprehenditur, διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην etc. nectitur iam apud *Thom.* cum antecedente membro ; « quando amor causat bonitatem in dilecto, tunc est amor procedens ex misericordia; amor autem quo Deus amat nos, causat in nobis bonitatem et ideo misericordia ponitur hic quasi radix amoris » ; eandem coniunctionem cum antecedente servant aliqui recentiores (cf. *Hpt.*); alii tamen referunt ad subsequentia (*Bels. Henle, Ew.*). Etiam illud in v. 5 καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς ἐν τ. π. trahitur ad sententiam relativam ; ita *Nat.* « Deus, cuius misericordiae et bonitatis inexhaustus est thesaurus, propter immensam caritatem suam qua nos dilexit, etiam cum essemus mortui morte peccati, nos participes fecit vitae Christi » ; eodem modo explicat et iungit *Ew.* (mit der er uns liebte auch als wir...). Sed plerique eam partem melius trahunt ad subsequentia. Nam καὶ ὄντας ἡμᾶς v. 5 ita dicitur, ut facile appareat verba καὶ ὄντας ὑμᾶς in v. 1 quasi iterum assumi, ergo debent iungi cum verbo primario συνεζωοποίησεν, suadetur oppositione : imo mortuos peccatis convivificavit, in qua locutione aperta continetur allusio ad 1,20 suscitans illum a mortuis, quae allusio et similitudo cum iis quae Deus Christo fecit nobisque in Christo et cum Christo praestat, etiam magis proponitur in v. 6 : conresuscitavit et consedere fecit. Praeterea sententia relativa completur plane ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, cur iterum repeteretur ἡμᾶς καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκρούς? Si ad sententiam relativam haec pars adiuncta esset, omnino suffecit καὶ ὄντας νεκροὺς, accedit quod ad *convivificavit* et obiectum ἡμᾶς et conditio illa νεκρούς, prorsus apte congruit ; explica participium : imo quamvis essemus mortui nos ad vitam revocavit.

Uti supra ad spem nostram confirmandam nobis operatio potentiae virtutis Dei est proposita, ita hoc loco effertur ubertas misericordiae eius et multitudo caritatis et gratia, secundum quam ex morte spirituali educti ad intimum cum Christo consortium elevati sumus, ex quo consortio pariter nobis praebetur argumentum et pignus ad divitias gloriae hereditatis suo tempore adipiscendas (1,18). Quare quae Deus iam in nobis effecit, solamen sunt, incitamentum et fundamentum spei sublimioris. Quamvis enim essemus mortui delictis, nos non solum ab hac morte liberavit, sed etiam συνεζωοποίησεν Χριστῷ fecit nos conviventes Christo, nova vita qua vitae Christi participes sumus nos donavit (cf. Rom. 6,4;8,11) scil. per regenerationem spiritualem in baptismo acceptam. Haec autem liberatio a morte et haec novitas vitae, qua complantati sumus cum Christo, est salus nostra gratia Dei nobis collata — quare additur χάριτί ἐστε σεσωσμένοι, beneficium declaratur in praesenti iam exhibitum — sententia est parenthetica, quam ex affectu apostolus in medium protulit admiratus Dei donum (*Thph.*) et eos ad quos dirigit epistolam (*estis salvati*) ad huius gratiae agnitionem et aestimationem provocans.

Haec nova vita quam cum Christo accepimus alia quoque dona et pignora nobis attulit v.6 *et conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu*, quae facta sunt Christo ad nos pertinent; in Christo, utpote intime cum eo iuncti tamquam membra capiti adnexa, in Christo resuscitato et in gloria collocato etiam nos iam sumus resuscitati et in coelo adscripti. Apte explicat *ThdM.* : illis quae dixit de Christo nos ait communicasse per illam quae apud eum est coniunctionem (*Swete* l. c. p. 145); et vide Col. 2,12.13; 3,1; Rom. 8,10; et *Dam.* iam sumus in coelo, quatenus sumus in Christo. Cum emphasi ponitur ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, quia tota vis sententiae et tota probatio assertionum harum duarum colligitur ex eo, quod in Iesu nos fecit Deus conresuscitari et consedere. In consilio enim divino et in consideratione, qua Christus in habitudine sua ad fideles respicitur (vi operis redemptionis et vi vitae a Christo communicatae unionisque cum iustis) Christus glorificatus nequit concipi nisi cum redemptis glorificatis. Quare in eo haec, uti irrevocabiliter decreta, ita iam facta esse perhibentur. Modus autem loquendi idem est quem etiam in verbis Christi haud semel deprehendimus : qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui credit ei qui misit me, habet vitam aeternam; qui manducat meam carnem habet vitam aeternam, vivet in aeternum; ego do eis vitam aeternam etc. (Joan. 3,6; 5,24; 6,40.55;10,28). Aeque breviter ac clare ait *Chrys* : τῆς γὰρ κεφαλῆς καθεζομένης καὶ τὸ σῶμα συγκάθηται, sedente enim capite corpus quoque sedet (item *Thph.*, alii). Addunt alii : nos una cum Christo resuscitavit ad vitam immortalem

data spe et pignore futurae resurrectionis; nos cum Christo sedere fecit in coelo data nobis arrha coelestis hereditatis (*Iust. Est. Nat.*). Quibusdam placet, apostolum loqui tempore praeterito more prophetarum utpote de re certissima (*Lap. Bels.*).

Ad quid tota haec oratio tendat, manifestum est : demonstratur enim ex omnibus istis quae Deus iam pro nobis fecit nobisque proposuit : quae sit spes vocationis Dei et quae divitiae gloriae hereditatis eius (1,18); id quod hoc loco etiam in memoriam revocat *Chrys.* : « vidisti supereminentem magnitudinem potentiae eius in nos credentes? vidisti gloriam hereditatis eius? » Unde simul apparet a contextu et mente apostoli alienam esse explicationem illam spiritualem, nos suscitatos esse a morte peccati et revocatos ad vitam iustitiae. Haec enim vita nova spiritualis iam clare exprimitur in v.5 convivificavit — gratia salvati — neque dici potest utramque explicationem esse coniungendam. Refertur quidem resuscitatio Christi ad vitam spiritualem Rom. 6,4 : ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus; at eo loco ponitur significatio et effectus baptismi; hoc autem nostro loco magis effertur, nos revera iam esse cives regionis coelestis (Phil. 3,20 graece) et nos iam accessisse ad Ierusalem coelestem et multorum millium angelorum frequentiam et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis (Hebr. 12,22; cf. Gal. 4,26); haec enim est argumentatio et hic status quaestionis nostro in loco et contextu. Nec obstat Col. 2,12; 3,1; nam ibi proxime sermo est de effectu baptismi; quod autem dicitur Col 2,13 idem est quod enuntiatur in nostra epistola 2,5.

Porro subditur finis seu scopus totius huius operationis virtutis Dei erga nos v. 7 *ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae* τὸ ὑπερβάλλον πλοῦτος (cf. 1, 18.19), uti 1,6.12.14 ter enuntiatus est finis salutiferae operationis Dei *in laudem gloriae gratiae eius*, ita hoc loco spectatur pariter manifestatio et exhibitio gloriae gratiae et quidem ita ut per aeterna saecula omnibus in gloria constitutis Deus ostendat abundantes divitias gloriae quas fidelibus contulit; hac autem ostensione continetur laus et gloria Dei, et cum Deus hunc finem velle et in effectum deducturus esse dicatur, simul novum quoque proponitur argumentum pro sententia 1, 18 enuntiata, scil. pro magnitudine et certitudine spei. Haec ostensio erit ἐν τοῖς αἰῶσιν τοῖς ἐπερχομένοις, in alia vita, uti *Thom.* dicit, in saeculis vitae futurae. De notione ἐπέρχεσθαι vide Is. 41,22 τὰ ἐπερχόμενα quae ventura sunt, nuntiate nobis; 42,23; 45,11. Luc. 21,26. Ostendentur abundantes divitiae gratiae, « thesaurus nunc occultus quia nondum apparuit, sed ostenditur in saeculis superventibus, quia in patria omnia nobis erunt aperta, quae ad manifestam sanctorum gloriam pertinent » (*Thom.*). Additur ad χάριτος αὐτοῦ determinatio

duplex *in bonitate erga nos* scil. quo animo, quo affectu erga nos Deus gratiam dederit, ἐν χρηστότητι in benignitate ; dein *in Christo*, quatenus omnis gratia a Deo collata habet fontem, causam in Christo et ob eius meritum datur. Haec duo pertinent ad gratiam plene cognoscendam et aestimandam et in illa ostensione pariter manifestabuntur. Addi autem eiusmodi determinationes, uti hic ad τῆς χάριτος, sine repetitione articuli satis frequenter usuvenit (cf. *Blass* § 47,8). Addi porro ad gratiam eiusmodi determinationem inde patet, quia ostensio non fit in bonitate neque in Christo, sed ostensio est divitiarum.

Quo magna illa quae Deus in nobis operetur melius aestimentur, iterato monet apostolus haec omnia ad unum favorem Dei, ad gratiam, ad beneficium prorsus gratuitum esse referenda neque quidquam nobis ipsis posse attribui. Explicatur itaque opus Dei v. 8 *gratia enim* τῇ χάριτι (cf. v. 7) *estis salvati* (cf. v. 5) *per fidem*, est enim fides initium, fundamentum et radix omnis salutis seu iustificationis, *et hoc non ex vobis*, « ne fides quidem, inquit, est ex nobis ; nam si non venisset, si non vocasset, quomodo potuissemus credere ? ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo te coercet et comprimit » (*Chrys.*). Unde a fortiori esse salvatum per fidem, non est a nobis, et ad totam sententiam refertur illud καὶ τοῦτο. Cum epitasi additur Θεοῦ τὸ δῶρον, dictio ipsa sua brevitate fortior est graeca quam latinum *Dei enim donum est ;* cf. Rom. 4,16 : ideo ex fide, ut secundum gratiam ; nam v. 9 *non ex operibus*, ita explicatur magis illud : *non ex vobis*, non vestris meritis seu laboribus, *ut ne quis glorietur* « in seipso, sed tota gloria in Deum referatur » (*Thom.*) ; si autem ex gratia, iam non ex operibus ; alioquin gratia iam non est gratia (Rom. 11,6). Illud *non ex operibus* declaratur et suppletur addita sententia μή τις καυχήσηται ; si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam (καύχημα, materiam gloriandi, Rom. 4,2) ; cf. 1 Cor. 1,29. Et pergitur in explicatione verborum : et hoc non ex vobis.

Ad unum enim Deum eiusque gratiam cuncta esse referenda, ulterius declaratur v. 10 *ipsius enim factura sumus* ποίημα, eius opus, eius creatura sumus nos fideles, in quantum sumus fideles ; tota haec nova vita uni Deo effectori est adscribenda ; et qualis sit haec creatura et ad quas operationes sit condita, docemur in sequentibus : *creati in Christo Iesu*, haec creatio in ordine gratiae tota fundatur et innititur in Christo, in eius meritis, et ipsa haec nova creatura unitur Christo et totam suam vitam habet in Christo et vires suas haurit ex Christo. Ad quid autem proxime haec nova creatura a Deo in Christo sit effecta, exponitur ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς i. e. particula ἐπὶ assignatur finis : ad bona opera (uti *Lap.* bene graecum vertit). Illi *non ex operibus* opponitur in nova hac creatura et ex vita illa accepta v. 6 munus et officium operum bonorum, « ne cum

audieris, non ex operibus sed fide totum gestum esse, otiosus maneas » (*Chrys.*). Ad quae opera pariter auxilio divino indigemus *quae praeparavit Deus*, οἷς (per attractionem ad ἔργοις) προητοίμασεν antea praeparavit scil. quatenus iam antea voluit et destinavit, ut fierent, et quatenus antea subsidia providit, ut recte fierent, scil. praeparat et dat nobis gratiam excitantem, pios instinctus et impulsus, illuminationes, auxilia potentia ad bene operandum, *ut in illis ambulemus*, ut in illis faciendis vitae nostrae rationem et tempus impendamus, ut in illis assidue versemur; est scil. plane alia vivendi ratio et conversatio ab illa prioris vitae secundum saeculum mundi huius (v. 2,3). Non sufficit inchoare; *ambulare* innuit « nos esse debere assiduos et continuos, non per duos vel tres annos, sed per omnem vitae nostrae viam et cursum » (*Lap.*); vel, ut *Thom.* concipit : sic nobis ea praeparavit, ut ea nos ipsi nobis per liberum arbitrium impleremus; et ex toto contextu infert *Cai.* : « excluduntur merita operum nostrorum antecedenter respectu fidei, et asseruntur consequentia ad fidem. » Et haec ipsa opera bona Deum eiusque gratiam habent auctorem, uti Deus iam per prophetam dixit : faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini (Ez. 36,27; *Est.*).

Quanta speciatim pro gentibus praestita sint 2,11-22.

2,11. *Propter quod memores estote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini praeputium ab ea quae dicitur circumcisio in carne manu facta,* 12. *quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo.* 13. *Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua,* 15. *legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem,* 16. *et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* 17. *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe fuistis, et pacem iis qui prope;* 18. *quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* 19. *Ergo iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei,* 20. *super-*

2,11. Διὸ μνημονεύετε, ὅτι ποτὲ ὑμεῖς τὰ ἔθνη ἐν σαρκί, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου, 12. ὅτι ἦτε τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. 13. νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ὑμεῖς οἵ ποτε ὄντες μακρὰν ἐγενήθητε ἐγγὺς ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ. 14. αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἓν καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, 15. τὴν ἔχθραν, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασιν καταργήσας, ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν αὐτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον, ποιῶν εἰρήνην, 16. καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ διὰ τοῦ σταυροῦ, ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ, 17. καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ εἰρήνην τοῖς ἐγγύς, 18. ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν οἱ ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα. 19. ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ ἐστὲ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ, 20. ἐποικοδομηθέντες

aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, 21. *in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino,* 22. *in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, 21. ἐν ᾧ πᾶσα οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν κυρίῳ, 22. ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι.

Hoc tandem loco sermo aperte et directe transfertur ad ethnico-christianos, quos apostolus alloquitur et quorum conditionem pristinam a foedere et regno Dei alienam pluribus describit, quo redemptio Christi et beneficia collata clarius apprehendantur. Unde simul sufficienter indicari videtur, in antecedentibus nusquam ethnico-christianos interpellatos esse tamquam distinctos a Iudaeo-christianis, verum apostolum per *vos* sermonem direxisse ad omnes eos quibus epistolam destinavit, et adhibendo *nos* generatim eum extendisse ad fideles omnes vel usum esse modo loquendi tali ut sese et illos qui cum ipso erant simul includeret.

In hac parte exponitur, quomodo per Christi redemptionem (sanguinem, crucem) ethnico-christiani omni prorsus discrimine inter gentes et Iudaeos natione sublato ad plenam dignitatem civium regni Dei assumpti sint. Etiam hac expositione continuatur argumentum a 1,18 inceptum. Eadem excellentia et magnitudo spei valet etiam pro ethnicochristianis, quia eodem ordine sunt cum reliquis fidelibus; sicut (2,1-10) in antecedentibus sublimitas et certitudo spei nobis cognoscenda proponitur ex iis quae Deus generatim pro fidelibus iam praestiterit, ita eodem modo in hac parte eadem magnificentia et certitudo spei nobis colligenda exhibetur ex illis quae speciali ratione pro gentibus qua gentibus efficienda erant.

De constructione sententiarum adverte, illud ὅτι *quod* v. 11, repeti ὅτι *quia* in v. 12, et ita in v. 12 enuntiari quid considerandum sit seu cuius conditionis memores esse debeant; illud ποτὲ *aliquando* v. 11, reassumi v. 12 *illo in tempore* et ei opponi in v. 13 νυνὶ δέ *nunc autem*, quae sententia, quamvis quoad sensum necessario pertineat ad μνημονεύετε ὅτι *memores estote* et hanc sententiam compleat, tamen absolute ponitur.

Disceptatur, ad quid referatur διό *propter quod;* ex Marcione et Victorino sequi videtur nullam particulam olim lectam esse, id quod placet *Eic.* ob difficultatem aptum inveniendi nexum. Particulam *Chrys.* adiungit ad sententiam immediate antecedentem, scil. nos esse creatos ad bona opera. Melius connectunt alii cum doctrina enuntiata de salute ex mera gratia Dei concessa et quidem ita ut ad totam partem (v. 1-10) respiciatur (*Hpt.*) vel ad ultimas sententias (*Est. Henle*), aut cum *Cai.* ad salutem per fidem et progressum in bonis operibus. Si perpenda-

mus, quid apostolus ex 1,18 continuo ob oculos habeat et ex Dei opere et ex beneficiis collatis prosecutus in tuto collocatum velit, nexus proxime adiacens mihi esse videtur, ut fiat transitus ab eo quod modo dictum est : ipsius enim sumus factura v. 10. Vult itaque apostolus ut *memores sint* i. e. non solum ut recordentur, sed multo magis ut bene considerent quantum pro ipsis Deus iam praestiterit. Omnes quidem sunt ποίημα Dei, creati in Christo; id autem conditione gentium specialiter perpensa potiore quodam iure iis in mentem revocari debet : ideo *memores estote*, diligenter expendite; iste autem imperativus non solum pertinet ad v. 11.12, ubi clare ex grammatica adscribitur, verum logice seu ex intentione apostoli totam hanc epistolae partem tangit et in ea quasi dominatur.

Illos iubet considerare, *quod aliquando vos*, completur sententia in v. 12 : *eratis sine Christo* etc. ; apponitur ad *vos* τὰ ἔθνη ἐν σαρκί *gentes in carne*, nationè sunt et manent gentes, secundum carnalem generationem sunt non-israelitae, ratione carnis habita, in carne sunt τὰ ἔθνη et pertinent ad eos qui a Iudaeis per irrisionem vocantur ἀκροβυστία, dum ipsi Iudaei se ipsos vocant περιτομή, in qua superbe vident suam electionem a Deo et signum foederis quod Deus iniit cum eorum patribus (Gen. 17,10 sq.). De usu horum nominum vide Rom. 2,26 (si praeputium iustitias legis custodit) 3,30 (Deus iustificat circumcisionem ex fide, praeputium per fidem) 15,8; Gal. 2,7 (creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis). Verum circumcisionem per se nihil spirituale conferre, sed versari solum in re corporali externa declarat apostolus addens ἐν σαρκί — en gentes in carne et Iudaei in carne — unde simul apparet utroque loco *in carne* simili modo de re corporali concipi debere; neque *gentes in carne* explicari posse : vivere gentes carnaliter, vitiose. Etiam in modo quo circumcisio fit, nihil reperitur quo effectus spiritualis innuatur, cuncta sunt corporalia; *manu facta*, sine caerimoniis seu precibus, quibus animi ad coelestia cogitanda evehantur. Quare Iudaei in vanum iactant περιτομήν et gentes nihili faciunt, si vocantur ab iis appellatione ἀκροβυστία.

Sed gentes revera fuisse in inferiore quadam conditione et caruisse emolumentis religiosis quibus Iudaei praediti erant, exponitur v. 12, antea, ante fidem susceptam *illo in tempore*, quando erant *sine Christo*, quando adhuc vitam ducebant sine cognitione Christi in gentilitate, erant *alienati a conversatione Israel* ἡ πολιτεία administratio, respublica-Israel erat theocratia; ea institutione servabatur cognitio veri Dei, cultus eius et doctrina recta morum; hisce emolumentis carebant gentes; vero aliquo sensu erant eo tempore *alienati*, abalienati *a conversatione Israel*, scil. a religioso instituto, quatenus idololatria per se est aliena a

vera religione eique inimica; eius oppositum habetur v. 19 συμπολῖται τῶν ἁγίων. Debet autem πολιτεία accipi non de civili administratione, verum de republica Israel religiosa, quatenus religiosum institutum consideratur; enumerantur enim etiam in subsequentibus subsidia religiosa, quibus olim carebant, nunc autem fide suscepta fruuntur; ἡ πολιτεία τοῦ Ἰσραὴλ erat autem pro ratione temporis regnum Dei (cf. Ex. 19,5 eritis mihi in peculium, in regnum sacerdotale).

Porro erant *hospites* ξένοι, alieni, peregrini (*Hier.*), extranei a foederibus pactisque seu dispositionibus promissionis quibus Israel praeditus erat, διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, varia foedera quibus promissiones adnexae erant vide Gen. 15,18; 17,7.8; 26,3 sq. 28,13 sq. hisce promissionibus enata est spes messiana, per prophetas declarata et exculta, qua populus in calamitatibus confortatus et erectus regnum Dei et florentem reipublicae statum nunquam non laetis animis praestolabatur. Graeci, *Hier. Ephr.* recentiores τῆς ἐπαγγελίας referunt ad διαθηκῶν, latini et *Dam.* quoque iungunt *promissionis spem non habentes*, *Ambrst.* distincte legit *et* promissionis spem, quae distinctio ab *Est.* commendatur, « tum quia promissio satis in nomine testamenti continetur, tum quia apostolus etiam alibi testamenta scripsit absolute, ut Rom. 9,4, postea subiungens promissa, tum denique quod genitivus *promissionis* cum vocabulo sequente secundum Scripturam melius cohaereat; nam testamenta promissionis nusquam legimus, spem autem et exspectationem promissionis Act. 1 et 26 et 2 Petr. 3 ». Legitur utique Act. 26,6 ἐπ' ἐλπίδι τῆς ἐπαγγελίας, aliis locis coniungitur promissio cum verbo exspectandi περιμένειν Act. 1,4 et τὸ ἐπάγγελμα προσδοκᾶν 2 Petr., 3, 13. Nihilominus prior sententia est praeferenda. Nam vox διαθήκη sola non dicit per se bona promissa neque ea includit, sicut nec pactum seu foedus; neque fide suscepta participes facti sumus pacti seu foederis olim cum patriarchis seu cum populo conclusi, sed solum promissionis illis foederibus annexae. Deinde in v. 12 talia enumerantur quibus nunc potiuntur; non potiuntur foederibus vel pactis, quibus tandem lex caerimonialis mosaica est adiuncta. Insuper hac distinctione retenta habetur magna concinnitas inter duo membra priora et duo ultima. Subtiliter explicat *Ephr.* : alienati estis non a promissione, sed a testamento promissorum.

Etiam maior quaedam destitutio eorum conditionis pristinae declaratur : *spem non habentes*; sine ulla spe vitam degere et intimo animo id sentire (μὴ ἔχοντες, uti distinguitur ab οὐκ ἔχοντες) sane triste est « atque aliam spem non habebatis, quia ignorabatis promissionem » (*Ephr.*) et tamquam μὴ ἔχοντες ἐλπίδα gentes describit apostolus 1 Thess. 4,12. Et insuper erant *sine Deo*, ἄθεοι, unum enim et verum Deum nec cognoscebant, nec colebant; quos venerabantur non erant dii, vel omnino non

exsistebant, uti idola, aut forte manes seu umbrae mortuorum. Deus autem concipitur fons et origo omnium bonorum, ergo Deum non habere idem est ac destitui omni bono, versari in summa egestate et miseria; idque ἐν τῷ κόσμῳ, dum scil. vitam agunt.

Plane diversa est praesens eorum conditio v. 13 *nunc autem*; uti antea temporis ratio designabatur χωρὶς Χριστοῦ, ita nunc fide suscepta declaratur ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ in unione cum Christo, eo scil. tempore quando ἐν Χριστῷ iam vivunt fideles; *vos qui aliquando eratis longe* scil. longe remoti et separati a Christo, a regno Dei, a bonis promissis, a spe laeta, a Deo largitore omnium bonorum; μακράν alludit ad Is. 57,19 pacem ei qui longe est (qui a centro theocratiae et a populo Dei separatus est, in regione aliena versatur), et talis conditio exhibetur in v. 12; *facti estis prope*, nacti estis omnia illa bona quibus antea caruistis — sicut χωρὶς Χριστοῦ causa est malorum et indigentiae, ita ἐν Χριστῷ cuncta bona spiritualia nobis obveniunt. Per quid autem *facti estis prope* indicatur, cum dicat apostolus *in sanguine Christi*, in Christi sacrificio; sanguinis enim notio et mentio iam ex vetere testamento statim connotat oblationem, hostiam, sacrificium, vide Lev. 17,11 anima carnis in sanguine est et ego illum dedi vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit, et vide Hebr. 9,22; 13,12. Quod hic dicitur *in sanguine*, postea declaratur dictione *in carne sua* v. 14, *per crucem* v. 16.

Haec ultima sententia magis declaratur per singula in sequentibus; et primo quidem, quomodo per Christum ad illa bona pervenerint; v. 14 *ipse enim est pax nostra*, cf. Mich. 5,5 et erit iste pax : « est emphatica locutio ad maiorem rei expressionem; hic autem modus loquendi fieri consuevit, quando totum quod est in effectu dependet a causa, sicut cum dicimus de Deo quod ipse est salus nostra, quia quidquid salutis est in nobis, causatur a Deo; quia ergo quidquid pacis est in nobis causatur a Christo, ideo dicit quod est pax nostra » (*Thom.*); sententia, ut est plane generalis, ita notione generali est intelligenda. Christus est auctor et largitor pacis nostrae. Cum in antecedentibus omnino nihil innuatur de inimicitiis inter gentes et Iudaeos, immerito aliqui statim pacem explicant de inimicitiis illis sublatis. Quam interpretationem nimis arctam esse, elucet ex v. 16, et ea nullatenus commendatur appositione seu declaratione ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν ex duobus unum, unitatem effecit, unum condidit populum Dei; non ait concordiam, populum concordem effecit, id quod exspectaremus, si statim de inimicitiis sermo fieret (id quod volunt *Est. Bels. Henle*, alii; Graeci de inimicitiis contra Deum et Iudaeorum et gentium inter se explicant). Quare *Thom.* ad *unum fecit* bene nos remittit ad Ioan. 10,16 unum ovile.

Quomodo autem *utraque* effecerit *unum*, altero membro appositionis (ὁ ποιήσας καὶ λύσας una determinatione eodem articulo comprehensa) indicatur; dum scil. solveret seu removeret id quo illi duo inter se disiungebantur *medium parietem* τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας: medius paries seu paries intergerivus (Scheidewand) τοῦ φραγμοῦ, consistebat in sepe illa qua populus Israel tota sua institutione, caerimoniis, legibus, vivendi ratione a reliquis gentibus separabatur; Israel quasi saepto quodam erat circumdatus et istud saeptum formabat quasi parietem separationis a reliquis; hunc parietem abstulit Christus et eo ablato uterque populus coaluit in unum. Vox latina *maceria* apte quoque est selecta, quia potissimum dicitur de muro quo hortus vel vinea obsaepitur; unde notionem saepti praebet. Sequitur maior quaedam explicatio quomodo Christus solverit parietem medium et qua ratione sit pax nostra (v. 15-18). Duobus participiis cum suis determinationibus modus declaratur: καταργήσας *evacuans*, ἀποκτείνας *interficiens*, scil. cum evacuaret, interficeret.

Et ad prius spectant verba: *inimicitias in carne sua*, *v.* 15 *legem*, *etc.* τὴν ἔχθραν, quaeri debet de notione τὴν ἔχθραν: estne sermo de inimicitiis inter Iudaeos et gentes, an de inimicitiis utrorumque in Deum? si respicitur v. 16, haec posterior explicatio videtur commendari (cf. *Dam.*); videtur etiam suaderi, quia statim habetur plena explicatio, quomodo Christus sit pax nostra, ablatis scil. duobus impedimentis: inimicitiis in Deum et lege vetere, *faciens pacem;* verum tum in v. 16 non videtur assignari nisi fere repetitio eiusdem novo quodam modo facta, scil. reconciliatio utrorumque cum Deo. Quare *inimicitias* priore loco fortasse potius de illa mutua inter se aversione Iudaeorum ac gentium explicabimus. Quanta autem haec fuerit, neminem latet; orta est ex speciali illa institutione populi electi eiusque a reliquis distinctione ac separatione, et propterea commemorato antea illo pariete medio iam facile inducitur haec notio inimicitiarum. Aliquam earum speciem habes delineatam verbis ipsius apostoli: confidis teipsum (Iudaeum) esse ducem caecorum (gentium), lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium (Rom. 2,19). Et quanto in gentes odio Iudaei flagraverint, exempla legimus sat tristia in Act. Ap. (13,45; 14,18; 17,5; 18,12; cf. 1 Thess. 2,15.16.). Cum igitur tanta exstiterit aversio, profecto conveniens erat, ut eius ablationis explicita fieret mentio.

Haec explicatio inimicitiarum alio quoque modo suadetur. Nam τὴν ἔχθραν etiam iungi potest tamquam appositio ad antecedens vel tamquam explicatio, et hanc coniunctionem multi assumunt (*Chrys. Theod. ThdM. Thph. Oec. Ambr. Thom. Lap. Cai. Est. Nat. Bels. Henle*); imo aliqui volunt ipsum parietem maceriae seu septum esse inimicitias (*Chrys. Oec.*

Nat. Lap.), easque in Deum cum allusione ad Is. 59,2; iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum (*Chrys. Thph.*). Sed pariete medio seu septo tamen clare indicatur causa quaedam separationis inter Iudaeos et gentes; quare in ea iunctione de significatione inimicitiarum dubium moveri non potest. Sensus idem est, utrum ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ referatur ad λύσας, an ad καταργήσας, in carne Christi facta est ablatio, solutio inimicitiarum, seu evacuatio et remotio earum, in morte eius posita est causa ablationis; *in carne* comparandum est cum alia dictione in sanguine v. 13, per crucem v. 16. Inimicitias primum dissolvit carnem suam dans pretium (*Theod.*). Aliquibus placet *in carne sua* proxime iungere cum sequentibus, ita ut evacuatio legis directe referatur ad effectum morte Christi productum.

Porro aliud impedimentum unionis consistebat in variis ordinationibus legis, v. 15 *legem mandatorum decretis evacuans* ἐν δόγμασιν : describitur lex consistens mandatis, seu præceptis variis (lex mandatorum), quae mandata ἐν δόγμασιν, *in decretis*, in particularibus ordinationibus, in variis statutis et praescriptionibus exhibebantur. Cogita de mandatis circa animalia immunda, circa purificationes, circa expiationes, circa decimas, circa lepram etc. ; quot in istis ἐντολαῖς singularia δόγματα praescribuntur! Ex latinis interpretibus rem bene concepit *Cai.* : « evacuavit legem consistentem in decretis mandatorum, hoc est legem mosaicam; haec enim sicut in epistola ad Rom. appellatur lex factorum, ita hic appellatur in decretis mandatorum, ad differentiam legis spiritus quae est lex Christi ». Ergo tale institutum erat evacuandum, abolendum, quod Christus *in carne sua* praestitit, *ut duos condat in semetipso in unum novum hominem*, non ex Graeco fecit Iudaeum, nec ex Iudaeo Graecum, sed ambos evexit ad statum meliorem (*Chr. Oec. Thph.*); ἐν αὐτῷ conditur, seu creatur novus homo in Christo, quatenus in baptismo Christo inseritur et in Christo etiam novam vitam spiritualem accipit, cf. v. 10. Hac autem creatione (κτίσῃ) Christus simul ostenditur *faciens pacem* et revera cognoscitur tamquam pax nostra, quia sublatis inimicitiis, separatione abolita, obstaculis unionis remotis, pacem suam nobis dat. Facta abolitione legis veteris tandem ex variis gentibus et nationibus unus populus christianus exortus est; hanc legis evacuationem factam esse in morte Christi, vide Gal. 3,13; 2,19.

Alius effectus mortis Christi recensetur in v. 16 *et reconciliet ambos in uno corpore*, in uno corpore mystico unitos ; unum corpus tale potuit solum effici abolitione legis; quare recte haec pars adiungitur post mentionem de legis abrogatione factam, quamvis causa abolitionis et reconciliationis simul in una Christi morte sit posita, uti hic de reconciliatione eadem causa directe designatur : *Deo per crucem* ; meruit Chris-

tus pro peccatoribus, ut in gratiam et amicitiam Dei restituerentur *interficiens* ἀποκτείνας dum occideret *inimicitias*, causas inimicitiarum : peccata delevit, quia morte sua Deo praebens satisfactionem nobis veniam peccatorum promeruit et Deum placavit, ita interemit inimicitiam qua separati eramus a Deo; *in semetipso*, dum seipsum sacrificium et oblationem Deo sisteret, in sua passione et morte; ἐν αὐτῷ potest fortasse referri ad διὰ τοῦ σταυροῦ, uti *Hier.* monet, in ea scil. in cruce, esse scribendum ex graeco; syrus : et in cruce sua occidit inimicitiam. Est igitur hac reconciliatione facta ipse pax nostra, mediator et auctor pacis; et cum haec mediatio Christi adeo efferatur ubique, satius erit, ἐν αὐτῷ de Christo explicare.

Quod Christus morte sua praestitit et omnibus promeruit, id explicite quoque annuntiavit et eo quidem modo, ut exhibeatur descriptio illius : ipse pax nostra; ergo opere et verbo se nobis proponit tamquam largitorem omnium bonorum; v. 17 *et veniens* καὶ ἐλθών cum advenisset is qui ut ἐρχόμενος exspectabatur, vel in adventu suo, ingressus in mundum, *evangelizavit pacem vobis* τοῖς μακράν gentibus (cf. v. 13) et pacem τοῖς ἐγγύς Iudaeis qui quasi iure nativitatis iam erant in regno Dei veteris foederis, heredes promissionum; erant *prope*, iis enim perferebatur nuntius messianus primo propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum, deinde gentibus, longe a foedere Dei positis, super misericordia (uti Rom. 15,8.9 discrimen vocationis amborum indicatur). Distincte ponitur pacem nuntiatam esse illis, pacem hisce; non igitur de pace inter eos mutua restituta, sed pax messiana, cuncta bona messiana, omnia beneficia redemptionis ambobus eodem modo annuntiantur et proponuntur. Ulterius declaratur v. 14 ipse est pax nostra.

Ut autem explicemus, quando et quomodo Christus evangelizaverit, non opus est cum recentioribus nonnullis recurrere ad modum illum spiritualem, quo Christus in gloria constitutus ad nos venire, in nobis esse, habitare, vivere dicitur (Ioan. 14,18.23; 15,4. Rom. 8,9. 10. 2 Cor. 13,3. 5. Gal. 2,20) neque ad praedicationem apostolorum, per quos ipse evangelizaverit. Nam apud apostolum ἔρχεσθαι non dicitur de *spirituali* Christi adventu (cf. 1 Cor. 4,5; 11,26. 1 Thess. 5,2. 2 Thess. 1,10. 1 Tim. 1,15). Ipse quippe adventus Messiae iam est evangelium pro omnibus tum ex vaticiniis prophetarum quibus regnum Dei et salus omnibus gentibus annuntiatur, tum ex ipsa missione Filii Dei, Verbi incarnati in mundum (Ioan. 3,17 ut salvetur mundus per ipsum; 4,42; 6,52; 8,12. 1 Tim. 1,15.16 etc.). Praeterea idem Christus quoque clare professus est : et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere (Ioan. 10.16); multi ab oriente et occidente venient et recumbent in regno coelorum (Matth. 8,11) et dabitur regnum Dei genti facienti

fructus eius; et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe (Matth. 24,43; 24,11); si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (Ioan. 12,32; cf. 3,15) et in mandatis: docete omnes gentes, praedicate evangelium omni creaturae; oportet praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes; eritis mihi testes usque ad ultimum terrae (Matth. 28,19. Marc. 16,15. Luc. 24,47. Act. 1,8). Ponitur autem priore loco ὑμῖν τοῖς μακράν, non ac si illis nuntius prius esset allatus, sed quia a v. 11 sq. eos alloquitur et quia ita ipso contextu a v. 13 sq. exigitur.

Atque Christum revera utrisque evangelizasse pacem, ipsa re experimur v. 18 *quoniam per ipsum habemus accessum* προσαγωγὴν adductionem *ambo in uno spiritu ad Patrem;* brevi repetuntur et colliguntur singula ex antecedenter expositis in unam sententiam, δι' αὐτοῦ, unus ille est in quo et per quem (in sanguine, carne, cruce eius) habemus reconciliationem, pacem, aditum ad Patrem (v. 16) et quidem pari ratione *ambo* [sublato omni pristino discrimine, et praediti et animati nova vita spirituali (v. 15) ἐν ἑνὶ πνεύματι, ita ut in uno spiritu, in una animorum dispositione versemur et contineamur, accepto spiritu adoptionis filiorum in quo clamamus: abba Pater (Rom. 8,15); *ad Patrem*: nam per Christum edocti sumus de Patre nostro coelesti, per ipsum filii eius effecti (cf. Matth. 5,45; 6,4. 6. 8. 9. 15 etc, Rom. 8,16. Gal. 3,26. 27; 4,5. 6). In adductione seu introductione cernunt allusionem ad mores principum, ad quos aditus non patet nisi per aliquem familiarem seu deprecatorem (*Iust. Est.*); ceterum ipse Christus: nemo, inquit, venit ad Patrem nisi per me (Ioan. 14,6; cf. Hebr. 10,19. Rom. 5,2). Nexum sententiae cum antecedenti apte designat *Thom.*.: causam autem et rationem et formam pacis ostendit. Ceterum per se posset ὅτι considerari ut ὅτι recitativum, ut aiunt, seu explicativum, ita ut in v. 18 indicaretur ipsum argumentum quod Christus annuntiasset, scil. nos habere accessum etc; in qua acceptione ἐν ἑνὶ πνεύματι cum *Thom.* de Spiritu sancto facilius explicabitur, quia de eo Christus multa annuntiavit (Ioan. 3,5; 7,39; 14,17. 25 etc.), quamvis cur hoc loco accurate *unus* Spiritus sanctus efferatur, difficile declarabitur. Intelligitur autem, si de una mente sermo fit quae ἐν ἑνὶ σώματι (v. 16) in uno corpore mystico, in ecclesia, vivit ac dominatur ex una scil. doctrina exorta. Hanc unam mentem inspirari ac foveri a Spiritu sancto, nemo negaverit neque tamen statim dici poterit Spiritus sanctus, prout unum spiritum concipiunt *Lap. Est. Iust. Nat. Bels. Henle;* cf. 4,4.

Ad hanc partem quaedam adhuc notanda sunt. In v. 14 illud ἔχθραν adeo difficile et implicatum censuit *Hpt.* ut illud omnino deleret. Certe aliquid obscuri-

tatis est in illo addito; subito apparet ἡ ἔχθρα, neque dicitur cuius sit; neque redditur ratio, cur septum seu paries medius simpliciter dicatur ἡ ἔχθρα, quae obscuritas manet, sive parietem explicaveris de particulari conditione Israel, qua separetur a gentibus, sive dixeris parietem nihil aliud esse nisi τὴν ἔχθραν. Nam in utroque casu non perspicitur, cur specialis illa conditio statim dicatur ἡ ἔχθρα, vel quomodo paries tali oppositione declarari possit. Iterum apparet ἡ ἔχθρα in v. 16. Ibi mentione facta reconciliationis cum Deo, necessario videtur intelligi debere de peccatorum conditione qui sunt inimici Dei. Iam vero hoc sensu capi vox non potest in v. 14 et durum videtur eandem vocem in tam brevi contextu alio et alio sensu accipere. Accedit quod de inimicitiis inter Iudaeos et gentes in hac epistola nullum apparet indicium (in v. 13 designantur solum ut οἱ ὄντες μακράν) nisi forte in v. 11 ipsa appellatione ἀκροβυστία.

In v. 15 ἐν δόγμασιν, *decretis*, explicant de evangelicis decretis seu praeceptis *Chrys. Ephr. Dam. Euth. Oec. Thph. Iust. Lap. Nat. Est.*; at inauditum est evangelicam doctrinam dici δόγματα, decreta simpliciter sine ulla ulteriore determinatione. Neque solet apostolus dicere praecepta et statuta vetera esse evacuata eo quod alia statuta et ordinationes in illorum locum successerint; nam ubi venit fides, iam non sumus sub paedagogo, sub lege; ego per legem legi mortuus sum; sine lege iustitia Dei manifestata est; non enim estis sub lege, etc. (Gal. 2,19; 3,25. Rom. 3,21; 6,14; 7,4, etc.); unam saepius affert legem Christi, et plenitudinem legis esse dilectionem, omnem legem in uno sermone impleri (cf. Rom. 13,8. 10. 1 Cor. 9,21. Gal. 5,14; 6,2). Qui ita loquitur, nunquam diceret legem veterem aliis decretis ἐν δόγμασιν esse abolitam; ergo explicandum erit de lege mandatorum ἐν δόγμασιν sita, vel mandatorum quae consistunt ἐν δόγμασιν. Recenti tempore alia explicatio est proposita: καταργήσας ἐν δόγμασιν: ipsa evacuatio fit in decretis, ergo decreta removentur, lex evacuatur quoad decreta; vel evacuatio legis perficitur in decretis; assignari aiunt regionem, in qua facta sit evacuatio.

Quod legitur in v. 16 *reconciliet ambos in uno corpore*, Graeci et Ephr. accipiunt de corpore Christi eo modo quo dictum est in sanguine Christi, in carne sua. Sed quia statim sequitur ad designandam mortem et oblationem Christi *per crucem*, iam a priore verisimile fit non idem bis exprimi. Insuper non intelligeretur, cur de corpore Christi diceretur in *uno* corpore; bene iam explicavit *Thom.*: ambos unitos in uno corpore ecclesiae, et *Est.* ambos homines unum corpus effectos, et similiter alii. Et *in uno corpore* explica: reconciliavit eos ita, ut in unum corpus coalescerent et coniuncti *in uno corpore* manerent. Effectus perdurans qui consequitur ex reconciliatione exprimitur.

Cum sollemni affirmatione infertur conclusio ἄρα οὖν, fideles ex gentibus iam esse dignitatis plane aequalis eadem ratione cum fidelibus ex Iudaeis; hac formula solet apostolus summam rem ex antea disputatis inducere; cf. Rom, 5,18; 7,3.25; 8,12; 9,18; 14,19. Gal. 6,10. 1 Thess. 5,6 etc. Breviter revocat statum pristinum: *iam non estis hospites* ξένοι extranei, peregrini, alieni, cf. v. 12; *et advenae* πάροικοι, inquilini, neque redacti sunt in conditionem similem, in qua erant alienigenae habitantes in terra Israel cum populo electo, neque tamen fruentes iisdem iuribus, verum exclusi a dignitate et iuribus Israelitarum. Hoc fortasse additur contra illos Iudaeos qui fideles ex gentibus quasi in

secundo dignitatis gradu ponere volebant vel putabant eos posse consummari, ad maiorem pervenire perfectionem et demum veros constitui filios Abraham circumcisione assumpta; tales quippe Iudaeos apostolus oppugnat in epistola ad Galatas (cf. 3,3.7.9.29). Antea erant alieni τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ, nunc συμπολῖται τῶν ἁγίων concives eorum qui Deo sunt consecrati, utentes eadem civitate, iisdem iuribus. Ipsa voce συμπολῖται declaratur eos iam plene pertinere ad τὴν πολιτείαν Israel; unde aliquo vero sensu dicere licet cum *Chrys.*: « vides quod in sanctorum ac magnorum virorum, nempe Abraham, Moysis, Eliae eandem adscripti sumus civitatem et in illa apparemus? » ita *Lap.* quoque censet, a qua sententia non videtur esse alienum, si apostolus fideles vocat semen Abraham, filios Abraham, Israel Dei (Gal. 3,7.29; 6,16), vel matrem nostram Ierusalem (Gal. 4,26. Hebr. 12,22).

Antea erant spem non habentes, ἄθεοι, Deum non habentes, nunc *domestici Dei*, pertinentes ad familiam Dei, ad domum Dei, proin participes bonorum ac beneficiorum domus Dei seu eorum qui Dei familiam constituunt; ergo nunc facti sunt prope (v. 13) et tamquam domestici Dei ad familiare commercium admissi sunt; patrem familias habent Deum. Dum apostolus eos vocat *domesticos* Dei οἰκείους, parat sibi transitum ad domum vel aedificium Dei, cuius aedificii ipsi iam sint pars: v. 20 *superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*, τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, articulo semel posito designantur unum ordinem seu categoriam constituentes, qui simul iuncti sunt fundamentum (*Chrys. Oec. Thph. Iust. Est. Lap. Bels. Hpt. Ew.* etc.). Statim enim dicitur Christum esse lapidem angularem, ergo simili modo concipi debet quod antecedit, apostolos et prophetas esse fundamentum, esse murum fundamentalem, cui fideles tamquam lapides superaedificati sint. Genitivus τῶν ἀποστόλων explicari debet genitivus appositionis; non potest esse sensus: fundamentum quod posuerunt apostoli, nec fundamentum quod ipsi apostoli habent, qua acceptione imago aedificii hoc loco assumpta plane destrueretur: lapis angularis est Christus, fundamentum sunt apostoli et prophetae, aedificatio quae superstruitur sunt fideles. Sermo est enim de personis, et in hac ipsa serie enumerationis simul exprimitur ratio temporis fundatae ecclesiae.

Aliqui recentiores hoc loco indicium temporis seu generationis posterioris deprehendere volunt; nam 1 Cor. 3,10.11 Christus ipse nominatur fundamentum, hic autem eodem nomine designantur apostoli; unde concludunt apostolos hoc loco ita extolli et ad tantum dignitatis et auctoritatis gradum esse iam evectos, qui non tempori apostolico, sed posteriori aetati congruat. Isti tamen non satis attendunt simul cum apostolis iungi prophetas; atqui in generatione posteriore nunquam eodem quasi ordine prophetae cum apostolis essent collocati; hoc loco porro nihil aliud ista collocatione exprimitur, nisi

idem quod 3,5 et 4,11 enuntiatur. Dicuntur autem fundamentum, quia ipsi sunt primi illi qui Christo adhaeserunt et per quos alii fideles ad Christum sunt adducti. Alia plane est consideratio 1 Cor. 3,10.11, uti statim declarabitur, et facile patet, quia sermo ibi instituitur de praedicatoribus (aedificatoribus), qui aliud fundamentum quam Christum ponere nequeunt.

Simili modo dicitur Apoc. 21,14 : et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum. In ipsa forma ἐποικοδομηθέντες alluditur ad rem olim gestam : dum aedificaremini super fundamentum; ergo secundum considerationem quae hoc loco instituitur, lapis angularis huius structurae positus est Christus; eo posito fundamentum construitur et hoc fundamentum sunt apostoli et prophetae; tale fundamentum formavit et posuit ipse Christus, uti postea dicitur : et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas 4,11; et hoc fundamento ecclesiae posito fideles quasi lapides vivi superaedificantur (cf. 1 Petr. 2,5). Contra quam explicationem immerito obiicitur 1 Cor. 3,11 : fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est quod est Christus Iesus; unde sequi videtur esse audacius nomen hoc fundamenti quod soli Christo conveniat transferre ad apostolos et prophetas; quare explicandum esse super fundamentum, in quo stent apostoli et ex quo nostram efficiant aedificationem spiritualem; hoc fundamentum esse accipiendum cum *Thom.* doctrinam eorum (*Henle*). At nostro loco consideratio proponitur plane alia ac 1 Cor. 3,11. Ibi sermo est de praedicatoribus qui sane aliud fundamentum ponere non possunt, sed totam suam praedicationem fundare debent in Christo; hic autem Christus dicitur lapis angularis, per quem directio aedificii in longitudinem et latitudinem determinatur; lapide hoc posito necesse est ponatur fundamentum, quod a lapide angulari omnino distinctum secundum directionem eius ponitur, ut ei lapides superstruantur. Lapis angularis est persona, qui superaedificantur sunt personae, quid ergo de fundamento? etiam fundamentum sunt personae. Christus per apostolos et prophetas vocavit fideles.

Veteres quidem generatim intelligunt prophetas antiqui foederis (ita quoque *Iust. Est. Nat.*), solum in Commentario Pelagii (in mantissa operum *Hier. M.* 30) prophetae novi testamenti designantur, quos etiam Tertullianus intellexit; scribit enim contra Marcionem (5,17 in fine) : abstulit haereticus (Marcion in nostro hoc textu) « et prophetas » oblitus Dominum posuisse in ecclesia sicut apostolos, ita et prophetas. Et de hisce vocem esse explicandam[1] merito censent *Cai.* et recentiores,

1. Notat *Cai.* ad 3,5 (sicuti nunc revelatum sanctis apostolis et prophetis) : et hinc habes quod de prophetis novi testamenti loquitur; et dixit hoc ad declarandum quod dixerat : super fundamentum apostolorum et prophetarum.

idque suadetur in ipsa hac epistola, in qua bis prophetae commemorantur 3,5 et 4,11 ; praeterea Christus revera posuit in ecclesia sua primum apostolos, secundo prophetas, uti 1 Cor. 12,28 dicitur et ipse Christus : ecce ego, inquit, mitto ad vos prophetas (Matth. 23,34), et erant in ecclesia antiochena prophetae (Act. 13,1), nominatur Agabus propheta (Act. 21,10) ; horum prophetarum munus describit apostolus (1 Cor. 14,24.25; cf. Act. 11,27; 15,32). Uti uno fundamenti nomine designantur, ita graece uno articulo τῶν comprehenduntur. Apostolorum est fundare et regere coetus fidelium, prophetarum est singulari impulsu Spiritus sancti coetibus iam fundatis loqui ad aedificationem, exhortationem et consolationem et infideles convincere (1 Cor. 14,3.24). Cum itaque et nomine et munere statuatur discrimen, neutiquam apostoli hoc loco iidem censendi qui prophetae quoque appellentur. Porro ipso ordine quo nominantur[1] iam satis indicatur non de prophetis veteris testamenti fieri mentionem, qui insuper neutiquam simili modo quo apostoli fundamentum vocari possunt, ergo ingereretur in ea acceptione notio fundamenti prorsus aequivoca, qui est loquendi abusus.

Fideles superaedificabantur super fundamentum ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ, dum ipse Christus Iesus est (extremus) lapis angularis; verti etiam potest, ut *Lap.* recte notat, dum Christus est lapis angularis eius scil. fundamenti; verum cum in tota hac parte magna emphasi efferatur Christus, prior acceptio sua emphasi commendatur. Sed quid sibi vult lapis angularis? Pervulgata est explicatio quam dat *Chrys.:* significat Christum omnia continere, ὁ τὸ πᾶν συνέχων ἐστὶν ὁ Χριστός, lapis enim angularis et parietes continet, συνέχει, et fundamenta ; similiter *Theod.* coniungi lapide angulari duos parietes, scil. Iudaeos et fideles ex gentibus; alia quoque lapidi angulari attribuuntur, tribui firmitatem fundamento, esse praecipuum fundamentum totius ecclesiae (*Iust. Est. Lap.*). Sed nescio, num revera lapis angularis (Eckstein) praebeat robur, firmitatem fundamento, vel sit ipse fundamentum; neque proprie iungit duos parietes, sed potius ab angulari lapide excurrunt in contrarias directiones. Sufficiet ergo illud affirmare, quod lapis angularis revera praestat; nam, uti supra iam dictum est, positus dat directionem in quam secundum longitudinem ac latitudinem fundamenta murique aedificanda sint. Neque lapis angularis videtur esse idem ac lapis fundamentalis. — Placet notare, quam opportune ad hanc partem *Chrys.* advertat : ἰδοὺ ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως, ecce spes vocationis! Nam

1. Solus, uti videtur, *Ephr.* scribit : super *fundamentum*, praedicationem videlicet *prophetarum et apostolorum.* Nulla enim notatur lectio varians, nisi unum illud, Marcionem omisisse prophetarum nomen.

quae hic dicuntur, praeclare inserviunt ad ostendendam excellentiam et firmitatem illius spei, de qua 1,18 et sq. mentio facta est.

Superaedificari fideles docuit apostolus v. 20, sed quid tandem in singulis ex illo opere quo aedificantur effici debebit, ad quid tendit seu dirigitur illa aedificatio? Ad hoc respondet apostolus prius in universum v. 21 *in quo* i. e. in Christo (*Iust. Lap. Henle*), uti patet, nam *in* lapide angulari (*Est. Nat.*) non crescit aedificatio, sed in unione cum Christo, *omnis aedificatio* πᾶσα οἰκοδομή quaevis aedificatio, quidquid aedificatur, συναρμολογουμένη apte coagmentatur seu coniungitur et ita *crescit in templum sanctum in Domino*, ex illo opere aedificandi exsurgere debet templum sacrum in Domino; metaphora relicta docet apostolus, fideles singulos quidquid agant agere debere in Christo, consistentes et manentes in coniunctione cum Christo; ita opera eorum fore bene compacta, Deo grata et accepta quasi sanctuarium ei dedicatum. Etiam facilius sententia haec explicatur de fidelibus; nam fideles sunt Dei aedificatio, θεοῦ οἰκοδομή ἐστε (1 Cor. 3,9). Haec aedificatio optimo modo continuari, erigi, in melius exornari debet, donec evadat sacrum Dei templum; fideles oportet crescere fide et caritate, debent enim esse Dei templum (cf. 1 Cor. 3,16; 6,19; 2 Cor. 6,16). Non potest πᾶσα οἰκοδομὴ explicari de ecclesia, neque enim graecum recte vertitur totum aedificium (uti vertunt *Iust. Est. Lap. Nat.*) et lectio πᾶσα ἡ οἰκοδομή est dubia; ergo critice retineri debet quaevis aedificatio : quae expressio ad ecclesiam quamvis particularem applicari posse videtur, scil. ad quemvis coetum fidelium (cf. 1 Cor. 1,2; 7,17. 2 Cor. 1,1; 8,1, 18,19. Gal., 1,2 etc.).

Quod in v. 21 in universum dictum est vel de quavis ecclesia particulari, iam enuntiatur speciali modo de iis quibus epistola dirigitur, vel potius ex v. 11 seq. peculiari ratione de fidelibus ex gentibus: v. 22 *in quo*, uti v. 21 in Christo, cum eo complantati per baptismum (Rom. 6,5) et in eo manentes et fructum afferentes (Ioan. 15,4, 5) *et vos coaedificamini* cum ceteris fidelibus in eadem dignitate filiorum Dei constituti *in habitaculum Dei*, ut efficiamini templum Dei, templum Deo dignum, ἐν πνεύματι *in spiritu*; Deus quasi in habitaculo spirituali πνευματικῷ in vobis habitat, explicat *Chrys.*; opinatur *Iust.* dici in spiritu i. e. habitaculum spirituale in oppositione ad substructionem quae caemento, lapidibus, ligno constat; de tali autem oppositione hoc loco nemo cogitaverit. Alii iungunt, uti in v. 21 templum, quod est sanctum in Domino, ita habitaculum Dei in spiritu i. e. fit in spiritu, dum Deus per Spiritum sanctum in nobis inhabitat (*Lap. Nat.*); similiter *Thom.* Deus non habitat in nobis sine caritate, caritas autem datur per Spiritum sanctum, ideo subdit : in Spiritu sancto. Sed melius ἐν πνεύματι refertur ad *coaedi-*

ficamini, uti *Theod. ThdM.* iam indicarunt : aedificationem facit gratia Spiritus sancti, et bene etiam *Est.* ait, nos effici habitaculum Dei per operationem Spiritus sancti et *Cai.* : sed quomodo fiat ista coaedificatio, adiungit : in spiritu sancto, eodemque modo *Henle*, dum *Bels.* in oppositione ad templum lapideum Iudaeorum et habitaculum materiale Dei acquiescit, uti *Hpt. Ew.* quoque[1].

De mysterio vocationis gentium et de apostolatu Pauli 3,1-13.

3,1. *Huius rei gratia ego Paulus vinctus Christi Iesu pro vobis gentibus*, 2. *si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis*, 3. *quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi*, 4. *prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi*, 5. *quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis eius et Prophetis in Spiritu*, 6. *gentes esse coheredes et concorporales et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per evangelium*, 7. *cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis eius.* 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec : in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi*, 9. *et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit*, 10. *ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei*, 11. *secundum praefinitionem saeculorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro*, 12. *in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius.* 13. *Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra.*

3,1. Τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν, 2. εἴγε ἠκούσατε τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς, 3. ὅτι κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθη μοι τὸ μυστήριον, καθὼς προέγραψα ἐν ὀλίγῳ, 4. πρὸς ὃ δύνασθε ἀναγινώσκοντες νοῆσαι τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ, 5. ὃ ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ προφήταις ἐν πνεύματι, 6. εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύνσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου, 7. οὗ ἐγενήθην διάκονος κατὰ τὴν δωρεὰν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ τῆς δοθείσης μοι κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. 8. ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων ἁγίων ἐδόθη ἡ χάρις αὕτη, τοῖς ἔθνεσιν εὐαγγελίσασθαι τὸ ἀνεξιχνίαστον πλοῦτος τοῦ Χριστοῦ, 9. καὶ φωτίσαι πάντας τίς ἡ οἰκονομία τοῦ μυστηρίου τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ τῷ τὰ πάντα κτίσαντι, 10. ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, 11. κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων ἣν ἐποίησεν ἐν τῷ Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν, 12. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παρρησίαν καὶ προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ, 13. διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐγκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσίν μου ὑπὲρ ὑμῶν, ἥτις ἐστὶν δόξα ὑμῶν.

Ab actione gratiarum pro benedictione coelesti 1,15, transiit apostolus ad petitionem, ut fideles intime cognoscerent spem vocationis (1,16-18).

1. Contra quam interpretationem *Abb.* opportune monet : but there is no suggestion of this in the context, and as the whole is so distinctly figurative, it would be worse than superfluous to add this definition. Moreover it does not appear that ἐν πνεύματι could be used with a substantive as = spiritual, except so far as the substantive involves a verbal notion as περιτομὴ ἐν πν. = τὸ περιτέμνεσθαι ἐν πν., δέσμιος ἐν Χριστῷ = δεδεμένος ἐν Χρ.

Magnitudinem ac certitudinem huius spei descripsit in iis quae Deus pro Christo praestitit (1,19-22), dein in iis quae Deus iam in ipsis fidelibus operatus est (2,1-10) ; tum singulari ratione exponit, quid speciali modo Christus pro fidelibus ex gentibus exhibuit, ita ut hi in eandem cum aliis dignitatem in regno Dei assumantur; unde novum colligitur argumentum pro magnificentia et certitudine spei ex iis, quae peculiariter pro gentibus acta sunt (2, 11-21). Cum itaque Deus tanta iam praestiterit pro fidelibus — quanta haec sint, illustratur ex eorum conditione pristina (2,2-4 ; 2,11-12) — revertitur apostolus ad petitionem (1,17), ut fideles virtute confirmentur, et superna sapientia impleantur (3,1. 14 seq.).

Bonis itaque et beneficiis salutis expositis petitionem 1,16. 17 inceptam apostolus iterum assumit : 3,1 *huius rei gratia* ; sententia hic incepta manet suspensa et absolvitur tandem in v. 14 et seq. τούτου χάριν iam ob numerum singularem facillime adnectitur ad 2,22 quod immediate praecedit et directe id enuntiat, cuius progressum apostolus pro fidelibus efflagitat; nam 2,22 fideles dicuntur coaedificari in habitaculum Dei; iam ut haec aedificatio in dies magis crescat templumque exsurgat splendidum, *huius rei gratia* apostolus orat ad Patrem 3,14. Et eo modo v. 1 demum absolvi in v. 14 iam bene agnoverunt *Theod. ThdM. Iust. Lap. Est. Nat.* et generatim recentiores; et commendatur quia in v. 14 eadem dictione τούτου χάριν quasi remittimur ad v. 1.

Sententiam complet *Chrys.* explanans διὰ τοῦτο καὶ ἐγὼ δέδεμαι, φησίν, propterea ego vinctus sum; itidem syrus supplet : ego Paulus vinctus sum); idem supplent *Cai. Henle;* at vix habetur nexus aptus cum antecedentibus; nam ut illi coaedificentur in habitaculum Dei seu ut illi proficiant in cognitione divina, Paulum esse vinctum dici nequit. Suspensa manente sententia ad alia transgressus est, scribit *Hier.* et cum Origene (cat. 154) sententiam complere vult ex v. 3 ego cognovi mysterium, ut vobis traderem. Tamquam glossa additur πρεσβεύω in DE, item d e postulo; illud legisse videtur *Ambrst.* : nunc se legatione huius doni fungi Dei provisione Christo mittente declarat; in paucis minusculis additur κεκαύχημαι. Sententiam ex v. 8 compleri censet *Oec.* in eo versu apodosin ad τούτου χάριν inveniens; alii recurrerunt ad v. 13, imo alii ad 4,1 ! Longam suppletionem praebet *Dam. :* huius in vos gratiae ego minister sum et ἀγωνιστής (propugnator) usque ad vincula.

Nomen suum ponit *ego Paulus*, sicut solet facere, quando de se peculiare quidquam vult in medium proferre (cf. 2 Cor. 10,1. Gal. 5,2. Col. 1,23. 1 Thess. 2,18); hic vero iam obversatur ei magnum illud mysterium, cuius minister et apostolus ipse factus est; *vinctus Christi*, eius scil. causa, pro eius nomine, quia testificatus est de Christo (Act. 23,11) in vincula coniectus est, *pro vobis gentibus* : quia gentibus annuntiavit evangelium, odium incurrit Iudaeorum et demum in captivitatem tra-

ditus est (cf. Act. 21,18; 22,22 seq. 24-26) et pro iis etiam Deo supplicare intendit. Cum emphasi effert se gentium causa in re Christi Iesu esse vinctum; ne tamen quibusdam forte mirum videatur, quod speciali ratione gentium causam adducat, et non potius causam fidelium in universum, incipit loqui de sua peculiari vocatione, de suo speciali apostolatu; inde autem abripitur ad longiorem expositionem de mysterio vocationis gentium ad fidem et de suo apostolatu (v. 2-13), unde obliviscitur sententiam inceptam.

Cur praecipue de gentibus mentionem faciat, idque merito, causam addit v. 2 *si tamen* εἴγε: particula hac res per se non necessario in dubium vocatur, imo certum est adhiberi eam posse cum quadam urbanitate de certa affirmatione, ita ut sensus evadat: sine dubio; et certe hoc loco apostolus non vult generatim in dubium vocare eos ad quos scribit audisse quidquam de suo apostolatu; unde erit sensus: si quidem, vel sine dubio *audistis*, istud *audistis* minime congruere cum illo triennio patet, per quod nocte et die non cessavit apostolus monere unumquemque presbyterum ephesinum (Act. 20,17.31); isti enim quam maxime experti sunt eius apostolatum, non solum de eo audierunt; audistis *dispensationem* τὴν οἰκονομίαν, quae gratia mihi sit administrata et data εἰς ὑμᾶς erga vos; nam dispositio gratiae ei datae erat ab initio illa, de qua Act. 9,15: vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, et sicut ipsi dictum est: vade quoniam ego in nationes longe mittam te (Act. 22,21). Intelligitur itaque gratia apostolatus in gentes, quae divina dispositione Paulo collata sit. Hanc vocationem gentium explicat v. 3-6; sibi istum apostolatum esse commissum declarat v. 7-13.

Incipit apostolus declarare quod v. 2 dixerat v. 3. *quoniam* ὅτι, apte dices nempe, nam tota explicatio antecedentis minime hoc versu 3 absolvitur; *per revelationem*, quomodo ei data sit gratia illa εἰς ὑμᾶς, exponit, cf. Gal. 1,15.16; *notum mihi factum est sacramentum* τὸ μυστήριον scil. salutis et vocationis gentium, et quomodo hoc mysterium cognoverit et intellexerit (*Thph*), hac ipsa epistola iam disci potest, *prout potestis legentes intelligere*, scil. *sicut supra scripsi in brevi*, προέγραψα de iis quae antea scripserat; ἐν ὀλίγῳ, διὰ βραχέων (*Chrys.*) paucis; si τὸ μυστήριον refers solum ad vocationem gentium, pauca illa habes 2,13 sq. et hoc sensu certe explicatur a v. 5; si magis generaliter conceperis *prudentiam meam* τὴν σύνεσίν μου intelligentiam meam *in mysterio Christi*, de opere redemptionis et de omnibus quae Deus per Christum praestitit, iam tota haec epistola eousque scripta intelligi poterit, uti mysterium Christi Paulo revelatum ipse describit in oratione ad Agrippam habita (Act. 26,16-18). Nota quoque, Ephesios quibus per triennium doctrinam

Christi exposuerat, non opus erat remittere ad paucas has lineas ex quibus discerent ipsius intelligentiam in mysterio Christi, cur illis adeo explicite exponeret vocationem gentium et se esse gentium apostolum? In usu positum est συνιέναι ἔν τινι, unde σύνεσίς μου ἐν τῷ μυστηρίῳ facile fluit, similis locutio habetur 3 Esd. 1,33 (Esd. A 1,31 (33) Swete) τῆς συνέσεως αὐτοῦ ἐν τῷ νόμῳ.

Quid revelatione cognitum sit, exponitur in sequentibus; v. 5 *quod aliis generationibus* ἑτέραις γενεαῖς scil. praeteritis temporibus in eorumque generationibus *non est agnitum* οὐκ ἐγνωρίσθη non est cognitum *filiis hominum*, quae dictio in vetere testamento satis frequens est (in novo solum Mrc. 3,28), uno hoc loco apud Paulum legitur; eritne agnoscenda oratoria quaedam sollemnitas? *sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in Spiritu* : ἑτέραις γενεαῖς dici de temporibus praeteritis ex oppositione *nunc* quoque patet etiam; hic uno articulo τοῖς comprehenduntur apostoli et prophetae, vide ad 2,20, unus consideratur ordo electus ad revelationem hanc promulgandam; unde *sancti* ἅγιοι, electi ex mundo ad sacrum ministerium ideoque Deo singulari modo consecrati sunt; attende oppositionem : olim non cognitum, nunc revelatum, olim ignotum omnibus, nunc non industria humana inventum aut excogitatum, sed peculiari Dei manifestatione tamquam consilium Dei absconditum communicatum electis apostolis et prophetis *in Spiritu* scil. qui sunt prophetae in spiritu, vel potest referri ad ἀπεκαλύφθη de conditione animorum et inspiratione superna et illustratione, in qua receperunt revelationem. Notat *Cai.* : et dixit haec ad declarandum quod dixerat super fundamentum apostolorum et prophetarum.

Quid in saeculis praeteritis non fuerit cognitum, nunc autem revelatum, indicatur v. 6 *gentes esse coheredes et concorporales* σύνσωμα corpori Christo mystico iunctae sunt, in unum corpus adunitae, eiusdem corporis membra sub capite Christo, *comparticipes promissionis*, quam clarissime exprimitur gentes collocari in eodem dignitatis et ordinis gradu cum populo electo, eos consortes esse eiusdem hereditatis, in idem corpus assumi i. e. simul cum Iudaeis unum idemque corpus constitui; eodem iure cum aliis et simul cum eis gentes habere easdem partes de rebus promissis. Quae omnia gentibus pleno iure et modo conveniunt *in Christo Iesu*, quatenus haec beneficia in Christo eiusque meritis sunt reposita, per Christi mortem acquisita (cf. 2,15.16) et illis qui per baptismum cum Christo complantantur revera donantur. Ad hanc autem unionem cum Christo perducti sunt *per evangelium*, quatenus nuntius iste salutaris messianus eis est allatus, praedicatus, fide acceptus. — De mysterio antea abscondito apostolus saepius sermonem infert ; Rom. 16,25 secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti;

1 Cor. 2,7; 2 Tim. 1,9.10. Ex altera autem parte satis enuntiat aliquam vocationem gentium ex prophetis antiquis notam fuisse; cf. Rom. 9,24; 15,9-12; Gal. 3,8.

Inveniunt aliqui nodum quendam quod in v. 5 mysterium dicitur revelatum apostolis et prophetis, dum tamen in v. 3 et 8 sq. apostolus hanc revelationem tamquam sibi factam et sibi propriam ad se vindicet; insuper Gal. 2,8.9 ostendi alios apostolos nondum apostolatum gentium suscepisse. Quare *Reuss* tamquam glossam delere vult secundam partem v. 5. Sed omnia facile conciliantur. Apostolus loquitur de sua vocatione speciali, de qua refertur Act. 9,15; 22,21; 26,17; Gal. 1,16 ut evangelizarem gentibus, et quae erat vocatio ad praedicandum gentibus. Etiam Gal. 2,7.9 apostoli agnoscunt et approbant apostolatum gentium, quem approbant Act. 15. Dein attendere oportet rationem temporis; etsi apostoli non statim ab initio apostolatum gentium susceperunt, tamen decursu temporis ipso Christi mandato obsecuti gentibus praedicabant (cf. Matth. 28,19. Marc. 16,20. Luc. 24,47. Act. 1,8). Ipsi actus apocryphi apostolorum testimonium praebent pro apostolatu gentium. Ceterum iam omnino sufficit quod Act. 13,1.2 narratur; et vide Act. 10,45-47.

Ex v. 5 et 6 id solum affirmatur tamquam nunc revelatum gentes esse prorsus aequales i. e. coheredes etc. in Christo; et hoc praeteritis saeculis non fuisse cognitum. Ita sententiam etiam intellexerunt *Chrys. Euth.* At plerumque movent quaestionem de vocatione gentium ad regnum messianum et inde oritur dubium, quia gentes adductum iri ad regnum Dei prophetae veteres clare annuntiarunt et iam ipsis patriarchis dictum fuit: in semine tuo benedicentur omnes gentes, « quae quidem benedictio comprehendit omnia bona novi testamenti » (*Est.*). Unde inquirunt, quomodo verum sit id antea fuisse ignotum, et respondent istud mysterium quidem non latuisse prophetas veteres, at non fuisse adeo clare et distincte iis notum, sicut nunc; sic quomodo nunc revelatum sit nescisse prophetas; aliud esse in spiritu ventura cognoscere, aliud res ipsas cernere opere completas (*Hier. Thph.*) et eodem modo de cognitione obscura antea, nunc plene clara sententiam concipiunt (cf. *Theod. Dam. Cai. Est. Lap. Iust. Nat. Bels. Henle*). Sed tota haec quaestio versatur extra rem hic ab apostolo propositam. Nam unum quod affirmat est mysterium de perfecta aequalitate gentium cum populo electo, et haec certe erat antea ignota. Nam apud prophetas vocantur quidem gentes ad regnum Dei sed plerumque ut subditi, servi, famuli Iudaeorum (cf. Is. 14,2; 49,22.23; 60,10.12.14; 61,5; 66,20. Dan. 7,14.27. Am. 9,12. Mich. 7,16.17). Ergo ex eiusmodi locutionibus poterat videri, fore ut gentes in regno messiano inferiore quodam loco consisterent, Iudaei autem principatum quendam obtinerent. Quomodo igitur et quo dignitatis gradu gentes essent assumendae, non erat a prophetis praedictum neque in praeteritis saeculis filii hominum quidquam de ea

re cognoscebant; ergo nulla est difficultas in v. 5, neque illud ὡς *sicut* erit vi et notione sua spoliandum, dummodo attendatur, de qua re sola agatur in v. 6 et quid solum in Christo demum et per evangelium extra dubium sit positum.

Dixit apostolus se accepisse gratiam apostolatus pro gentibus v. 2, et revelationem mysterii, quod mysterium qua in re consisteret declaravit (v. 3-6); iam revertitur ad v. 2, ad sui apostolatus gratiam v. 7 *cuius factus sum minister*: eius scil. evangelii in v. 6 delineati factus est praeco et minister, qui secundum hanc cognitionem munere suo fungitur, officium evangelii inter gentes propagandi exsequitur; idque ei commissum est *secundum donum gratiae Dei quae data est mihi;* cf. v. 2 donum apostolatus gratuito ei a Deo collatum est; gratia Dei ei data est vocatio ad apostolatum efficax, et ad hanc gratiam, ad apostolatum accipiendum et exsequendum ei praesto erat potens operatio divina, *secundum operationem* κατὰ τὴν ἐνέργειαν secundum efficaciam *virtutis eius*, cf. 1,19; sibi nihil attribuit; effert efficaciam virtutis Dei, qua ipsi ut donum illud conferretur factum est et qua efficacia pariter omnis effectus et fructus apostolatus procreatus est; cf. Gal. 2.8 ἐνήργησεν καὶ ἐμοὶ εἰς τὰ ἔθνη; cf. 2 Cor. 3,5; 4,70.

Explicat apostolus illud *factus sum* v. 7 et simul admiratur et notam facit efficaciam virtutis Dei qua ipse creatus sit apostolus v. 8 *mihi omnium sanctorum minimo*, cui scil. tamquam persecutori olim spiranti minarum et caedis (Act. 9,1) infimus locus in coetu sanctorum, i. e. fidelium debebatur, ἐλαχιστότερος lingua vulgari ex ἐλάχιστος perexiguus [1] formatur quasi infimior ex infimus, veluti minor quam minimus. Animum profitetur apostolus gratissimum, et simul maxime stupet de gratia apostolatus sibi facta; nam fieri ex persecutore fidelem, iam est magna gratia; sed ex furente persecutore evehi ad talem apostolatum, nonne res est plane miranda? ceterum vide quomodo alias de se loquatur 1 Cor. 15,9. 1 Tim. 1,15. Iste animi sensus hoc loco gignitur etiam ex sublimi notione apostolatus quam enuntiat: *in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi*, ἀνεξιχνίαστον id quod nequit investigari, explorari, quod mente comprehendi, inveniri non potest; cf. Rom. 11,33; « vere investigabiles divitiae sunt, quia tanta est misericordia eius, quod intelligi, vel investigari non posset » (*Thom.*); est enim dives in omnes qui invocant eum (Rom. 10,12). Legendum est cum *Hier.* ininvestigabiles, *Ambr.* incomprehensibiles. In divitiis exprimitur copia gratiarum et donorum; in addito connotatur inter alia, quantae sint sublimitatis, utpote superantes omnem naturalem inquisitionem (*Est*).

Hae divitiae inscrutabiles magis declarantur sequentibus v. 9 *et illu-*

1. Cfr. *Zorell*, N. T. lexicon graecum, p. 176.

minare omnes, illustrare, mentes omnium clara luce cognitionis perfundere; ea dictione videtur innui apud complures etiam tum remansisse dubia quaedam seu obscuritates; *quae sit dispensatio*, τίς ἡ οἰκονομία quae sit dispositio, ordinatio, in quanam re consistat exsecutio *sacramenti* τοῦ μυστηρίου *absconditi a saeculis in Deo*, illius scil. mysterii quod v. 5.6 est descriptum; commendatur mysterium ab antiquitate, aderat ab aeterno in consilio ac mente Dei, sed in secreto servabatur, in sola notitia Dei absconditum (cf. 1 Cor. 2,6), et mansit absconditum *in Deo qui omnia creavit* τῷ τὰ πάντα κτίσαντι: ipsa creatione quidem non est manifestatum, at in ipso creationis consilio et opere Deus etiam hoc mysterium eiusque οἰκονομίαν ob oculos habuit. Haud immerito notat *Est.*: « ex hoc loco videtur sumptum, quod theologi veteres Christi incarnationem passim vocant oeconomiam, ac sub eo nomine comprehendunt, quaecumque in carne assumpta gessit et passus est Christus; quod nimirum ea omnia pertineant ad sapientissimam procurationem salutis humanae, quae per Christum est ». Ceterum vide quae ad 1,10 dicta sunt de voce οἰκονομία.

Mysterium istud absconditum erat in Deo eo fine v. 10 *ut innotescat* ἵνα γνωρισθῇ νῦν ut nunc innotesceret, in plenitudine scil. temporis qua Deus consilium suum exsequi statuerat, *principatibus et potestatibus in coelestibus*, ipsis sublimibus angelorum ordinibus in coelo nota fieret *per ecclesiam* per ea quae fiunt in ecclesia, per ipsam illam exsecutionem mysterii ac consilii Dei in ecclesia, *multiformis sapientia Dei*, multiplex illa et varia sapientia; hanc cognoscunt et admirantur in variis donis et gratiis, quibus Deus pro supernaturali sua providentia ecclesiam exornat et eius profectum per orbem terrarum efficit. In hac enim propagatione seu in conversione singulorum multiplicia divinae sapientiae et misericordiae opera cernuntur, quibus multiformis sapientia Dei in dies magis manifestatur, *secundum praefinitionem saeculorum*, secundum propositum quod Deus ab aeterno concepit et statuit *in Christo Iesu;* totum enim consilium supernaturalis providentiae in gubernatione et redemptione hominum fundatur in Christo; vide 1,3.4.5; et secundum hoc Dei propositum etiam nobis patet accessus ad Deum v. 12 *in quo habemus fiduciam* τὴν παρρησίαν, fiducia nostra firma collocata est in Christo, itemque *accessum in confidentia*: in Christo simul data est nobis adductio προσαγωγή (cf. 2,18) aditus animo fidenti ad Deum *per fidem eius*, nam fide in Christum aperitur nobis via ad accessum illum familiarem ad Deum. Quod Christus per mortem nobis meruit et quod propterea in eo repositum consideratur, ad hoc ut pertingamus, nobis opus est fides in ipsum.

Descripsit apostolus sublimitatem apostolatus sibi commissi et admirandam illam dispositionem in exsecutione mysterii olim absconditi,

qua et angelorum ordinibus maior quaedam cognitio sapientiae Dei suppeditatur, nobis autem laeta animi fiducia appropinquandi ad Deum (v. 2-12), unde infert conclusionem bene fundatam v. 13 *propter quod peto, ne deficiatis*, animo cadatis *in tribulationibus meis* occasione tribulationum quae mihi obtingunt *pro vobis* in apostolatu meo pro gentibus (cf. 3,1), *quae* mea tribulatio *est gloria vestra*, ἥτις quippe quae : est ἥτις conformatio seu attractio ad δόξα et refertur ad immediate antecedens; tribulationes subit pro gentibus (cf. 3,1 ὑπὲρ ὑμῶν); illae autem non debent esse pro fidelibus causa et occasio tristitiae seu pusillanimitatis, sed sunt titulus gloriae ; « nam ut isti tam multa bona consequerentur, Paulus erat in vinculis ; hoc est multae Dei in ipsos caritatis » (*Chrys*). Graece habetur αἰτοῦμαι μὴ ἐγκακεῖν, sicut in vulg. etiam accipiunt *Chrys. Ephr. Thph. Euth.* et recentiorum plerique (cf. *Bels. Henle, Ew.*) scil. tamquam petitionem, ne illi animos despondeant. Nam, ut *Hier.* advertit, solent homines hac vel maxime quaestione tentari, quare sanctis viris et Deo servientibus multa adversa eveniant. Apostolum autem tot persecutionibus fuisse impetitum a Iudaeis et tandem in vincula datum facile potuit esse occasio pro gentibus timiditatis seu diffidentiae vel moeroris et tristitiae.

Prout iam notat *Hier.* potest iuxta graecum legi : propter quod peto ne deficiam, idemque notant *Iust. Est. Lap. Nat.* etc. et hanc acceptionem amplectuntur *Theod. ThdM :* rogo ut divino potiar auxilio, ut fortiter feram incidentes aerumnas propter vestram salutem; eam quoque praefert *Hpt.;* at profecto magis suadetur prior explicatio ; « magis enim Ephesiis pusillis et novellis in fide timebat apostolus in persecutione, ne animis caderent, quam sibi qui quasi generosus pugil et athleta Christi in ea solet gloriari » (*Lap.* sim. *Cai. Iust. Est.* etc.). Neque contra eam explicationem valet quod deest ὑμᾶς, nam posse deesse patet ex explicatione *Chrys. Thph. Euth.* et in cat. p. 158 (*Orig.?*) simpliciter scribitur διὸ αἰτοῦμαι ὑπὲρ ὑμῶν τὸ μὴ ἐκκακεῖν ὑμᾶς, et ὑμᾶς posse deesse, apparet Hebr. 13,19 παρακαλῶ τοῦτο ποιῆσαι, deprecor vos hoc facere etc. Adverte illud *ne deficiatis* commendari ex v. 16 quoque.

In v. 10 Ambrst. intelligit angelos malos, de quibus utique eadem dictione sermo fit 6,12 (ἀρχάς, ἐξουσίας ἐν τοῖς ἐπ.) ; attamen ibi alia adduntur ad daemones designandos (tenebrarum harum, spiritualia nequitiae); quare alii fere omnes de bonis angelis explicant. Eadem doctrina de angelis providentiam supernaturalem cum admiratione prosequentibus ac discentibus innuitur 1 Petr. 1,12 graece : quae nuntiata sunt vobis ; εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι.

Illud *per ecclesiam* innotescere habet, ut *Thom.* ait : « magnam difficultatem; nam glossa habet: per apostolos in ecclesia praedicantes ». Id aliqui intellexerunt ac si apostoli docerent angelos, quod ineptum videbatur. Demum *Thom.* recurrit ad sententiam a S. Augustino propositam (lib. 5 cap. 19 de Genesi ad litteram,

M. 34,335) : « ita fuit absconditum in Deo, quod inde innotuit principatibus non ab aeterno, sed a saeculo, quia omnis creatura principium habet. Et hoc non per ecclesiam terrenam, sed coelestem » ; nam secundum Augustinum ibi primitus est ecclesia, quo post resurrectionem et ista ecclesia congreganda est. Secundum hanc sententiam (de qua *Thom.* agit etiam in Summa I qu. 117, art. 2) mysterium hoc innotuit ecclesiae coelesti i. e. angelis et quidem a saeculis ; ergo secundum illam scientiam angelorum quam vocat Augustinus matutinam ; cognoverunt illud antea in Deo et illud eis apparuit in effectibus quibus aliqua eis innotuerunt quae antea iis erant occulta, uti *Thom.* in Summa illam sententiam proponit.

Secundum *S. Gregorium nyss.* prioribus temporibus supramundanae potestates solam simplicem et uniformem Dei sapientiam noverunt; verum per ecclesiam eis innotescit ἡ ποικίλη τοῦ Θεοῦ σοφία, quae per contraria efficit res magnas et mirabiles; « quomodo enim facta fuit vita per mortem et iustitia per peccatum et per maledictionem benedictio et gloria per ignominiam et per imbecillitatem virtus? ... Varium autem hoc et multiplex genus sapientiae, quod constat ex connexione cum contrariis, nunc aperte edocti sunt per ecclesiam, quomodo Verbum caro fit, quomodo vita morti miscetur, quomodo suo vulnere sanat nostram infirmitatem, quomodo imbecillitate crucis vires expugnat adversarii, quomodo invisibile in carne manifestatur, quomodo redimit captivos, cum ipse sit qui emat et sit ipse pretium, quomodo et est in morte et a vita non recedit, quomodo et miscetur servituti et in regno manet » (homilia 8 in Cant. cant. *M.* 44,948 sq.).

Petit pro eis perfectionem vitae et cognitionis 3,14-21.

3,14. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi,* 15. *ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur,* 16. *ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem,* 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in caritate radicati et fundati,* 18. *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum,* 19. *scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* 20. *Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem quae operatur in nobis,* 21. *ipsi gloria in ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.*

3,14. Τούτου χάριν κάμπτω τὰ γόνατά μου πρὸς τὸν πατέρα (τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ) 15. ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, 16. ἵνα δῷ ὑμῖν κατὰ τὸ πλοῦτος τῆς δόξης αὐτοῦ δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, 17. κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι, 18. ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι σὺν πᾶσιν τοῖς ἁγίοις τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ ὕψος καὶ βάθος, 19. γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ, ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ. 20. Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, 21. αὐτῷ ἡ δόξα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. ἀμήν.

In v. 14 πατερα sine add ℵ*ABCP, etiam Hier : simpliciter ad Patrem legendum ; in v. 18 βαθος και υψος ℵAKL ab pler ; υψος και βαθος BCDEFG minusc it cop go arm aeth Or Ath Victor Ambr Hier. In v. 21 και εν χριστω ℵABC alq minus cop Hier; om και DKLP al pler cat syr arm aeth go Chr Euth Theod Oec Thph... D*FG e f g εν χρ και.

Digressionem hanc de vocatione gentium et suo apostolatu (v. 2-12) absolvit petitione v. 14. Redit nunc ipsa formula *huius rei gratia* ad initium, 3,1 unde orta est digressio. Qui reditus eo facilius concipitur, quia commemoratis suis tribulationibus *pro vobis* iam fere recolit 3,1 *vinctus pro vobis* et ipsa digressio exhibet argumentum ab illo 2,11-22 haud alienum. Magno animi affectu petit apostolus duo, ut spiritu Dei roborati fide et caritate emineant v. 16.17, ex qua in vita sese disponant, et ut rite aestiment consilium Dei universale et caritatem Christi incomprehensibilem v. 18.19; quae est altera petitio. Inde cernitur apostolum expositione de vocatione gentium et beneficiis redemptionis finita redire ad illam petitionem quam iam supra proposuit 1,17-19.

Apostolus ferventem et instantem petitionem declarat (*Euth.*) dicens : *flecto genua mea*, quae genuflexio simul est signum magnae reverentiae in Deum et animi demissi in adoratione Deo exhibenda; cf. Is. 45,24. Rom. 14,11. Phil. 2,10. Oratio dirigitur ad Patrem, uti 1,17 ad Deum, patrem gloriae; agitur enim id, ut divitias gratiae Dei, mysterium consilii salutis, et opera Dei de Christo et per Christum facta fideles rite percipiant et aestiment (cf. 1,7 seq. 17 seq. 2,4 seq. 2,18 etc.); Patrem nominat, quia per Christum accessum acquisivimus ad Patrem (2,18), et ratio peculiaris interpellandi Patrem, videtur afferri v. 15 *ex quo omnis* πατριά, omne genus, quaevis stirps, quaevis familia, *in coelis et in terris nominatur*; πατριά a graecis explicatur φυλή, γενεά, unde dicunt : τὰς ἄνω καὶ τὰς κάτω φυλὰς ἐποίησε, intelligi quemvis ordinem angelorum et quamvis nationem populorum; eodem modo vocem graecam *Hier.* cognationem, familiam declarat. Ipso nomine πατριά in memoriam revocatur ille demum Pater qui est fons et origo omnis creaturae, ex quo quidquid in coelo et in terra *nominatur*, nomine quodam designatur, quidquid exsistit, suum esse, suam naturam habet et continuo ab eo conservatur et in quocumque momento ab eo pendet. Exhibetur itaque sollemnitate quadam maiestas Dei creatoris familiarum omnium coelestium aeque ac terrestrium, a quo tamquam a Patre iuremerito sperantur bona quaecumque.

Vocem paternitatis hoc loco esse ex graeco de familia seu tribu intelligendam etiam latini interpretes monent (*Cai. Est. Iust. Lap. Nat.* etc.). In ipsa vulgata Ps. 21,28 πατριαί familiae dicuntur, dum Ps. 95,7 αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν e contra patriae gentium leguntur. Quandoque tentatum est paternitatem ad notionem πατριᾶς inflectere (cf. *Lap.*), vel vocem latinam in sua significatione nativa sententiae nostrae accommodare; qua in re *Hier.* praeivit : solus Pater, quia creator est omnium et universorum causa substantiae, praestat ceteris ut patres esse dicantur. At in ea acceptione iam illud *in coelis* nequit explicari; nam nimis subtile est quod *Hier.* affert : puto et angelos ceterasque virtutes habere principes sui generis in coelestibus quos patres gaudeant appellare; vel quod

Thom. assumit, uti magister sit pater discipuli, ita angelos superiores, qui illuminent inferiores, dici patres illorum, et comparat 1 Cor. 4,15. Ex graecis *Theod.* πατριὰν ita exponit, ut notio paternitatis voci indatur, Deum vere esse patrem, qui non ab alio hoc acceptum habeat ἀλλ'αὐτὸς τοῖς ἄλλοις μεταδέδωκε τοῦτο, sed ipse aliis id tribuit, singularem lectionem praebet *ThdM*, vult enim legendum esse φρατρία — discrimen exponit; πατριὰ μὲν γὰρ ἡ συγγένεια λέγεται, φρατρία δὲ τὸ σύστημα, ἐν δὲ τοῖς οὐρανοῖς συγγένεια μὲν οὐδεμία, συστήματα δὲ καὶ πολλά. In versione latina haec habentur : « quidam *paternitas* legerunt, non intelligentes quod positum erat ab apostolo; est autem *congregatio;* nam *patria* vel *paternitas* cognatio dicitur, *congregatio* autem collectio esse insinuatur; in coelis namque cognatio quidem est nulla, congregationes autem sunt plurimae » (*Swete* l. c. p. 159). Etiam *Chrys.* miratur quod πατριά dicatur : ἐνταῦθα μὲν γὰρ πατριαί εἰσιν τὰ γένη, ἐν δὲ οὐρανῷ πῶς, ἔνθα οὐδεὶς ἐξ οὐδενὸς γέγονεν; in coelo autem quomodo sunt genera, ubi nullus ex altero est genitus? ἢ ἐκεῖ τὰ συστήματά φησι πατριάς; an illuc coetus vocat πατριάς? καθάπερ καὶ ἐν τῇ Γραφῇ ἔστιν εὑρεῖν κείμενον, πατριὰ ἁματταρεὶ (? fortasse Μεραρεί, Num. 4,29 υἱοὶ Μεραρεί, κατ' οἴκους πατριῶν αὐτῶν). Alii monent angelos vocari filios Dei (Iob 1,6; 2,1; 38,7. Dan. 3,92).

Alii notionem πᾶσα πατριά ita restringunt, ut illi soli intelligantur, qui filiatione adoptiva (sensu novi testamenti) revera sint filii Dei (cf. *Bels. Henle*). Sed ita πᾶσα πατριά nimis recedit ab usu et notione in Scriptura assumpta, in qua valde frequenter occurrit (cf. Ex. 6,15.19. Ps. 21,27; 95,7; 106,4. Is. 2,4; 3,14; 23,9 etc. pro hebr. משפחה; et Luc. 2,4. Act. 3,25 — pro vetere testamento plurimos locos vide apud *Hatch*). Sicut 3,9 dictum est de Deo qui omnia creavit, ita simili modo hoc loco eius maiestas ex universali dominatione declaratur. Neque haec paronomasia πατήρ — πατριά ob notionem patris, qui solo sensu novi testamenti pater vocari possit, est restringenda ad iustos. Nam in vetere testamento etiam populi dicuntur filii Dei; cum enim Israel vocetur primogenitus filius Dei (Ex. 4,22), reliquos populos nomine filiorum comprehendi sequitur; idem indicatur Ier. 3,19 : quomodo ponam te in filios i. e. quomodo te volui exaltare prae aliis filiis, prae aliis populis! Quare nihil obstat quominus πᾶσα πατριά notione generali retineatur. Idque hoc loco eo magis erit observandum, quia in antecedentibus apostolus adeo explicite de vocatione gentium disputavit et suum esse apostolatum affirmavit gentibus evangelizare divitias Christi et omnes illuminare de isto mysterio vocationis gentium (cf. 2,11; 3,6.8-10). Quae si ob oculos habentur, etiam nomen *Patris* plane intelligitur.

Prius quidem *Hier.* genu flectere exposuit ansa capta ex Phil. 2,10 notione spirituali de subiectione mentis et inclinatione animae et obsequio cordis; at reversus ad locum nostrum monet : « haec autem spiritualiter exponentes non statim iuxta litteram orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus; legimus enim Paulum in littore sic orasse »; cf. Act. 20,36; 21,5 et Petrus oravit ponens genua Act. 9,40. Ad Deum, cuius gloria est divitias gratiae nobis

largiri, magno animi affectu petitionem dirigit : *ut det vobis secundum divitias gloriae suae*, ut in initio petitionis Deum invocaverat Patrem gloriae (1,17), ita nunc petit, ut det secundum immensam largitatem et bonitatem qua glorificatur (*Est.*), *virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem*: ὁ ἔσω ἄνθρωπος ille est qui condelectatur legi Dei (Rom. 7,22), est mens hominis, νοῦς, sana ratio, quae per se rectum et bonum intelligit et appetit, sed repugnantiam carnis eiusque impetum vincere per se non valet (cf. Rom. 7,23). Unde homo quam maxime indiget, ut contra desideria carnis huic interiori homini, eius menti, addatur robur, ut firmetur δυνάμει, ut crescat virtute; talis autem virtus tale robur confertur homini interiori *per Spiritum eius*, quae doctrina exponitur Rom. 7,6.25; 8,2; haec est circumcisio cordis in spiritu Rom. 2,29 et si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis Rom. 8,13. Auxilio gratiae divinae opus est; hanc illis adprecatur apostolus, ut ex divitiis gloriae gratiarum interior homo ὁ ἔσω ἄνθρωπος renovetur de die in diem (2 Cor. 4,16). Dicitur homo interior, quatenus homo mente, intellectu, voluntate ceterisque internis animae viribus ac potentiis constat et vivit, sicut e contrario exterior homo, idem homo, quatenus sensibus membrisque externis constat, vivit, iisque operatur, indulget (*Lap.*); ita quidem ratione habita 2 Cor. 4,16; hic vero potius σαρκί opponitur ὁ ἔσω ἄνθρωπος.

Praeterea efflagitat illis v. 17 *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*, ut viva fide Christum eiusque doctrinam complectantur; ita in eorum animis efficietur illud : hoc sentite in vobis, quod et in Christo Iesu (Phil. 2,5), ut tandem dicere possint cum apostolo : vivit in me Christus, in fide vivo Filii Dei (Gal. 2,20); si apostolus corpora fidelium dicit membra Christi (1 Cor. 6,15), in eorum animis Christum vivere, agere, eos duci Spiritu Christi concludendum erit. Uti prior petitio plurima continet, ita haec altera quoque, qua Deus imploratur, ut tota eorum agendi ratio regatur a Christo inhabitante, scil. ut secundum Christi exemplum et doctrinam cuncta disponantur, ut efficiantur Christi habitaculum. De modo scribendi adverte: primum sequitur post ἵνα δῷ infinitivus v. 16, dein accusativus c. inf. v. 17; iam tertio mutatur constructio; *in caritate radicati*, ut sitis etc.; continetur tertium quod pro iis petit ad perfectionem vitae. Eiusmodi mutatio constructionis in longiore expositione facile occurrit; vide Rom. 12,9-19. Iam *Oec.* adnotat poni nominativum pro accusativo eumque morem praecipue reperiri apud Thucydidem, vel adhibendum esse hyperbaton et iungendum cum sequenti : ut in caritate radicati possitis etc.; quam traiectionem etiam complures assumunt; at ea destruitur ipsa concinnitas petitionum.

Tertio enim illis exoptat reginam virtutum (cf. 1 Cor. 13), caritatem.

Quam acquirere debeant firmitatem et constantiam, exprimit duabus similitudinibus, arboris quae altis radicibus actis firmiter innititur, et aedificii stabiliter fundati; firmiter itaque et constanter consistant in exercitio caritatis, in eius usu et operibus quasi altas agant radices, et aedificium vitae erigatur super fundamentum caritatis. Utramque similitudinem tangit apostolus : Dei agricultura γεώργιον estis, Dei aedificatio οἰκοδομή (1 Cor. 3,9). Hisce tribus summa quaedam et perfectio vitae continetur : corroborari per Spiritum ad perpessiones vincendas, Christum induere, et esse fundatum et stabilitum in caritate. Atque hisce consistit petitio apostoli pro fidelibus ratione habita vitae quam agere debent. Atque in textu tres proponi petitiones, *Nat. Est. Iust.* iam bene exposuerunt.

De modo quo v. 17 referatur ad v. 16, disceptatur. Per se iste accusativus cum infinitivo posset esse sententia finalis, ita ut tamquam finis illius *virtute corroborari* v. 16 enuntiaretur, ut Christus habitaret in cordibus. Vel v. 17 potest considerari tamquam explicatio quaedam seu declaratio aut determinatio ad v. 16. Prior illa acceptio sententiae finalis ex regulis grammaticae iam non commendatur, quia subiectum mutatur; neque altera placet, quia difficile intelligitur, quomodo Christum habitare in corde nihil aliud sit, nisi explicatio quaedam pro « virtute corroborari ». Unde optime sumitur v. 17 independenter a v. 16 tamquam altera petitio (*Ephr.*). In modo scribendi : in caritate firmati ἐρριζωμένοι etc. iterum mutatur constructio, quae tamen mutatio apud apostolum saepius habetur; statim occurrit 4,2 παρακαλῶ ὑμᾶς περιπατῆσαι, ... ἀνεχόμενοι et vide Col. 2,2 ut consolentur corda ipsorum (αἱ καρδίαι αὐτῶν) instructi συμβιβασθέντες etc. Coactum est ἐρριζωμένοι nescio qua constructione praegnante explicare ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένους. Cum « in caritate radicati » non possit esse conditio quasi praevia ad « Christum habitare *per fidem* », certe optime intelligitur ut tertia petitio.

In secunda petitione postulat pro illis bonum quoddam intellectuale (cf. 1,17.18). Hoc autem bonum ita proponitur, ut simul appareat, vitam in fide et caritate perfecta actam esse necessariam praeparationem ad acquirendam intelligentiam rerum spiritualium. Nexum bene ostendit *Thom.* : « supra ostendit apostolus petitionis suae et orationis intentum, sc. corroborationem spiritus in fide et caritate; hic consequenter ostendit eius quam petit corroborationis in fide et caritate fructum, qui est quaedam cognitio ». Vitam bene actam plurimum conferre ad intelligentiam spiritualem ostenditur ipsa particula ἵνα, qua sententia dependens exhibetur ab antecedentibus; illa scil. in id tendunt ac diriguntur v.18 *ut possitis* ἵνα ἐξισχύσητε, ut valeatis, ut efficiamini potentes, *comprehendere cum omnibus sanctis*, optat scil. et orat, ut ad talem cognitionem et rectam aestimationem omnes perveniant fideles, et simul indicat eiusmodi animi conditionem et intelligentiam omnibus proponi, ut eam appetant

et ad eam attingere studeant, *quae sit latitudo et longitudo*. Ad quid hoc referendum sit, patet, si consideramus, unde ipsa haec petitio apostoli enata sit. Est autem orta, uti 3,1.14 indicatur τούτου χάριν, ex antecedente expositione, qua mysterium in Deo absconditum de omnium gentium salute per Christum largienda describitur; huius ergo mysterii, huius consilii divini magnitudo per quattuor illas dimensiones quasi ad oculum et plastice exhibetur.

Ita graeci rem conceperunt ; τὸ μυστήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν οἰκονομηθὲν μετὰ ἀκριβείας εἰδέναι (*Chrys.*), magnitudo mysterii declaratur (*Euth. Oec. Thph. Ephr.*), vel quae sit et quanta eius mysterii, quod vobis praedicavi, magnitudo, dignitas, maiestas (*Est.*). Adnotavit *Thom.*, verba haec videntur ortum habere ex verbis : excelsior coelo est, profundior inferno longior terra mensura eius et latior mari (Iob 11, 8.9), ad quae alludens apostolus dicit etc. Bene etiam *Lap.*, apostolus loquitur hic de beneficio oeconomiae et redemptionis Christi, qua non tantum Iudaeos, sed et gentes omnes vocavit ad salutem, gratiam et beatitudinem. Praeter eam explicationem, quae sola contextui congruit, veteres praeeunte *Hier.* varia alia addere solent easque dimensiones applicare ad crucem, vitam beatam, naturam divinam, bonitatem divinam etc. : quae videri possunt apud *Iust. Lap. Nat.*, neque hic exponenda sunt.

Cum hoc mysterio salutis intime connexa est caritas Christi qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis (Gal. 2,20), cuius caritatis quasi immensitas in redemptione pro omnibus peracta ostenditur. Quam caritatem, excedentem nostram notitiam, saltem cum admiratione ut summopere aestiment, apostolus rogat v.19 *scire etiam supereminentem scientiae* τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην quae cognitionem superat *caritatem Christi ;* sed si superat nostram scientiam, quomodo rogat ut eam sciamus? non dicit : cognoscetis eam quanta sit, sed hoc ipsum quod magna sit et quod exsuperet omnem cognitionem (*Thph.*). Recte monent *Cai. Lap. Est.* latinum *scientiae* esse per dativum explicandum : supereminet, praestat scientiae, caritas Christi maior est captu nostro, maior quam ut penitus a nobis intelligi possit, cf. 1,10; 2,13-18. Nam, ut ait *Thom.*, quidquid est in mysterio redemptionis humanae et incarnatione Christi, totum est opus caritatis ; cf. Ioan. 3,16; 15,9 sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, et vide infra in epistola nostra 5,2. Id scire pertinet ad spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius, quem spiritum pro iis a Deo efflagitavit 1,17.

Hanc ipsam caritatem Christi etiam describi iam in v.18 et magnitudinem eius et amplitudinem designari per quattuor illas dimensiones existimat *Abbott*, ea inductus ratione, quia in antecedentibus a v.14 nova quaedam pars sit incepta, in qua iam non reperiatur μυστήριον, alias

autem explicationes v. g. depromptas ex imagine templi, vel complectentes cuncta quae Deus revelaverit et fecerit pro nobis, admitti non posse, unde infert ex ipso contextu, id est, ex ipso illo quod immediate sequitur, explicationem esse repetendam; describi prius ambitum caritatis, dein eius incomprehensibilitatem. Verum in hac acceptione concinnitate sententiarum requireretur, ut ipsa haec supereminentia seu incomprehensibilitas non per modum attributi seu adiectivi exprimeretur, sed per substantivum; insuper mirum est, id de quo agatur non suo loco poni, scil. in v. 18, sed prius quasi in ambiguo relinqui et demum suppleri in v.19. Dein iam expositum est v.14 *huius rei gratia* etc. intime necti cum antecedentibus.

Sine definito obiecto v.18 concipit *Ew.*, cognitionem scil. fidelium quasi in omnem directionem et in omnem veluti dimensionem extendendam esse, cognitionem utique christianam, cognitionem fidei, ita scil. ut non tantum haec vel illa pars aut tantum haec vel illa ratio veritatis aut doctrinae ob oculos habeatur. Putat hanc acceptionem commendari prae illa de mysterio, eo quod uno articulo τὸ quattuor illae enuntiationes τὸ πλάτος καὶ μῆκος etc. designentur.

Verum ipsa haec scientia ulterius tendit, *ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*: plenitudo Dei est vel illa plenitudo quam Deus habet, vel illa plenitudo cuius est auctor, quam datvel hominibus inesse vult, sicut iustitia Dei est vel illa qua Deus iustus est vel quam hominibus largitur. Si priore notione intelligitur, erit sensus similis verbis Christi: estote vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est (Matth. 5,48), et eo modo intelligit *Chrys.* σπουδάζειν ὥςτε πληροῦσθαι πάσης ἀρέτης, ἧς πλήρης ἐστὶν ὁ Θεός et *Lap.* « ut sitis pleni omni sapientia, virtute et perfectione, maxime caritate qua plenus est Deus » et similiter *Cai. Bels. Henle, Hpt;* ita meta altissima perfectionis praefigitur. Alii magis efferunt plenitudinem quam Deus largitur, « ut habeatis perfectam participationem omnium donorum Dei, ut scil. hic habeatis plenitudinem virtutum, et postea beatitudinis, quae quidem efficit caritas » (*Thom.*); similiter *Est.* ut repleamini perfectione omnium donorum Dei; et ita *Nat.* quoque; alii uti *Lap. Ew.* utramque acceptionem plenitudinis proponunt. Singularis est opinio Severiani in cat. proposita: πλήρωμα γὰρ τὴν ἐκκλησίαν λέγει (cat. p. 163). In utraque acceptione plenitudinis id statuitur, ut ex cognitione magnitudinis mysterii divini de salute et ex aestimatione summa caritatis Christi enascatur fervens studium virtutum et perfectionis. Indicatur quoque mutua illa habitudo inter vitam et cognitionem; vita enim proba conducit ad faciliorem cognitionem rerum spiritualium; maior vero cognitio rerum divinarum iterum stimulus quidam est maioris virtutis, uti in v. 16-19 declaratur.

Uti apostolus 1,3 cum doxologia incepit, ita hanc partem doxologia sollemniore concludit, qua et petitionem suam convenientissime absolvit et maximam suam fiduciam de immensa Dei liberalitate praeclare profitetur idque eo magis consentaneum est, quia, ut *ThdM.* notat, sub tali specie gratiarum actionis sermonum dogmaticorum expositionem fecisse videtur; v. 20 *ei autem qui potens est omnia facere* ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι super omnia facere i. e. potens est multo plus facere quam omnia illa quae nos petimus aut mente concipimus, et insuper *superabundanter quam petimus* ὑπερεκπερισσοῦ, nova fingit verba, ut superabundantiam divinae potestatis exprimat, ἐκπερισσοῦ iam includit notionem superlativi; hanc etiam augere studet voce composita, valde ultra modum plus ὧν αἰτούμεθα *quam* illa sunt quae *petimus aut intelligimus;* simplicius legitur versio latina apud *Hier.* : ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intelligimus; « ceterum quantum ad rei ipsius pertinet veritatem, plus Deum valere tribuere quam rogatur et spes nostras vinci effectibus ». Comparanda sunt quae scribit alias : quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit (homo ne mente et cogitatione quidem sibi fingere potest), quae Deus praeparavit diligentibus se (1 Cor. 2,9). Et ut tam magnam concipiamus spem, iam in nobismetipsis habemus pignus certum et documentum; nam Deus potens est super omnia facere et etiam multo maiora quam petimus aut mente excogitamus (ἢ νοοῦμεν) *secundum virtutem quae operatur in nobis*, quae in nobis est efficax κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, haec enim virtus efficax est Spiritus Dei; v. 16 virtute corroborari per Spiritum eius et 1,13 Spiritus est arrha eoque signati sumus et 2,21 et in Spiritu coaedificatio fit in Dei habitaculum. Impulsu et operatione Spiritus sancti in animis iustorum miri producuntur effectus virtutum heroicarum, sublimis inditur rerum coelestium cognitio, amor Christi accenditur stupendus. Cum itaque fideles iam habeant arrham Spiritus sancti, maxima fiducia petitiones suas Deo offerre possunt, et exspectare laeta spe illa bona, quorum pignus et arrha est idem ille Spiritus.

Pulchre concludit precibus et glorificatione; oportebat enim eum glorificare qui tanta praebuit (*Chrys.*) v. 21 *ipsi gloria in ecclesia, et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum*, facilem sensum praebet lectio varians : in ecclesia in Christo Iesu reddatur Deo gloria, in ecclesia quae constituta est et vivit in Christo Iesu. Sed critice retinenda erit lectio *et* in Christo, unde sensus erit eruendus : sit Deo gloria agnita et praedicata in ecclesia, et innotescat haec gloria Dei nobis exhibita in Christo, mediatore et redemptore; Deus quippe immensam suam erga nos caritatem et benignitatem quam praeclarissime manifestat in Christo nobis misso et dato (cf. Ioan. 3,16. Rom. 8,32). Veteres

plerumque explicant : sit gloria, eum glorificet ecclesia tantis beneficiis affecta, idque per Christum, in omnes aetates τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων: usque in aeternum ; γενεά ponitur, uti saepe apud LXX pro דור notione aevi, aetatis, spatii temporis; unde ad litteram τῷ αἰῶνι τῶν αἰώνων (ultimo aevo? ita *Hpt.* vel aevo omnium aevorum maximo seu longissimo) assignantur iterum spatia temporum in omnes aetates; ita cumulantur notiones ad exprimendam seu delineandam aeternitatem. Secundum interpunctionem vulg. sit ipsi gloria in ecclesia, et in Christo Iesu, in omnes generationes etc. sensus potest esse : in Christo datum est ut Deo sit gloria in aeternum ; in Christo enim adepti sunt quotquot ex hominibus unquam futuri sunt in coelo beatitudinem, in qua habetur gloria Dei externa, quae sola ei dari potest a creaturis. De gloria Dei quae resideat in ecclesia et in Christo videtur *Hier.* explicare : « ipsi itaque Deo sit gloria ; primum in ecclesia quae est pura, non habens maculam neque rugam et quae propterea gloriam Dei recipere potest, quia corpus est Christi. Deinde in Christo Iesu, quia in corpore assumpti hominis, cuius sunt universa membra credentium, omnis divinitas inhabitet corporaliter. Quae quidem gloria non in praesens tantum tempus extenditur et futuris saeculis terminatur; sed in omnes generationes et saeculum saeculorum, ineffabili aeternitate permanet, crescit, augetur » ; cf. 2 Petr. 3,18 : ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis.

Aliqui explicant in v. 19 ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, ita ut respicientes v. 17 (Christum habitare in cordibus vestris) et memores Col. 2,9 (in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis) sibi construant hanc sententiam : in vobis inhabitat Christus, in Christo autem plenitudo divinitatis, ergo etiam in vobis reperitur πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ.

Monet *Hpt* ad v. 21 debere ἐν eadem notione sumi in utraque locutione : in ecclesia et in Christo, notione scil. locali; unde explicat : gloriam Dei effici *externe* in coetu fidelium et simul *interne* ita, ut sit in Christo. At nescio cur ἐν ita in una notione debeat retineri; gloria redditur Deo in coetu fidelium et modus quo Deo penditur gloria exhibetur in Christo, quia preces et gratiarum actiones fiunt in Christo, in illa scil. unione fidelium cum Christo, quae est constans apostoli expressio ac sententia. — Fertur quoque lectio : in Christo et in ecclesia (quae pariter sapit correctionem, ne Christus quasi secundo loco poni videatur post ecclesiam); eam secutus esse videtur S. Ephraem : ipsi gloria per Iesum Christum ab ecclesia in omnibus generationibus in saecula saeculorum.

Quid erit supplendum ad « ipsi gloria » ? ipsi sit gloria? ita *Thom. Nat. Est. Abb. Bels.* (quoad sensum item *Lap. Iust.*); ipsi debetur gloria (*Hpt. Ew.*), ipsi est gloria (*Henle*, qui monet excitationem ad Deum laudandum congruere quidem ecclesiae, at non Christo).

Servata unitate intime iungantur Christo 4,1-16.

4,1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis,* 2. *cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate,* 3. *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* 4. *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.* 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* 6. *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis.*

7. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* 8. *Propter quod dicit: ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?* 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* 11. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores,* 12. *ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi,* 13. *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi,* 14. *ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* 15. *Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus;* 16. *ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.*

4,1. Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς ἐγὼ ὁ δέσμιος ἐν κυρίῳ, ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθητε, 2. μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης καὶ πραΰτητος, μετὰ μακροθυμίας, ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ, 3. σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης. 4. ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καθὼς ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν. 5. εἷς κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα. 6. εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν.

7. Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ. 8. διὸ λέγει· ἀναβὰς εἰς ὕψος ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, ἔδωκεν δόματα τοῖς ἀνθρώποις. 9. τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; 10. ὁ καταβὰς αὐτός ἐστιν καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. 11. καὶ αὐτὸς ἔδωκεν τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστάς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, 12. πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, 13. μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πιστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, 14. ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. 15. ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλή, Χριστός, 16. ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον καὶ συνβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος ποιεῖται εἰς οἰκοδομὴν αὐτοῦ ἐν ἀγάπῃ.

In v. 6 εν πασιν ημιν DEFGKL syr arm go Hil Viot Ambr; υμιν Chrys Theod Occ. Thph.

Spem vocationis apostolus fidelibus ob oculos posuit ipsa illa descriptione benedictionis amplissimae spiritualis (1,3-14); eius spei sublimitatem et certitudinem demonstravit ex illis quae Deus egit pro Christo

capite ecclesiae (1,19-21) quae egit pro ipsis fidelibus (2,1-21), unde apostolus admiratus mysterium vocationis gentium petitiones pro fidelibus (quas inceperat 1,17-18) Deo Patri offert (3,1-21). Exposuit itaque, quae beneficia et quae spes illis exhibita essent. Restat igitur ut ipsi fideles ex sua parte hisce respondeant. Quare apostolus, ut in aliis epistolis proposita et declarata doctrina, transit ad admonitiones et praecepta vitae (cf. Rom. 12,1 ; 1 Thess. 4,1-12; 2 Thess. 3,1-15; Gal. 5,1-6,10).

Et quantopere eius animo obversetur excellentia et dignitas vocationis fidelium, et ipsa hac epistola hucusque ostendit et admonitionibus denuo manifestat, quas hac vocatione commemorata praecipue inculcare intendit ; v. 1 *obsecro*, παρακαλῶ, adhortor, admoneo *itaque* οὖν, quae particula facile adnectitur ad antecedentia, ad ipsam petitionem quam pro fidelibus Deo proposuit 3,15 seq. praesertim ad 3,19, et insuper istas admonitiones ad argumentum hucusque tractatum arcte consequi in aperto est. Nam postquam beneficia Dei iis collata descripsit, per se consequitur, quid istis beneficiis rependant ; « divino beneficio iniqua vita ne faciatis iniuriam » (*Theod.*). Alias quoque particula οὖν exhortationes inducere solet, quippe quae sint conclusiones et supplementa doctrinae expositae (1 Thess. 4,1. Rom. 12,1. Gal, 5,1) ; *ego vinctus in Domino*, vinciri, captivitas ei obtigit in re et negotio Christi Domini, cf. 3,1 sensu fere eodem, Philm. 1.9.23 ; « meminit vinculorum suorum ad excitandum affectum, quo sit efficacior exhortatio » (*Est*) ; cf. 3,13 ; *ut digne ambuletis*, conversemini, vitam agatis, *vocatione qua vocati estis*, vocati sunt, ut essent sancti et immaculati in conspectu Dei eligentis et vocantis, vocati ad adoptionem filiorum in laudem gloriae gratiae eius (1,4-6), vocati et creati in Christo Iesu, ut in bonis operibus ambularent (2,10), ut coaedificarentur in habitaculum Dei (2,22), ut implerentur in omnem plenitudinem Dei (3,19). Ad tam praeclaram vitam vocati sunt tamquam membra sub capite Christo (2,21).

Uti 1,3 in omni benedictione spirituali compendium quoddam et quasi summa continetur beneficiorum Dei quae deinceps exponuntur, ita in adhortatione hac, ut digne ambulent vocatione, iam brevi formula et efficaci confirmatione cuncta monita comprehenduntur, quae in sequentibus singillatim explicantur. Secundum verborum sententiarumque dispositionem in v. 2.3 quattuor praescriptiones exhibentur ; primum : *cum omni humilitate et mansuetudine*, animum exhibeant demissum, non alta sapientem, sed debito modo se subiicientem, qui eo ipso etiam erit mansuetus πραΰτης, abiecta omni duritie et insolentia in omni re agant cum suavitate ; postulatur haec animi demissio, haec virtus humilitatis et suavitatis in universum, in quacumque re, in tota conversatione. Et

quantopere vi vocationis alieni esse debeant ab omni superbia et animi elatione, satis ostensum est ex conditione pristina ex qua sola gratia Dei erepti sunt (2,2-12), ex beneficiis plane gratuito collatis (1,4-14; 2,4-8.13-22; 3,6). Quae si perpendant, de se humiliter sentient, de Deo vero magnifice eumque summa animi demissione colent, et aliis pariter animum humilem, suavem exhibebunt. Bene monet *Hier.* : « omnis humilitas non tam in sermone quam in mente est, ut humiles nos esse conscientia noverit, nunquam nos vel scire vel intelligere vel esse aliquid aestimemus ».

Repetitione praepositionis secunda inducitur virtus *cum patientia*, μετὰ μακροθυμίας cum longanimitate, animi lenitate ac moderatione, qua ira et vindicta coercetur, si qua offensio vel iniuria illata est. Discrimen ab antecedente notat *Thom.* : quandoque enim aliquis humilis est et mansuetus in se, abstinens a molestiis inferendis, non tamen patienter sustinet molestias sibi illatas vel attentatas ; ideo subdit *cum patientia* ». Habet longanimitas aliquid affine cum magnanimitate (uti vertit *Ambrst.*) ; magnanimi sunt quippe etiam longanimes, sicut *Lap.* ex Senecae libro de clementia affert, nulla re turbantur vel offenduntur, laesi non se vindicant, sed potius clementiam exhibent ; contra qui sunt animo contracto, rebus parvis, parva iniuria, verbo asperiore concitantur ad iram et vindictam erumpuntque in iurgia. Tertium monitum spectat illud ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε alter alterius onera portate (Gal. 6,2), *supportantes invicem* idque non aegre, cum murmuratione, sed *in caritate* : ita iungi debebit, iam ut modus et ratio istius *supportantes* describatur, dein ut cum v. 3 habeatur concinnitas quaedam conformatioque sententiae. Quivis sibi conscius esse debet se habere defectus quibus alteri molestia quaedam creetur ; unde ipse quoque aliorum defectus seu mores asperos supportet *in caritate*, quae omnia suffert, omnia sustinet, quae non irritatur, non cogitat malum (1 Cor. 13,5.7). Haec admonitio dirigitur secundum *Thom.* contra inordinatum zelum, qui statim iudicat, nec tempus nec locum servat. Ad hanc autem caritatem impelli debent filiatione adoptiva, qua velut fratres inter se iunguntur (1,5), eadem sorte et spe vocati, et arrha Spiritus signati et tamquam membra unius corporis sub Christo capite (2,11.13.22 etc.).

Quartum monitum effertur simili cum tertio sententiae forma v. 3 *solliciti* σπουδάζοντες sollicite operam dantes seu curantes *servare unitatem spiritus*, unitatem mentis et animi (*Lap.*), prout apostolus alibi monet : obsecro vos ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata, sitis perfecti in eodem sensu et in eadem sententia (1 Cor. 1,10), idem sapite (Rom. 12,16 ; 2 Cor. 13,11), implete gaudium meum, ut idem sapiatis (Phil. 2,2 ; 4,2) ; hanc unitatem spiritus servavit multitudo cre-

dentium, quorum erat cor unum et anima una (Act. 4,32). Haec unitas servatur et in tuto collocatur *in vinculo pacis*, ut scil. pace et amore pacis animi eorum connectantur; si omnes pacem amant, iurgia vitantur, neque in diversitate opinionum concordia et animorum consensio turbantur. Assignatur itaque, uti *Thom.* ait, modus servandae unitatis; est enim pax ligamen animorum; pacis auctorem iis exhibuit apostolus Christum (2,15); hanc pacem omnibus evangelizavit Christus, ea pace habent accessum in uno spiritu ad Patrem (2,17-18); proinde hanc pacem quam maxime fovere debent, ut conversentur secundum vocationem. Non desunt qui spiritum etiam hoc loco intelligant de Spiritu sancto (*Chrys. Iust. Bels. Henle*); verum admonitio, uti legitur per se, mirum istud sonat : servate unitatem Spiritus sancti, de qua unitate nobis sane non est curandum; utique explicant : servate unitatem, cuius auctor est Spiritus sanctus. At simplicius est et sententiae unice consonum, ut sequamur id quod *Hier.* a plerisque accipi dicit, ut scil. spiritum dicamus affectum mentis atque sententiam ; ita etiam *Cai. Est.* : « spiritum intelligimus humanum, i. e. animos hominum inter se consentientium, secuti commentarium Thomae et Ambrosiani ; non ut graeci, Spiritum sanctum, quia quod sequitur ; unus spiritus, de spiritu humano convenientius accipi putamus ». Sed potior ratio est ipse modus loquendi : unitas Spiritus sancti non a nobis est servanda vel custodienda; et prorsus aliud est affirmare unum esse Spiritum, non plures!

Quae unitas Spiritus v. 4-6 ter ternis modis describitur, quibus simul rationes et subsidia et causae illius unitatis delineantur v. 4 *unum corpus* estis (1,22.23; 2,16); cf. Rom. 12,5 multi unum corpus sumus in Christo et 1 Cor. 12,13; *unus spiritus*, « ut videlicet unum habeatis spiritualem consensum per unitatem fidei et caritatis » (*Thom.* similiter *Lap. Est.*); alii malunt explicare de spiritu, quo hoc ecclesiae corpus vivit et vegetat, de gratia Spiritus sancti, vel de ipso Spiritu sancto (cf. *Iust. Bels. Henle*), de quo etiam *Chrys.* accipit : « unum accepistis spiritum, et ex uno fonte potati estis, non debetis dissentire »; sed statim subiungit : aut spiritum hic dicit τὴν προθυμίαν, alacritatem. Huic congruit *sicut vocati estis*, critici praeferunt lectionem καθὼς καὶ ἐκλήθητε, sicut et vocati estis (*Hil. Hier. Vict.*) *in una spe vocationis vestrae ;* vocatio seu invitatio ad Dei regnum vobis est oblata in una spe proposita; cf. 1,11 ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, cuius spei seu hereditatis arrham iam habent (1,14). Et quomodo una spes ratio sit unitatis, explanat *Thom.* « quia sicut videmus, quod quando aliqui sunt vocati simul ad aliquid pariter habendum et mutuo percipiendum, solent simul etiam manere et simul ire, ita spiritualiter dicit : quia vos estis vocati ad unum, scil. finale praemium, ideo debetis simul cum unitate spiritus ambulare. »

Unitas spiritus seu animorum coniunctio etiam habetur v. 5 quia omnibus est agnoscendus, colendus, amandus *unus Dominus*, scil. Iesus Christus, ad quem eos adduxit et apud eum retinet *una fides*, qua simul fovetur una mens et una sentiendi ratio; cum hoc uno Domino eos coniunxit *unum baptisma* (cf. Rom. 6,3.4; 1 Cor. 12,13 in uno spiritu in unum corpus baptizati sumus). Sumitur ergo argumentum ab uno Domino, qui habet supremum in omnes dominium, cui omnes servire et obedire debent; ab una fide, qua animi in unum sensum de rebus divinis colligantur; turpe est enim eadem credentes animis et studiis esse divisos (*Est.*); ab uno baptismo, a sacramento regenerationis quo novus homo ex aqua et Spiritu sancto gignitur; unde baptizati una natura nova sacra praediti etiam unum agendi sentiendique principium habent; quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis (Gal. 3,27; cf. 1 Ioan. 3,9). Iam qui Christum induerunt, quomodo non unitate sensus concordes sunt? Dominus est fons, auctor et causa unitatis seu unionis; eius unionis veluti causae efficientes, seu media et subsidia sunt fides et baptisma. Quaerunt, cur eucharistiae apostolus non mentionem fecerit (cf. 1 Cor. 10,17). Potuit et alia unitatis adiumenta afferre, sed minime debuit; aliqua attulit; unum subiectivum, obiectivum alterum.

Unitatem spiritus servandam esse, ulterius suadetur v. 6 *unus Deus et Pater omnium*, unus Deus exigit cultores unanimes, Pater unus omnium filios fraterno amore coniunctos habere vult (*Est.* cf. Mal. 2,10) *qui est super omnes*, supremo suo dominio omnes regit ac continet, et cum Deus sit Deus pacis (Rom. 15,33; 16,20; 2 Cor. 13,11) omnes pace unitos esse et paci ac concordiae servandae operam navare vult. Insuper tamquam supremus gubernator regnum suum efficaci ratione ad finem propositum dirigere debet, ut scil. omnes communi conspiratione pro sua quisque parte ad finem attingendum operam suam conferant, seu unanimi studio finem illum prosequantur; *et per omnia*, καὶ διὰ πάντων, graeci explicant de providentia, προνοῶν, διοικῶν (*Chrys.*), διὰ πάντων χωρῶν τῇ προνοίᾳ καὶ διοικήσει (*Thph. Oec. Euth.*), διὰ πάντων ἡμῶν τὴν οἰκείαν ἐπιδεικνύμενος πρόνοιαν (*ThdM.*). In commentairo legit *Hier. per omnes*, et haec lectio erit assumenda. Nam in hoc contextu non agitur de mundo generatim seu de universitate rerum (uti Rom. 11,36. 1 Cor. 8,6), sed agitur de solis fidelibus et de causis et modis quibus hi in unitate spiritus servandi sint. Quare sicut *super omnes*, ita consequenter *per omnes* legitur (*Cai.*), idque confirmatur lectione ἐν πᾶσιν ἡμῖν, ὑμῖν, vulg. in omnibus nobis. Deus itaque unus *per omnes* operatur, omnibus utitur ad sua consilia exsequenda, omnium ope res administrat pro sua providentia; *et in omnibus* (*nobis*) inhabitat, non solum per omnipraesentiam,

sed peculiari ratione quasi in suo habitaculo (2,22), in templo suo (1 Cor. 6,19); vos estis templum Dei vivi (2 Cor. 6,16), Spiritus Dei inhabitat in vobis (Rom. 8,11. 1 Cor. 3,16. 2 Tim. 1,14). Hisce traduntur documenta, secundum quae unusquisque de se et de aliis iudicia ferre et aestimare debebit. Deus autem gubernator supremus omnium, per omnes operans et in omnibus inhabitans firmissimum nobis exhibet argumentum, quantopere velit omnes in unitate spiritus continere et complecti.

Mysterium Trinitatis hic exprimi aliqui opinati sunt; v. g. *Dam.* proprietates, τὰ ἰδιώματα, Trinitatis in uno Deo praedicavit. Ita in v. 4 πνεῦμα, v. 5 κύριος, v. 6 Θεός πατήρ. At non est certum in v. 4 agi de Spiritu sancto. Tria illa in v. 6 ad personas Trinitatis referre pluribus placuit. Eius rei meminit *Hier.* : « quidam hoc quod est scriptum : *super omnes et per omnes et in omnibus* ad Patrem et Filium et Spiritum sanctum sic aestimant esse referendum, ut *super omnia* Pater sit quia est auctor omnium; *per omnes* Filius, quia per Filium creata sunt omnia; *in omnibus* Spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur et templum sumus Spiritus sancti ». Et *Thom.* « primum appropriatur Patri qui est fontale principium divinitatis et omnes creaturas excellit; secundum Filio qui est sapientia attingens a fine usque ad finem fortiter (Sap. 8,1); tertium vero Spiritui sancto, qui replet orbem terrarum » (Sap. 1,7); cf. *Iust. Est. Nat. Lap.* et aliqui recentiores (apud *Hpt.*).

In textu autem tria haec ad Deum Patrem omnium unice referuntur ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ, etc. unde pro tali appropriatione in ipso modo loquendi nullum habetur vestigium.

Huic unitati spiritus non obstat varietas et diversitas donorum ; imo ex hac ipsa varietate exsurgit denique illud corpus omni ex parte perfectum, cuius caput est Christus ; ipsa enim notione corporis postulatur varietas et diversitas, quae simul cum unitate corporis necessario consistit. Hoc argumentum declaratur in sequenti parte v. 7-16.

Exposuit apostolus, quae sint fidelibus communia ad unitatem spiritus creandam et fovendam (v. 2-6). Verum ex communibus istis non omnes eandem partem accipiunt: v. 7 *unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* ἡ χάρις gratia scil. determinata, unicuique proprie data; haec determinatur, prout Christus mensuram doni τῆς δωρεᾶς singulis attribuit. Christus itaque est auctor diversitatis donorum, mensurae donorum maioris vel minoris. Unde ex duplici capite haec diversitas non potest esse obstaculum unitatis spiritus apud fideles (dummodo vocationem suam recte intellexerint) : nam Christus Dominus eam statuit diversitatem ; ille ipse scil. qui illam unitatem maxime vult et promovet (v. 5) ; quis noscens Christum non toto corde approbabit ? donum est, beneficium est summa libertate et liberalitate collatum ! num illi iure suo tale donum exigere possunt? Responsio sat

ampla habetur in eorum conditione pristina 2,1-3,11-13. Quia in v. 11 solum mentio fit de aliquibus muneribus a Christo datis, dubitatum est, num *unicuique* de singulis fidelibus accipi possit. At attendi oportet munera illa commemorari in universum ad omnium consummationem, ad aedificationem corporis Christi (v. 12) et insuper v. 16 explicite iterum sermonem fieri de unoquoque ; proin revera spectari profectum et gratiam uniuscuiusque.

Huic distributioni et donationi congruit sacrum quoddam effatum in psalmis v. 8 *propter quod dicit* διὸ λέγει, ita verba scripturae afferre solet (cf Rom. 15,10. 2 Cor. 6,2. Gal. 3,16 Hebr. 1,7) : suppleri potest ἡ γραφή (Rom. 4,3 τί ἡ γραφὴ λέγει ; 9,17 ; 10,11 ; 11,2. Gal. 3,8. 23, 1 Tim. 5,18, uti hisce in locis ponitur) , *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, cf. Ps. 67,19; fit allocutio ad Deum, qui tamquam triumphator captis hostibus redit ad sanctuarium suum in monte Sion ; quinam sint captivi, indicatur in eodem loco : « etenim non credentes inhabitare Dominum Deum » ; (videtur fieri allusio ad narrationem expugnationis arcis Sion, ante quam Iebusaei dixerant : non ingredietur David huc 2 Sam. 5,6), hos victos accepit Iahve tamquam praemium victoriae : *accepisti dona* quae dona consistebant *in hominibus*. Iebusaei igitur victi fiebant subditi Iahve tamquam donaria. Hac vero subiectione qua simul aliquo modo ad populum Dei aggregat sunt, ipsis victis beneficia seu dona collata sunt. Unde ex sententia : accepisti dona in homines (dona i. e. homines) sequitur veluti pars correspondens : ipsa hac acceptione iis collata sunt dona.

Apostolus praesertim duo mutat in textu : ponit tertiam personam, id quod nullius momenti est, et ponit pro accepisti dona : *dedit dona hominibus*, quae verba ad sententiam in v. 7 expressam plene congruunt. Sed simul apparet haec verba satis recedere a verbis psalmi. Quomodo id erit explicandum ? Varia sunt proposita. Textus quem refert apostolus videtur esse explicatio traditionalis eius loci apud Iudaeos. Nam in paraphrasi aramaica eius loci revera legitur יהבתא dedisti eis dona filiis hominum, et eodem modo vertit syrus : dedisti dona hominibus. Quomodo fortasse perveniri potuerit ad talem versionem, supra dictum est. Alii ex ipso usu vocis לקח textum apostoli explicari posse censent; existimant לקח ita saepe adhiberi, ut ipsa notio accipiendi seu sumendi transeat in significationem dandi quem sensum praegnantem appellare solent. Huic explanationi calculum adiiciunt *Lap. Est. Nat. Bels. Henle* ; et revera in compluribus locis ita adhibetur vox hebraea, ut si sensum spectaveris vertere possis dare ; ita 3 Reg. 17,10 revera vertit *Hier.* : da mihi paululum aquae in vase, ut bibam, et v. 11 affer mihi buccellam panis, ubi in utroque loco verbum legitur לקח ; simile habes Gen. 15,3 sume mihi

vaccam, 18,5 ponam buccellam panis, 27,9 affer mihi duos hoedos optimos ; 27,13 affer quae dixi ; 48,9 adduc eos ad me ; Ex. 25,2 loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias; 27, 20 praecipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum etc. In omnibus istis locis sumere, ponere, afferre, adducere, tollere ponitur pro uno illo hebraeo verbo et ubique poteris salvo sensu *dare* substituere. Similiter dicit *Chrys* : propheta quidem in psalmo dixit : ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις, αὐτὸς δέ φησιν ἔδωκε δόματα· τοῦτο ταὐτόν ἐστιν ἐκείνῳ, hoc idem est cum illo. — Alia quae proposita sunt , sine ullo damno omitti possunt.

Solum quod habet *S. Augustinus*, non videtur praetereundum ; scribit enim : « hoc autem in Psalmo ita legitur : accepisti dona in hominibus. Sic enim plures codices habent et maxime graeci et ex hebraeo sic interpretatum habemus. Dona itaque dixit apostolus, quemadmodum propheta, non donum. Sed cum propheta dixisset *accepisti dona in hominibus*, apostolus maluit dicere *dedit dona hominibus*, ut ex utroque scil. verbo, uno prophetico, apostolico altero, quia in utroque est divini sermonis auctoritas, sensus plenissimus redderetur. Utrumque enim verum est et quia dedit hominibus et quia accepit in hominibus. Dedit hominibus tamquam caput membris suis, accepit in hominibus idem ipse utique membris suis, propter quae membra sua clamavit de coelo: Saule, Saule, quid me persequeris (Act. 9,4) ? Ipse ergo Christus et dedit de coelo et accepit in terra » (de Trinitate, 15,19,34; *M.* 42,1084). Videtur igitur argumentatio esse talis : ut Deus seu Christus accipiat dona in hominibus (dona quae consistant in hominibus, quae sint scil. homines) opus est ut antea dederit dona ; ergo qui dicit accepisti dona, necessario supponendum asserit : dedisti dona; id quod de Deo vel Christo certe locum habet et valet.

Christus autem ascensum assecutus est post descensum[1], i. e. exaltatus est postquam se humiliavit (cf. Phil. 2,8-11) v. 9 *quod autem ascendit* τὸ δὲ ἀνέβη illud autem ascendit, quid est, *nisi quia et descendit* (*primum* in multis non legitur) *in inferiores partes terrae*, graeci *Ephr. Hier. Iust. Lap.* vident hisce expressum illud : descendit ad inferos ; verum iure negatur ab aliis eiusmodi requiri explanationem. In oppositione ad ascensum in coelum opponitur descensus in regionem quandam inferiorem, in terram, quae est revera coelo multo inferior. Unde intelligitur descensus in terram per incarnationem (quam acceptionem *Thom.* admittit); pro hac explanatione, ait *Est.* « facere videtur consequentia quam apostolus indicat, huiusmodi : Christus ascendit in coelum, ergo prius descendit in inferiores partes terrae ; quae consequentia promptior est, si terram absolute intelligas, quam si aliud ; nam ascensio Christi a terra in coelum intelligitur ». Eo modo recentiores quoque intelligunt (*Bels. Henle, Hpt. Ew.*). Et certe haec acceptio ipsis verbis commendatur.

1. Vult autem dicere quoniam non ascenderat, nisi primum in illo divina aliqua exstitisset natura quae etiam et super coelos erat (ita *ThdM.* l. c.). Ad *descendit* cf. Phil. 2,6.

Nam ex iis solum apparet, in notione ascensus seu ἀνέβη (ascendit) contineri notionem anterioris descensus ὅτι καὶ κατέβη, nequaquam autem continetur notio descensus in profundissimam abyssum. Quare iuremerito genitivus *terrae* τῆς γῆς explicatur genitivus appositionis (*Cai.*) : in inferiores partes quae sunt, ratione habita ascensus in coelum, terra. Bene dicit *ThdM.* : inferiores partes ipsam terram nominat in comparatione coeli (*Swete* I p. 167) ; infima pars mundi est terra (*Cai*).

Uti verba iacent, possunt inferiores partes terrae utique intelligi de regionibus quae sunt infra terram (ut sit genitivus partitivus), vel ut τῆς γῆς sit genitivus comparativus, de regionibus quae sunt inferiores quam terra. Verum est etiam in Scriptura saepius inferum, scheol et coelum opponi : pete tibi signum in profundum inferni, sive in excelsum supra (Is. 7,11) ; non elevabuntur in altitudine, traditi sunt in lacum, in terram ultimam (Ez. 31, 14) si ascendero in coelum, tu illic es ; si descendero in infernum, ades (Ps, 138,8. Am. 9,2) ; qui dicebas in corde tuo : in coelum conscendam, verumtamen ad infernum detraheris (Is. 14,13-15 ; cf. Matth. 11,23). Praeterea frequenter locutiones occurrunt similes, quibus inferus, scheol designatur : introibunt in inferiora terrae (Ps. 62,10), collocavero te in terra novissima (Ez. 26,20 ; 32,18.24) in terram infimam, ultimam (Ez. 31,16.18). At hisce tamen non conficitur in nostro loco sermonem fieri de infero, de scheol. Nam qui hoc contendit, debebit ostendere, quomodo apostolus ex ascensu in altum necessario deduxerit Christum in inferum debuisse descendere. Si autem talis pro Christo necessitas ipsa illa oppositione non sequitur, iam nulla causa reperitur, cur verba illa ad infernum referantur. Porro ex descensu meruit Christus exaltationem ; iam in ipsa incarnatione, in vita Iesu terrena, in opere redemptionis habetur descensus, humiliatio — neutiquam autem in descensu animae Christi beatae in limbum, ut sanctis illis ibi eousque detentis donaret visionem Dei beatificam. Unde ea acceptio ipso contextu excluditur.

Verba psalmi *captivam duxit captivitatem* apostolus recitat quidem, at nullo modo ea respicit. Tota eius argumentatio nititur in *ascendit* et *dedit dona hominibus* ; hisce probatum est quod in v. 7 dicitur. Interpretes tamen etiam horum verborum applicationem ad Christum quaerunt. Duae explicationes proponuntur. Una est illa ab *Hier.* adoptata : Christus nos liberavit à captivitate daemonis veteri, et nova captivitate nos duxit in coelum ; eaque varie proponitur vel solum de animabus in limbo detentis quas Christus secum duxerit in coelum, vel generatim de fidelibus, quos Christus in suam redigit potestatem, a captivitate erroris et daemonis liberavit, suos reddidit captivos (ita iam *Iustinus*, dial. c. Tryph. 39, *Theod. ThdM. Dam. Ambrst. Oec. Thom. Euth. Cai. Est Iust*).

Altera est eorum, qui dicunt ductum esse captivum diabolum, mortem, peccatum, maledictum (*Chrys. Henle, Bels.*), quam explicationem *Est.* iam ex eo non admittit, quia satanas captus et alligatus est non proprie per ascensionem Christi sed per crucem quae praecesserat. Quomodo autem *Bels.* hos captivos satanam, malos angelos, peccatum, mortem dicat a Christo esse adductos in coelum (in den Himmel mitgebracht), ego quidem non intelligo. Alii contenti sunt proponentes utramque explicationem (*Lap. Nat.*). Sed cum apostolus haec verba in applicatione ad Christum nullatenus tangat, etiam interpres epistolae impune ea omittere poterit. Attende tamen eandem hypostasin, eandem personam divinam dici descendisse et ascendisse (*Cai.*).

Cum emphasi effert apostolus v. 10 *qui descendit ipse est et qui ascendit super omnes coelos;* ex illa humilitate in vita terrena consecutus est exaltationem summam super omnem creaturam, ita ut eius gloria et sublimitas nulla re creata possit satis exprimi. Hoc indicatur dictione *super omnes coelos*, quae locutio explicatur ex locis Scripturae de coelis coelorum (Deut. 10,14. 3 Reg. 8,27 coeli coelorum te capere non possunt. 2 Par. 2,6; 6,18. Ps. 67,34; 148,4. Eccli. 16,18); cf. Hebr. 4,14 qui penetravit coelos, διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς, et recole 2 Cor. 12,2 scio hominem raptum usque ad tertium coelum. Haec autem exaltatio ei collata est in eum etiam finem, *ut impleret omnia*, ut dominatione sua et donis suis terram et coelum impleret, ut impleret omnia, secundum quod capere poterant; cf. 1,23. Omnia, orbis terrarum, totum genus humanum vacua erant donis ac gratiis Dei; omnia indigebant plenitudine Christi, de cuius plenitudine nos omnes accepimus (Ioan. 1,16). Loquitur enim apostolus, ut *Est.* ait, de Christo quasi de rege qui totius regni sui possessionem capit et potentia dominationis replet omnia; « descendit et ascendit, ut impleret omnia sua tum potentia, tum maiestate, victoria, gloria, triumpho, possessione, regno, imperio et quasi inauguratione » (*Lap*).

Ex interpretationibus recentiorum aliqua restant notanda. Plane singularem explicationem *Ew.* proponit; in v. 7. 8 cernit obiectionem quam apostolus ex mente aliorum sibi format, fere simili modo, sicut *Chrys.* scribit: τί οὖν, φησί; πόθεν τὰ χαρίσματα διάφορα; dein monet verba psalmi non allegari, ac si praecipuum momentum poneretur in: dedit dona hominibus, imo hanc partem nullatenus premi; contra maxime efferri et unice ab apostolo explicari ἀναβὰς εἰς ὕψος. Nam apostolum ob oculos habere non solum diversitatem donorum, sed distributionem *ad arbitrium* factam, id quod in ipsa notione donationis contineatur. Iam ἀναβὰς εἰς ὕψος est ille exaltatus post humiliationem, exaltatus longe super limites torrenos, qui pro libitu agere potest — quare nemo quaerere potest: quo iure diversa donet; et eum simul recte ita egisse, explicatur in v. 12 πρὸς καταρτισμὸν τ. ἁγίων. Quae explicatio mihi videtur subtilior. Notio illa « ad libitum, pro mero arbitrio » in significatione doni per se non inest; qui donat,

optimas potest habere rationes pro tali distributione et qui rationabiliter agere vult, non pro mero arbitrio donabit. Neque in v. 7. 8 cernitur talis sententiae conformatio, qua obiectio seu contradictio significetur.

In v. 9 arguit apostolus, uti videtur, ex re plane obvia : qui dicitur ascendisse, erat antea in parte quadam inferiore. At *Abbott* opinatur illud καὶ κατέβη *quia et descendit*, insinuare quiddam quod post ἀνέβη secutum sit; scil. Christum post ascensionem descendisse, et in isto descensu dedisse dona ; ita *Soden* quoque; provocatur ad 2,17 et 3,17 et ad Ioan. 14,23 et 16,22. Verum istis locis minime sequitur Christum debere post corporalem ascensionem iterum eodem modo corporaliter descendere in terram; veniet iterum sed ad iudicium (cf. Act. 1,11) et hunc unum adventum, παρουσίαν, apostolus ceteroquin novit ; ergo non est ei imputanda sententia, ac si ad dona danda deberet descendere in terram.

Christum descendisse in inferiores partes i. e. in orcum, infernum, aliqui probare volunt ex eo, quia clades potestatibus abyssi illata fuerit quasi conditio praevia pro eius exaltatione. Sed haec sententia non congruit iis quae in textu epistolae deprehendimus. Potestates illae in hac epistola versantur in aere (2,2; 6,12) et si apostolus talem victoriam voluisset declarare, argumentum proposuisset ex verbis psalmi, quae recitat quidem, at nullatenus in sua expositione tangit : captivam duxit captivitatem.

Iam exponitur accuratius, quid ex hac plenitudine ecclesiae suae ad profectum ecclesiae totius atque singulorum contulerit et continuo largiatur (v. 11-16); et primo quidem providit qui docerent et regerent v. 11 *et ipse dedit quosdam quidem apostolos*, quos in vita sua terrestri elegerat, his misit Spiritum sanctum « docendo eos et aliis gratiae muneribus cumulando, impellendo eos ad munus apostolicum exsequendum » (*Est.*). Merito ponuntur ubique apostoli primo loco, qui electi erant rectores ecclesiae et praecipua potestate praediti prae aliis, *quosdam autem prophetas*, quorum munus indicatur 1 Cor. 12,10.28; 14,3 propheta loquitur ad aedificationem et exhortationem et consolationem ; 14,24.25.29; Rom. 12,6; erant prophetae in Ierusalem Act. 11,27, Antiochiae 13,1 ; 15,32; Caesareae Act. 21,9,10; prophetia peculiare donum assignatur Spiritus sancti ; prophetae itaque docebant singulari impulsu Spiritus sancti scientia potius infusa quam acquisita. Ipse Christus promiserat prophetas a se missum iri : ecce, ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas (Matth. 23,34); *alios vero evangelistas*, praedicatores nuntii messiani, doctrinae Christi, qualis erat Philippus, qui edocuit eunuchum Act. 8,29-38 et pertransiens evangelizabat civitatibus Act. 8,40; 21,8; etiam Timotheus iubetur opus facere evangelistae (2 Tim. 4,5); *alios autem pastores et doctores*, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, in uno membro ponuntur duo nomina ; « qui pastor est, esse debet et magister; nec in ecclesia quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit » (*Hier.*) ; pascere idem est ac regere, dirigere, gubernare, ad quod utique necesse est et nosse doctrinam Christi et

docere subditos; de notione pascendi vide 2 Reg. 5,2 tu pasces populum meum Israel; 1 Par. 11,2; 17,6. Ez. 34,2 et Act. 20,28 (ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν, vulg. regere ecclesiam); et 1 Tim. 3,2 oportet episcopum esse doctorem, διδακτικόν, i. e. uti explicatur Tit. 1,9: ut potens sit exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere.

Haec autem munera et officia apostolorum, prophetarum et ceterorum totidem sunt dona quae unicuique ex donatione Christi (v. 7) conferuntur. Sunt enim illa instituta v. 12 *ad consummationem sanctorum* πρὸς τὸν καταρτισμόν, ad instructionem (*Hier.* in versione; in commentario: ad perfectionem), potius ad aptitudinem, praeparationem fidelium, cf. Rom. 9,22, scil. ut fideles reddantur apti seu praeparati et compositi εἰς ἔργον διακονίας *in opus ministerii*, ad quamcumque ministrationem quae singulis obtingat. Nam secundum apostolum variae sunt ministrationes διαιρέσεις διακονιῶν, in Dei servitio suas quisque partes habet, quas in societate religiosa explere debet. Ut ad haec officia hominis christiani rite obeunda instruatur et aptus reddatur, Christus illa instituit munera. Ex hac institutione et directione singulorum exsistit et efficitur ulterior terminus, ad quem munera illa ordinata sunt: *in aedificationem corporis Christi* i. e. ecclesiae (1,23), ut ecclesia ceu aedificium spirituale Christi paulatim assurgat numeroque et virtutibus proficiat (*Lap.*). Nam, ut *ThdM.* dicit: haec donationum est differentia, ita ut alii quidem ista, alii vero illa percipiant ad commune incrementum dominici corporis (*Swete* l. c. p. 168).

Alii in v. 12 tria membra distincte exhibent; et quidem ita, ut εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν referatur ad *dedit quosdam* et πρὸς καταρτισμόν ulteriorem finem et terminum, perfectionem fidelium, exprimat. Eo modo iam *Est.* rem proponit, Christum dedisse apostolos, ut diligenter incumbant in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, in spiritualem profectum ecclesiae; idque totum ad hunc finem, ut universa fidelium societas perfecta reddatur; primum ergo esse opus ministerii, cuius effectus sit aedificatio, quam denique consequatur consummatio. Similiter *Bels. Henle* explicant. Sed tunc miraberis collocationem. Nam primo loco erat ponendum εἰς ἔργον διακονίας et tum quae ordine consequuntur; insuper attendatur oportet καταρτισμόν non statim designare perfectionem, sed potius aptitudinem, apparationem et notionem hanc quae non est absoluta bene suppleri addito εἰς τὸ ἔργον, dein διακονία sensu latiore apte sumitur de ministratione seu obsequio, quod fidelibus omnibus praestandum incumbit. Praeterea apparet ex v. 15.16 aedificationem corporis Christi fieri debere per singulos pro sua quisque parte; quare etiam in v. 12 non debet referri immediate ad *dedit* v. 11, sed est quasi ultimus terminus qui tandem attingendus est, postquam singuli

ad sua officia implenda adaptati sunt per eos quos Christus *dedit* v. 11. Ad notionem καταρτισμός cf. Matth. 4,21. Marc. 1,19 (componentes retia); Luc. 6,40; 1 Cor. 1,10; 2 Cor. 13,11; Hebr. 13,11 (aptet vos, vulg.); 1 Petr. 5,10 (perficiet, vulg.). Bene ait *Dam.* qui dona acceperunt εἰς τὸ κοινὸν ministrant ad praeparandum perfectionem.

In locutione aedificationis corporis Christi duae imagines diversae coniunguntur; habes scil. notiones inter se iunctas quae 1,23, et 2,22 exprimuntur. Huic autem aedificationi et toti negotio in v. 12 assignato sedulo insistendum est v. 13 *donec occurramus omnes* καταντήσωμεν, donec perveniamus omnes, et meta ad quam devenire oportet, declaratur : *in unitatem fidei et agnitionis* ἐπιγνώσεως cognitionis perfectae *Filii Dei* scil. ut omnes unum sint possidentes eandem fidem et cognitionem bene excultam de Filio Dei, eius persona, habitudine ad Patrem, de eius opere, eius doctrina; cf. v. 5; ostenditur itaque quomodo dona illa varia quae Christus contulit (v. 8-11), ad id convergant atque id efficiant, quod in v. 3 petierat, scil. ut omnes in unitate spiritus consistant et conserventur, ut continuo crescentes in fide et cognitione unum sint eadem mente eademque doctrina et intelligentia imbuti ac praediti. Perperam aliqui explicant unitatem *inter* fidem *et* cognitionem, scil. ut efficiatur consensus internus inter fidem et cognitionem (*Olshausen*, *Ew.*). Verum in hac epistola et hoc loco ubique agitur de unitate fidelium, quatenus eadem bona possident (cf. *Henle*).

Ad quam metam perveniendum sit, porro declaratur ita, ut οἱ πάντες in unum coetum collecti considerentur tamquam una persona moralis, quae fide et cognitione crescere debeat ac perfici *in virum perfectum*, qui virili robore et constantia, intelligentia matura perfectus est in fide et cognitione, et qui demum pervenire debeat, vel potius utpote vir perfectus iam devenit *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*, in eam aetatem cui competit plenitudo illa, cuius auctor et largitor est Christus, de cuius plenitudine omnes accepimus. Commendatur itaque studium continuum tendendi in aetatem viri perfecti, crescendi in cognitione Christi et cooperando gratiae se reddendi aptum ad accipiendam illam plenitudinem quam Christus singulis dare exoptat. Apostolus ita loquitur, ut et singulorum profectum ob oculos habeat (*occurramus omnes*), et totius ecclesiae incrementum et progressum spectet (εἰς ἄνδρα τέλειον). Simili modo locutum est Concilium vaticanum : crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia (cap. 4 de fide et ratione). Ea igitur aetas attingatur oportet vel saltem ad eam aetatem connitendum est, in qua plenitudo Christi quam maxime tum in sin-

gulis tum in ecclesia habeatur; eius autem plenitudo continetur in perfecta similitudine eius, in plena exhibitione et impletione omnium praeceptorum ac consiliorum eius, ut eius imago reluceat tam in singulis quam in ecclesia quam perfectissime secundum indolem ac conditionem cuiusque status. Breviter rem declarat *Ephr.* : imitatores simus Christi, ut perficiatur per eum mensura aetatis interni hominis nostri.

Alii quandoque explicant τοῦ πληρώματος arcte iungentes ad ἡλικίας per modum adiectivi : in mensuram plenae ac perfectae aetatis Christi (*Est. Lap.*), perfecta aetas, seu plena maturitas (*Ew.*); Christi autem aetas plena intelligitur vel ea aetas quam in corpore suo mystico habet (*Est.*), vel talis aetas perfecta quae valeat apud Christum i. e. perfectio homine christiano digna (*Ew.*). Si τοῦ πληρώματος refertur ad ἡλικίας, haec ultima acceptio posset admitti. Verum haec coniunctio adiectiva ipsa non videtur posse probari ; nam πλήρωμα saepius arcte cum Christo componitur, uti 1,23 ; Rom. 15,29 ; Col. 1,19 ; 2,9 ; Ioan. 1,16 ; quare non est consultum hoc loco notiones has separare quae alias iunctae apparent. Neque *Christi*, seu *plenitudinis Christi* licet intelligere hoc nostro loco de corpore Christi mystico. Nam oriretur sensus plane ineptus : coetum christianum seu ecclesiam debere pervenire ad aetatem coetus christiani seu ecclesiae ; saltem requireretur accuratior quaedam determinatio : ad aetatem seu perfectionem quam exigat Christus, vel similiter. At multo meliorem sensum praebent verba, uti iacent : ad eam aetatis mensuram perveniendum est, qua Christi cognitio ac gratia in nobis perfecte adoleverit, vel ad eam aetatem, quae Christi plena est eiusque divinis muneribus omni ex parte cumulata (*Iust.*). Aetas itaque postulatur ita perfecta, ut sit Christi plena.

Verum quando hoc erit? Certum est nos ab apostolo non amandari ad saeculum futurum et alteram vitam, sed ab eo describi quid hisce in terris nobis praestandum sit, uti toto contextu 4,1-16 apparet. Aeque certum est, plenam ac perfectam cognitionem Christi et plenam participationem omnium bonorum Christi non esse huius vitae terrestris, sed reservari vitae coelesti. At id proprie nostro textu non tangitur. Neque docetur nostro textu, quod aliquibus placuit, omnes electos in aetate ac statura virili resurrecturos, scil. in mensura plenae aetatis Christi, exemplaris nostri, qui pervenerit ad aetatem plenam virilem triginta trium annorum. Cuius sententiae mentionem faciunt *Hieronymus* in epitaphio Paulae n. 24, *Augustinus* in Civ. Dei 22, 15 (*M.* 22,902; 41,777). *Thom. Est. Lap.* etc.

Ad quid autem tendat illa mensura donationis Christi, unicuique attributa v. 7 et a v. 11-13 explicatius proposita, declaratur in v. 14 ex parte eorum quae auferenda sunt, et v. 15-16 constructione utique mutata (iam non cum ἵνα coniuncta) ex iis quae praestanda sunt et revera efficienda. Negativus finis assignatur v. 14 *ut iam non simus parvuli*, conditionem subindicat pristinam, ex qua Christi donatione erepti sunt: erant parvuli, non habentes veram cognitionem, rudes, indocti in rebus divinis ; imo puerulorum modo facillime obnoxii omnis generis deceptioni sine ulla stabilitate, *fluctuantes*, fluctibus agitati et in omnem partem iactati, neve *circumferamur omni vento doctrinae*, ne simus circumacti in diversas opinionum partes, ne quovis impulsu, quavis assertione seu

suasione nos abripi sinamus instabiles. Ad unitatem spiritus quam pro fidelibus efflagitat, quam maxime pertinet una et vera doctrina, cuius doctrinae partes quasdam praecipuas posuit apostolus v. 5.6; iam ut haec doctrina rite servetur et ab omni falsitate et errore immunis maneat, dedit Christus v. 11 doctores veritatis, et puritas doctrinae ab iis conservanda est et tuenda, quod est primum ad aedificationem corporis Christi. Comparationibus illis fluctuum, ventorum apostolus perstringit instabilitatem, mutabilitatem, inconstantiam, varietatem opinationum et philosophorum et pseudodoctorum. Etiam hic descriptio apostoli est omnino generalis; certos quosdam errores non videtur ob oculos habere quos v. g. alibi notat (Col. 2,8-23. Phil. 3,2).

Quomodo fiat, ut tanquam νήπιοι omni vento doctrinae sint expositi, declaratur *in nequitia hominum* ἐν τῇ κυβείᾳ in ludo talario; qui talis seu tesseris ludunt, modo hos modo alios numeros iactando habebunt, in quo ludo facile fraus ac deceptio quoque adhibetur *in astutia* ἐν πανουργίᾳ: hisce designatur varietas et multiplicitas errorum, simul inconstantia doctrinarum, sicut in luso talario; et cum hac diversitate doctrinarum coniungitur, uti fere in illo ludo, fallacia hominum et fraus et pessima calliditas, qua utuntur *ad circumventionem erroris*, ut illos incautos, νηπίους, errore concludant et circumveniant, πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, agunt in astutia ad eum scil. finem, ut artificio quodam et consilio errorem introducant, vel efficiant, breviter : ad effectionem (artificium) aberrationis. Una est veritas, simplex et sincera; error autem multiplex, instabilis, mutabilis, fraudulentus; at speciem artis, scientiae appetens. Hisce bene delineat apostolus eos qui falsas doctrinas in vulgus spargere solent. Unusquisque pseudodoctor quidem pro se et sua doctrina νηπίους attrahere vult; illud autem περιφερόμενοι varietate et multiplicitate doctrinarum enascitur.

Disceptatur, ad quid referendum sit v. 14 ἵνα tamquam particula finalis, nam ut particula finalis non videtur posse adiungi ad v. 13; vix enim quisquam venit ad aetatem virilem eo fine, ut iam non sit parvulus. Sensus planus evadit, si ἵνα volueris explicare : ita ut; quae explicatio etiam ex usu apud apostolum v. g. 2 Cor. 1,17; 1 Thess. 5,4 etc. admitti potest. Difficile videtur ut (quod sensu obvio omnino exigitur) referatur ad v. 11.12, interposito v. 13. Tentata est traiectio versuum, scil. ut v. 13 ponatur post v. 15; quae tamen est violenta et videtur insuper excludi eo quod certe νήπιοι in v. 14 dicúntur ratione habita dictionis εἰς ἄνδρα τέλειον et in oppositione ad eum. Censet *Ew.* debere ἵνα solum adiungi ad εἰς μέτρον etc. et eo quidem modo, ut ἵνα positum intelligatur loco infinitivi (cf. 1 Cor. 4,3 mihi autem pro minimo est, *ut* a vobis iudicer; 9,18 et ita saepe apud Ioan. cf. *Blass* § 69,5). Idem arcte adiungit ad νήπιοι et non ad duo participia ἐν τῇ κυβείᾳ etc. ne simus tamquam inexperti parvuli in medio lusus tesserarum, qui lusus ἐν πανουργίᾳ accuratius determinatur tamquam fraudulentus, et tota haec fraus dirigitur πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, quae sententiarum coniunctio facilis est.

Tali vero aberrationi remedium attulit Christus largitione donorum; nobis ergo incumbit, ut illo remedio utamur v. 15 *veritatem facientes*, ἀληθεύοντες δὲ veritatem loquentes, veritatem sectantes, quam tradunt nobis doctores a Christo constituti; veram itaque doctrinam professi et amplexi, et ita tuti contra circumventionem erroris. Primum itaque ad aedificationem corporis Christi est consistere in veritate, in vera doctrina (cf. 1,13; 5,9). Luce veritatis huius illuminati et ducti *in caritate crescamus in illo per omnia*, ἐν ἀγάπῃ ita erit iungendum, sicuti eodem modo iungitur in v. 16; ceteroquin posset cum ἀληθεύοντες oppositionem edicere ad ἐν πανουργίᾳ; at ex v. 16 alterum potius suadetur et insuper ex 3,19 maxime nobis commendata est caritas Christi in nos, unde consequens est, ut nostra in eum caritate feramur, et in hac caritate *crescamus* εἰς αὐτὸν, adolescamus versus ipsum, augmentum faciamus in nostra habitudine ad eum, et id quidem τὰ πάντα *per omnia*, omni modo et omnibus in rebus et conditionibus. Quod itaque ex Christi donatione a nobis praestandum est, in eo consistit, ut vera doctrina illustrati in dies magis enitamur caritate et omni modo augeri in nostra cum Christo unione, ut affectu, mente atque animo magis cum eo uniamur; haec enim coniunctio spiritualis continuo crescente caritate augetur.

Crescimus igitur ope caritatis versus Christum, caritate magis in dies ei iungimur; et tale incrementum iuremerito a nobis exigit is *qui est caput Christus*, et in ipsa ratione et dignitate capitis continetur et causa et incitamentum, ut ad maiorem cum eo coniunctionem aspiremus; cf. 1,22; id quod pluribus declaratur descriptione, quomodo omne incrementum et totius ecclesiae profectus ac progressus ab uno illo capite, a Christo, necessario dependeat v. 16; sententia praecipua est haec : *ex quo totum corpus augmentum corporis* (augmentum suum, sibi competens) *facit in aedificationem sui in caritate* i. e. totum corpus crescit ex coniunctione cum capite, ex influxu capitis; et hoc augmentum seu incrementum tendit εἰς οἰκοδομὴν in aedificationem, ut corpus istud ope caritatis, in caritate, vel per caritatem aedificetur, plene constituatur et ad suam perveniat perfectionem; cf. v. 15. Ponitur maximum momentum in caritate; ea fit aedificatio corporis et ut ope eius haec aedificatio ad perfectionem evehatur et permanenter consistat, intercedat necesse est, ut ex capite continuus habeatur influxus ad corporis incrementum efficiendum, ad vitam corporis augmento producendam. Summo in fastigio ponitur caritas, virtus theologica, qua Deus propter se et proximus propter Deum diligitur; nunc manent fides, spes, caritas; maior autem horum est caritas (1 Cor. 13,13).

Quod de toto corpore valet, pro rata parte valet de membris singulis, ex quibus illud corpus constituitur. Unde si totum corpus ex

coniunctione cum capite aedificatur ope caritatis, etiam singuli coniunctionem hanc cum capite foventes sese ope caritatis in hac sui aedificatione ulteriore exerceant oportebit. Et quaenam sint singulorum partes, etiam satis indicatur in v. 16, postquam ipsius corporis constitutio a capite effecta et dependens est descripta : *compactum et connexum* συναρμολογούμενον influxu capitis apte et concinne, modo plane conveniente corpus coniungitur et συμβιβαζόμενον et connectitur seu colligatur; *per omnem iuncturam subministrationis*, διὰ πάσης ἁφῆς, de notione ἁφή disputatur: διὰ τῆς αἰσθήσεως praebet *Chrys.*; vulg. iunctura, quae explicatio satis videtur congruere cum Col. 2,19, ubi ἁφή coniungitur cum σύνδεσμος: huic notioni etiam recentiores calculum adiiciunt (*Bels. Henle, Hpt. Etc.*) et longiore inquisitione (ex Galeno, Aristotele) eam probavit *Lightfoot* (Ep. to the Colossians, 1904, p. 196)[1]. Est itaque ἁφὴ commissura, articulus; per eiusmodi commissuras seu articulos unumquodque membrum coniungitur cum capite, habet contactum (ἁφή?) cum capite; unde influxus capitis in singula membra efficitur per istas iuncturas seu articulos.

Ista efficientia capitis in membra dicitur ἐπιχορηγία *subministratio*, auxilium, id scil. quod singulis membris praebetur a capite. Huic subministrationi inserviunt αἱ ἁφαὶ, articuli; per hos articulos singulis membris praebetur vis quaedam conveniens; quare corpus augmentum suum facit *per omnem iuncturam subministrationis*, per omnem articulum, per quem fit illa subministratio capitis, sicut *Oec.* bene explicat διὰ τῆς ἐν τῇ ἁφῇ ἐπιχορηγίας γινομένης, quare dicuntur αἱ ἁφαὶ τῆς ἐπιχορηγίας, quasi canales subministrationis. Ex hac explicatione etiam patet hanc partem non pertinere ad antecedentia, in quibus corpus in se constitutum et perfectum exhibetur, sed ad subsequentia, quibus describitur corporis huius incrementum, ad quod exigitur illa ἐπιχορηγία capitis. Haec nunc subministratio fit *secundum operationem* κατ' ἐνέργειαν, secundum efficaciam *in mensuram uniuscuiusque membri* ἐν μέτρῳ, in modo, in mensura et exigentia, prout unumquodque membrum pro sua parte et pro suo munere opus habet eiusmodi efficaciae subministratione ; graece ex plurimis testibus legitur ἑνὸς ἑκάστου μέρους uniuscuiusque partis, qua lectione sensus non mutatur. Uti fit in corpore viventi, unaquaeque pars pro sua functione accipit nutrimentum et crescit et ex omnium partium (pro rata) conspiratione totum corpus augmentum suum facit.

Eodemque modo corpus illud, cuius caput est Christus, ex capite Christo accipit ἐπιχορηγίαν competentem unicuique parti seu membro ;

1. It is quite clear from these passages of Aristotle, that αἱ ἁφαί are the joinings, the junctures. When applied to the human body they would be joints, provided that we use the word accurately of the relations between contiguous limbs; p. 197.

unde unaquaeque pars debet secundum hanc vim sibi tributam agere, operari, crescere (cf. v. 7. 12 in opus ministerii); inde totum corpus augmentum suum facit *in aedificationem sui in caritate*, crescit et tandem evadit quasi praeclarum aedificium; haec aedificatio autem fit et consurgit ope caritatis (v. 15). Prout in corpore variae sunt partes, membra diversa, sed unumquodque suam habet et peragere debet functionem, ita in corpore Christi, in ecclesia, varia sunt ministeria; sed unusquisque pro sua parte vim accipit et influxum a Christo et ei cooperari debet crescendo in caritate. Apta comparatione illustrat *Chrys.* hunc locum quem σφόδρα ἀσαφῶς propositum esse dicit : « sicut spiritus, qui descendit a cerebro, sentiendi facultatem quae est per nervos (τὸ διὰ τῶν νεύρων αἰσθητικόν) non absolute dat omnibus, sed pro convenientia et proportione (κατὰ ἀναλογίαν) uniuscuiusque membri, ... sic etiam Christus; cum enim veluti membra ei coniunctae sint animae, providentia eius et distributio (ἡ χορηγία) donorum congruenter proportioni et convenientiae in mensura incrementum facit uniuscuiusque membri. » Quod ut fieri possit, idem apposite monet : si manus sit avulsa a corpore, spiritus procedens e cerebro continuatione interrupta eam non tangit; unde, ne idem nobis contingat, colligati simus caritate oportet.

Ex explicatione data apparet, id quod dictum est 4,7 iterum assumi magisque declarari in v. 16. Ibi dicitur : unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi; hic ex Christo capite descendit ἐπιχορηγία, largitio, subministratio, quae secundum efficaciam adaptatur sive tribuitur ἐν μέτρῳ in modo seu mensura quae unicuique parti seu membro competat. Unde in utroque loco unus assignatur largitor seu donator, varietas donorum, varietas partium, sed ita ut unusquisque pro parte sibi attributa, pro officio seu munere, competentem gratiam nanciscatur. Nam, ut *Thom.* ait, a Christo est actualis membrorum operatio sive ad opus motio secundum mensuram et competentiam cuiuslibet membri. Rem satis clare proponit *Nat.* : « ex quo capite totum ecclesiae corpus, cuius partes tam mirabili proportione connexae sunt, per omnes commissuras per quas subministratur et quasi traiicitur spiritus et vita, accipit incrementum, quod illi divinum caput tribuit per efficacem virtutis suae operationem et influxum secundum mensuram unicuique membro convenientem, ut sic formetur et aedificetur per caritatem ».

Aliis placuit *per omnem iuncturam subministrationis* adnectere ad praecedentia participia (*Iust. Est. Bels. Henle, Ew.*) et διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας saepius explicatur : per subministrationem (ministerium) uniuscuiusque iuncturae, articuli : corpus connexum est seu compingitur ope singulorum articulorum. Id quidem recte concipi potest. At in ea explicatione plane non apparet vera notio τῆς ἐπιχορηγίας, nam corpus quidem continetur et cohaeret per articulos, et sensus est completus; quid porro largitio, subministratio sibi vult? iam plane abundat vel notio est evacuanda. Accedit quod κατ'ἐνέργειαν iam non habet cui apte addatur, seu unde proveniat haec efficacia; corpus enim cohaerens per articulos nihil dicit de efficacia neque de proportione seu modo efficaciae. Sed κατ'ἐνέργειαν optime adnectitur ad notionem τῆς ἐπιχορηγίας eamque supplet,

quare haec pars non ad antecedentia (ad corpus compactum et connexum, i. e. ad organismum in se constitutum), sed ad sequentia, ad huius corporis incrementum et augmentum, referri debet.

Conferre iuvat quod legitur Col. 2,19 : totum corpus per nexus (διὰ τῶν ἁφῶν) et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. En, dicunt, hic aperte διὰ ἁφῶν et subministratum ἐπιχορηγούμενον refertur ad corpus, ergo etiam in nostro loco. At id quidem ipsa collocatione evidens est pro Col. 2,19 ; at locus nequaquam est parallelus simpliciter nostrae sententiae, id quod iam patet tum ex collocatione, tum ex dictione διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, tum ex habitudine huius dictionis ad subsequentia.

Fertur alia quoque explicatio, qua *per omnem iuncturam* intelliguntur fideles singuli ; sicut per articulos (musculos, nervos) membra corporis coniungantur, ita per singulos fideles corpus mysticum ecclesiae constitui et connecti, atque uniuscuiusque fidelis operationem salutarem cedere in utilitatem totius corporis eiusque incrementum efficere (cf. *Bels. Henle*). Simili modo intelligunt *Iust. Lap.* de mutua opera quam fideles inter se praestant, « quia dum membra inter se nectuntur, mutuam sibi quodam modo operam praestant et alterum alteri non exiguam vim suppeditat » (*Iust.*) et *Lap.* litteralem prius ponit acceptionem : per omnem iuncturam subministrantem scil. spiritus animales et vitales; dein id censet esse accipiendum : i. e. per mutuam unionem, qua nobis subministratur spiritus et gratia Christi capitis nostri. Verum est tandem per fideles ecclesiam constitui corpus Christi. Hoc sine ulla difficultate intelligitur. At quomodo haec veritas obvia, ecclesiam constare non lapidibus sed fidelibus, hoc loco exprimatur *per omnem iuncturam subministrationis*, non videtur esse adeo manifestum, ut aliqui putant. Si fideles sunt αἱ ἁφαί, quid tandem sunt fideles subministrationis? quid subministrant vel quid eis subministratur? si fideles sunt αἱ ἁφαί, qui tamen erunt ii qui nominantur unumquodque membrum? Neque res admitti potest, si *per omnem iuncturam* referatur ad subsequentia. Nam non per fideles tribuitur illud κατ'ἐνέργειαν et insuper exsisteret sententia mira, per fideles unicuique pro rata parte id contingere per quod fiat incrementum et aedificatio corporis in caritate.

Oppositio inter hominem veterem et novum 4,17-24.

4,17. *Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui,* 18. *tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis ipsorum,* 19. *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis in avaritiam.* 20. *Vos autem non ita didicistis Christum,* 21. *si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu :* 22. *deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris;* 23. *renovamini autem*

4,17. Τοῦτο οὖν λέγω καὶ μαρτύρομαι ἐν κυρίῳ μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν καθὼς καὶ τὰ ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν, 18. ἐσκοτωμένοι τῇ διανοίᾳ ὄντες, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν, 19. οἵτινες ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. 20. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χριστόν, 21. εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε καὶ ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ· 22. ἀποθέσθαι ὑμᾶς κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, 23. ἀνανεοῦσθαι δὲ

spiritu mentis vestrae, 24. *et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*

τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν, 24. καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας.

In v. 19 DE απηλπικοτες, FG αφηλπικοτες, desperantes defg vulg go arm syr aeth Vict Ambrst.

Admonitione proposita, ut digne vocatione ambularent, exposuit apostolus, quae dona Christus dedisset (v. 7-13) et in quem finem ea contulisset (v. 14-16), qui finis comprehenditur verbis illis : crescamus in illum per omnia qui est caput, Christus (v. 15). Unde profecto facillime adnectitur conclusio οὖν, *igitur*, uti iam advertit *Hier.* : « hoc ergo, ait, dico vobis, vosque contestor, ut quia occursuri estis in mensuram aetatis plenitudinis Christi, non ambuletis sicut ambulant gentes »; eodem modo *Thom.* nexum cum immediate antecedentibus statuit et *Cai. Iust. Ew.*; at alii malunt regredi ad nexum habendum usque ad 4,1; ita, uti videtur, iam *Theod.* πάλιν ἀνέλαβε τῆς παραινέσεως τὸ προοίμιον, et *Est.* « redit apostolus ad inchoatam et huc usque intermissam exhortationem, qua dixerat initio capitis » et similiter *Bels. Henle, Hpt*; in modo loquendi certe reassumit 4,1; sed nexum quaerere ex 4,1 minime opus est, cum ex antecedentibus satis rationum habeatur ad admonitiones subiungendas. Cum emphasi loquitur v. 17 *hoc igitur, hoc* refertur ad subsequentia, uti 1 Cor. 7,29; 1 Thess. 4,3.14, et explicatur sequenti infinitivo μηκέτι περιπατεῖν, quo infinitivo etiam patet verba *dico* λέγω et *testificor* μαρτύρομαι, obstestor, notione iubendi efferri (cf. *Blass*, Grammatik des neutest. Gr. 72,5) *in Domino*, cf. 1,1; eiusmodi admonitiones et mandata iis fert et ferre debet ob suam cum Christo unionem et cum ea rationem et fundamentum quoque habeant *in Domino*, ab eo postulentur et ad eius obsequium pertineant, ipsa apostoli exhortatio maiorem vim assequitur; ceterum cf. 1 Thess. 4,1; 2 Thess. 3,12. 1 Cor. 1,10.

Ratio vivendi fidelium qualem dedeceat esse, prius declaratur (v. 17-19), dein qualis esse debeat (v. 20-24) exponitur in universum ex notione hominis in Christo novi. Quod vulg. habet *ut iam non ambuletis*, ex graeco continet mandatum; ambulare, uti 4,1 de tota vitae conversatione, prout saepe in sacris litteris (Gen. 5,22; 6,9; 17,1. Is. 59,9; Eccl. 11,9. Rom. 6,4; 8,1 etc.). Cum dicatur μηκέτι *iam non*, innuitur eorum conversationem antea fuisse, *sicut et gentes* etiam nunc *ambulant in vanitate sensus sui*, tota eorum sentiendi et cogitandi ratio νοῦς versatur ἐν ματαιότητι in rebus inanibus, vanis, plane inutilibus; cf. Ps. 4,3, Sap. 13,1; Rom. 1,21 ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, evanuerunt in cogitationibus suis, vacui veritate et recta aestimatione rerum, et uti apostolus pergit Rom. 1,21 et obscuratum est insipiens cor eorum, ita

hic quoque v. 18 *tenebris obscuratum habentes intellectum* ἐσκοτωμένοι τῇ διανοίᾳ ὄντες, quod *Hier.* vertit obscurati mente; in intelligentia seu cogitandi facultate erant obtenebrati, tenebris ignorantiae rerum divinarum et religiosarum et erroribus nocivis involuti; luce illa veritatis carentes simul erant *alienati a vita Dei*, a vita quae secundum Deum est (*Thom. Nat.*), a vita quam Deus praecipit (*Lap.*), a vera illa vita quam solus Deus largitur per gratiam et tandem per gloriam (*Est.*). Quod additur *per ignorantiam*, διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς, potest bene referri ad prius participium et spectat intellectum; haec ignorantia *quae est in eis* hac parte addita designatur provenire ex eorum culpa (cf. Sap. 13,1 seq. Rom. 1,19 seq.); melius vertes (*Cai.*) propter ignorantiam (sicut habet *Hier.*) et uti habetur in altero membro, quod ad vivendi modum a Deo alienum spectare videtur, *propter caecitatem cordis ipsorum*, διὰ τὴν πώρωσιν propter obdurationem, obtusionem, contumaciam cordis, facultatis sentiendi; volendi. Quo membro iterum enuntiatur διὰ τὴν ἄγνοιαν non addi excusandi causa (uti v. g. additur Act. 3,17; 17,30, 1 Petr. 1,14), sed ignorantiam ipsam potius magna ex parte ortam esse ex pessima voluntate. Secundum *Chrys.* πώρωσις oritur ἀπὸ ἀναισθησίας et *Thph.* vocem simpliciter ἀναισθησίαν, *Theod.* autem τὴν ἐσχάτην ἀναλγησίαν explicat. Interpretatio caecitatis potius pertinere videtur ad πήρωσις, πηρός caecus.

Illam autem ignorantiam et obtusionem ex eorum culpa originem duxisse, declaratur eo quod apud eos idem contigit quod Sapiens de pessimis aequalibus enuntiavit : excaecavit enim illos malitia (ἡ κακία) eorum (Sap. 2,21) unde v. 19 *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitae* οἵτινες quippe qui, qua voce ratio indicatur, quare in illam ignorantiam et obdurationem perveñerint; ad *desperantes* bene notat *Hier.* : « multo aliud in graeco significat quam in latino, ἀπηλγηκότες autem hi sunt qui postquam peccaverint non dolent; qui nequaquam sentientes ruinam suam feruntur in pronum; exprimamus, si possimus, verbum de verbo et dicamus *indolentes* sive *indolorios* ». Qui peccandi licentia et frequentia iam omnem sensum doloris, tristitiae, moeroris de peccatis exstinxerunt et abiecerunt, et ita sine ullo freno pudoris, vel ex latino abiecta omni spe emendationis, imo plane *desperantes* de ullo remedio aut auxilio emergendi ex scelere, *semetipsos tradiderunt* τῇ ἀσελγείᾳ, lasciviae, luxuriae, *in operationem immunditiae omnis* totos se dederunt ἀναίσθητοι γενόμενοι (uti Hesychius explicat) turpitudinibus omnis generis; cf. Rom. 1,24 seq. Non sine multa emphasi ponitur εἰς ἐργασίαν, omne genus impuritatis opere perficere et exsequi solliciti erant; sine ullo freno, sine ullo sensu doloris, sine ullo stimulo conscientiae sese proiiciunt in perpetrationem omnis rei turpis; ita *Chrys.* : « vides quomodo venia eos privet, dicens ἐργασίαν ἀκαθαρσίας. non casu,

inquit, lapsi peccarunt, sed gravia haec ipsa operabantur et cum sollicitudine (μελέτῃ) negotio institerant. » Simul patet ad πώρωσιν (callum obductum) melius congruere lectionem ἀπηλγηκότες, segnes facti, nolentes laborare, omni dolore vacui (cf. *Thph*).

Quod additur ἐν πλεονεξίᾳ, in avaritia (*Hier. Thom.*) *in avaritiam* vulg. veteribus iam difficile visum est; invenitur enim lectionis huius vel correctio vel emendatio καὶ πλεονεξίας, ita BEFG 39. d e f g aeth Clem. Vict. Ambrst. al. Apostolum praeter impudicitiam etiam alterius vitii gentilium mentionem facere, valde probabile est, nam saepius duo haec vitia iungit, ita mox 5,3 immundus aut avarus, ita Rom. 1,29 ; 1 Cor. 5,10. 11 ; Col. 3,5. Alii tamen veterum hoc loco vocem notione magis generali acceperunt; *Theod.* τὴν ἀμετρίαν immoderantiam explicat, item *Thph. Oec.* optionem dat : aut quod duabus se tradiderint affectionibus (πάθεσιν), aut quod lasciviam καθ' ὑπερβολὴν καὶ ἀνενδότως exercuerint, similiter *Euth*., item *Thom.* ardenter, appetitu continuo et insatiabili et eodem modo *Cai. Iust. Est. Lap. Iust.* et etiam *Chrys.* quamvis avaritiae mentionem faciat, tamen eos ἀμέτρως rebus omnibus usos esse explicat. At in ea acceptione et nimium relinquitur vera vocis notio et infertur tautologia, cum excessus et vehementia concupiscentiarum iam satis exprimatur tum in voce ἀσέλγεια tum in immunditia omni. Neque valet quod *Abbott* asserit, avaritiam non fuisse peculiare vitium gentilium; nam pharisaeos eius vitii accusari et fuisse avaros, et Christum ipsum suis dicere : cavete ab omni avaritia. Agitur enim hic de modo quo apostolus iungere solet vitia gentilium. Quare recentiores gentes accusari alterius sceleris, avaritiae, merito censent. Neque tamen eodem modo concipiunt. Nexum inter impudicitiam et avaritiam talem statuit cum aliquibus *Hpt.* ut ex impuritate quaestum facerent; at id adeo in universum dici certe nequit, neque convenire videtur ad immunditiam omnem. Nexum magis internum agnoscit *Henle* provocans ad verba Cypriani : si avaritia prostrata est, exsurgit libido (de mortalitate, ed. Hartel p. 299), esse scil. vitia inter se cognata fere sororum in modum, una matre communi quae est fruendi cupiditas ; in utroque vitio habetur inordinatus appetitus rerum temporalium. Simplicius, uti videtur, ali- explicant ἐν de conditione concomitante, ita ut eodem fere tempore, simul cum alio vitio indulgere dicantur avaritiae (*Bels. Etc.*). De tali usu ἐν vide Eph. 6,24, Col. 3,22; 4,6. 1 Thess. 2.3 etc. Similem nexum exi primit *Dam.* : avaritia dilectionem carnis (φιλοσαρκίας) necessario consequitur, quia tantumdem homines habere volunt, quantum in voluptates expendunt.

At fideles in schola Christi aliter edocti sunt (*Nat.*) v. 20 *vos autem non ita didicistis Christum* : discere Christum idipsum est, quod nosse

virtutem (*Hier.*); *non ita*: vitam et conversationem fidelium esse debere plane aliam et diversam indicatur a vita et moribus gentium; sensu valde praegnanti dicitur Christum discere, plane perspectum habere, quid Christus pro nobis sit, quid a nobis exigat, quae sit eius doctrina, quae vis et significatio eius exempli. Et quantopere oporteat fideles longissime recedere a moribus gentilium ex ipsa institutione quam receperint declaratur tamquam res plane obvia, quae nequeat ignorari v. 21 *si tamen* εἴγε cf. 3,2 *illum audistis*, non est dubitantis, sed etiam valde affirmantis (*Chrys.*); audire Christum est, ut ait *Hier.*, audire sapientiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam et cetera quibus Christus vocatur. At potest quis audire, et tamen non discere, audire doctrinam neque tamen eam amplecti et in opus deducere; unde pergitur: *et in ipso edocti estis*, institutio quae tradita est tota versabatur in una re, in Christo, ad quem singula quaeque referebantur, et edocti estis de Christo, *sicut est veritas in Iesu*, prout *in Iesu*, in homine illo in Palaestina vivente, docente, opus redemptionis peragente, *est veritas*, i. e. ita edocti estis, sicut revera *veritas* nobis apparet et proposita est in Iesu, in eius vita, exemplo, doctrina. In Iesu itaque fideles habent institutionem vitae, plane contrariam a consuetudine gentium; nam in Iesu manifestatae sunt omnes virtutes summo in gradu. Sententia itaque *sicut est veritas*, non est per modum parenthesis legenda, sed enuntiat modum quo sunt edocti et supplet illud *edocti estis* assertione veram et rectam illis traditam esse institutionem.

Iam quid eo modo edocti sint in ipso, declaratur graece tribus infinitivis: ἀποθέσθαι ὑμᾶς, ἀνανεοῦσθαι, ἐνδύσασθαι. Primum itaque didicerunt v. 22 *deponere vos*[1] potius deposuisse vos, sicuti necesse erat *secundum pristinam conversationem*, ratione habita vitae prioris omnino exigebatur ut abiiceretis, deponeretis *veterem hominem, qui* qualis sit exponitur: *corrumpitur secundum desideria erroris*, φθειρόμενον, interitui et perditioni obnoxius est et subiectus, sicuti perditionem secum fert natura et indoles concupiscentiarum κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, quae decipiunt hominem, promittunt voluptates, sed tandem gignunt ruinam. Bene efferturgraece fallacium cupiditatum deceptio genitivo qualitatis τῆς ἀπάτης, qua vetus homo seducitur. Edocti sunt se debere renuntiare conversationi peccaminosae et consuetudinibus pravis, mores improbos abiicere, quasi vestem sordidam vitae eousque actae deponere.

Quid vero in locum veteris conditionis succedere oporteat, et baptismo suscepto iam revera in ipsis effectum sit, edocentur (v. 23-24) et prius quidem edocti sunt ἀνανεοῦσθαι i. e. novum fieri in oppositione ad vetus-

1. Recte ponitur ὑμᾶς, quia immediate praecedit ἐν τῷ Ἰησοῦ. Quare ex ὑμᾶς non potest inferri cum *Abbott*, infinitivos non posse dependere ab ἐδιδάχθητε.

tum, ὅταν αὐτὸ τὸ γεγηρακὸς ἀνανεῶται ἄλλο ἐξ ἄλλου γενόμενον (*Chrys.*), si id ipsum quod consenuit novum fit, ita ut aliud ex alio fiat. Novum igitur quasi vitae initium capere oportet, quare ἀνανεοῦσθαι notionem regenerationis includit. Veterem enim statum et conditionem deposuerunt, qua depositione facta edocti sunt de innovatione et mutatione, de novo statu in quem ingressi sunt et in quo semper permanere debent; inde habetur infinitivus praesentis temporis ἀνανεοῦσθαι sensu passivo; illud autem denuo novum fieri, vel iterum novum fieri (in oppositione ad prius vitae initium, novum initium capere oportet) perficitur seu exsistit *spiritu mentis vestrae* i. e. spiritu qui menti inditur, mentem regit, determinat; mens, νοῦς, ex doctrina apostoli per se legi consentit, at ob debilitatem carnis homo legi mentis non obedit (Rom. 7,22.23); ut itaque nova in homine oriatur conditio, opus est ut huic menti iungatur πνεῦμα, altior quaedam vis, et isto spiritu qui accedit ad mentem et fit revera *spiritus mentis* et ut talis vestra quasi possessio (τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν), acquiritur et constanter habetur illud novum fieri.

Secundum locos longe plerosque apud apostolum πνεῦμα non dicitur de mente naturali, sed de altiore principio i. e. vel de Spiritu sancto, vel de animo hominis cui inditum sit spirituale principium, robur spirituale, ergo de animo gratia Dei instructo. Unde iam ex usu vocis adeo frequenti consultum est, ut etiam hic talis explicatio retineatur, quae rei veritati plane consonat; nam istud renovari in mente non aliter fit nisi spiritu, seu gratia; fit, ut Chrys. ait, τῷ πνεύματι τῷ ἐν τῷ νῷ. De Spiritu sancto vel de gratia explicant *Thom. Cai. Lap.* neque abnuit *Iust.*, alii loquuntur de renovatione interioris hominis, quae locutio tandem in eundem sensum recidit, alii de principio vitae novae, quod eundem sensum fundit, quia principium eiusmodi nihil aliud est, nisi Spiritus sanctus seu gratia. A qua acceptione non multum abesse videtur *Theod.* τὴν ὁρμὴν τοῦ νοὸς πνεῦμα εἴρηκεν, nam impetus et agitatio mentis, si ad renovationem confert, de qua apostolus loquitur, non est ex viribus hominis. Quod aliqui recentes dicunt, renovationem fieri debere ratione habita spiritus, seu in spiritu, fonte et principio vitae interioris (in Beziehung auf oder an dem Geiste), est obscurum; vel certe ipse spiritus non est renovandus. Explicationem de Spiritu sancto censet *Est.* minus recte fieri, « nam Spiritui sancto non convenit renovari, sed spiritui ac menti nostrae ». Sed quis unquam dixerit Spiritum sanctum debere renovari? Provocat *Est.* ad Augustinum (lib. 14 de Trinit. cap. 16), ubi spiritu mentis non duas res intelligendas esse docet, sed eum spiritum quae mens vocatur; unde concludit *Est.* spiritu mentis vestrae idem esse quod secundum mentem, secundum interiorem hominem. Alii proposuerunt spiritum esse quasi intimum mentis nostrae, seu intimum vitae

fontem et causam. Sed certe in ipso vigore vitali non est exspectandus reditus ad novum quoddam initium; renovatio posset solum intelligi in indole mentis, in eius cogitationibus (*Ephr.*) ac desideriis; uti intelligere videtur *Hier.*: in spiritu sensus nostri.

Solum semel πνεῦμα apud s. Paulum adhibetur notione uti videtur naturali, 1 Cor. 2,11 quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Nam quae praeterea quandoque pro ea notione afferuntur 2 Cor. 7,13; Col. 2,5; 1 Thess. 5,23 facile diluuntur et de altiore principio recte accipiuntur. Nostro autem loco eo magis explicatio supra proposita de influxu Spiritus sancti est retinenda, quia ἀνανεοῦσθαι conditionem manentem exhibet quae adest et debet durare non solum post ἀποθέσθαι, verum etiam post ἐνδύσασθαι, i. e. postquam in statum illum novum, supernaturalem, translati sunt; cf. v.24. — Quod legitur in v. 21 *in Iesu*, coniungit *Ew.* cum sequentibus: sicut est veritas; in Iesu deposuisse vos etc.; sententia per se est vera, nam ex doctrina apostoli de baptismo, in ipso baptismo vetus homo concrucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et sepulti sumus cum Christo in mortem (Rom. 6,4.6); at nulla est ratio a coniunctione eousque ab omnibus retenta discedendi. Nam non sunt edocti solum vere, neque de veritate religiosa seu ethica in communi, sed apostolus, postquam dixit: non ita didicistis Christum, consequenter efferre debet illos edoctos esse de veritate prout apparuit eisque proposita est in Iesu; ergo uti dicit discere Christum, ita etiam dicendum est docere Christum, i. e. Iesum. Unde hic nexus solus contextui respondet.

Tertium, de quo edocti sunt, est v. 24 *et induite* καὶ ἐνδύσασθαι, eos induisse *novum hominem* τὸν καινὸν ἄνθρωπον, alium, diversum a priore, alterius indolis, moris diversi (ita καινός, uti distingui solet a νέος quod opponitur veteri), et illud καινόν quod eousque non in usu erat, describitur *qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*, assignatur creatio; creatio autem, ut *Thom.* ait, est motio ex nihilo ad esse; homo peccator qui caret gratia, est quoad ordinem supernaturalem quasi nihil; nam si caritatem non habuero, nihil sum (1 Cor. 13,2); infusio gratiae est itaque quaedam creatio; quare apostolus alias loquitur de nova creatura καινὴ κτίσις (2 Cor. 5,17; Gal. 6,15). Haec nova creatura, hic homo novus conditus est *secundum Deum*, secundum imaginem et similitudinem Dei, ad exemplar Dei, ita ut imago assimiletur suo exemplari (*Lap.*); id quod accuratius declaratur descriptione in qua conditione sit creatus: *in iustitia* et *sanctitate* tali scil. quae congruat *veritati*, vide v. 21 sicut est veritas in Iesu. Hunc autem hominem novum induerunt fideles suscepto baptismo, uti apostolus docet Rom. 6,3-9 et Gal. 3,27 quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis; mor-

tui peccato vitam gratiae acceperunt, iusti sunt et sancti secundum rei veritatem (cf. Rom. 5,9.21). Ceterum vide supra 2,10 : ipsius factura ποίημα sumus, creati in Christo Iesu. Notat *Hier :* considerandum, quia creatio nunquam nisi in magnis operibus nominetur; v. g. mundus creatus est, etc. De hoc novo homine pluribus agit apostolus Col. 3,10-14.

Hunc novum hominem esse Christum cēnset *Hier.*, inter alia etiam *Thom. Nat.;* alii explicant de Adam, qui creatus sit in iustitia et sanctitate, ita *Iust. Lap.;* sed ad rem iam advertit *Est.:* « verum consideranti phrasin apostolicam et alia loca quae sunt Rom. 6 et Col. 3 cum isto conferenti magis apparet novum hominem ab apostolo dici unumquemque hominem quatenus renovatus est per gratiam Dei; quae renovatio hic et alibi nomine creationis intelligitur ». Inde simul patet hunc locum non posse adhiberi ad ostendendum, protoparentem Adam fuisse constitutum seu creatum in gratia seu iustitia originali. Alii eiusmodi argumentum sibi praeberi opinantur in voce ἀνανεοῦσθαι, *renovari*, explicant iterum novum fieri i. e. fieri novum, sicut ab initio fuit novum. Sed adverti debet, renovari non dici in universum neque esse posse sensum, nunc statum esse renovandum ad eam formam quae primitus exstiterit, sed suppleri necessario ad ἀνανεοῦσθαι, quod appositum est ad ἀποθέσθαι, scil. ὑμᾶς : vos renovamini, certe non ad statum priorem, sed in oppositione ad veterem statum, iterum novae vitae initium capiendum est. Eo ipso quod sermo est adeo explicite de *vobis*, sententia non est : genus humanum debet renovari ad statum illum quem Deus dedit in paradiso. Neque provocari potest ad notionem repetitionis quae lateat in ἀνά, *re-*, et qua indicetur novam illam formam olim adfuisse. Omitto posse recenseri multa verba in quibus ista notio ἀνα non appareat v. g. ἀναγγέλλειν, ἀναγείρειν, ἀνανεύειν, ἀναγιγνώσκειν cum pluribus derivatis, ἀναγλυκαίνειν, ἀναγραμματίζειν, ἀναδείκνυμι, ἀναδεύειν, ἀναδέχεσθαι, etc.; dein cum νέος intelligatur in oppositione ad vetus, omnino bene dicitur renovare veterem amicitiam, vel renovare antiquum odium ; intelligitur renovare domum, domum quae olim fuerit in bona conditione sed nunc incipiat collabi iterum ad meliorem conditionem reducere; sed si qua domus ex fundamentis construitur nova, nemo loquitur de renovatione. Iam in nostro loco de iis est sermo qui monentur, ne iam ambulent sicut et gentes v. 17, qui edocti sunt de Christo, qui deponere debent veterem hominem, mutare debent pristinam conversationem (v. 22). Tales autem ad vitam plane novam, contrariam priori, revocantur, ex peccato ad vitam Deo gratam, ex morte spirituali ad vitam spiritualem ; minime vero isti renovantur eo sensu, ut reducantur ad (novam) formam quae olim in ipsis fuerit. Isti veterem hominem ut vetus vestimentum deposuerunt, novum hominem, ut novam vestem induerunt; haec est eorum renovatio ; i. e. *novam* debent agere vitam, non veterem illam suam renovare.

Notat *Cai.* quae inter se opponantur : « de homine quatenus vetere dixerat : qui corrumpitur secundum desideria erroris; de homine vero quatenus novo dicit : qui creatus est secundum Deum, alienus ab omni corruptione, qui creatus est conformis Deo ; et hoc e regione : qui corrumpitur. Est ergo descriptio hominis quatenus novi quod secundum divinam rationem creatus est, non a nobis factus, in iustitia quae ad partem affectivam, et sanctitate veritatis quoad partem cognoscitivam. »

Negat tamen *Abbott* κατὰ Θεόν significare (quod plerique intelligunt) ad imaginem Dei, provocans ad 2 Cor. 7,9.10.11 ; contristati estis secundum Deum, tristitia secundum Deum. Hisce in locis utique *secundum Deum* additum ad

tristitiam designat « in a godly manner » seu secundum voluntatem Dei, quia scil. etiam tristitia inveniri poterit, quae non sit secundum Deum. Verum quod ad 2 Cor. 7,9.10.11 omnino aptum est, ad nostrum hunc locum valde incongrue adderetur, novum hominem secundum voluntatem Dei creatum esse in iustitia ; nam si Deus creat, per se patet eum creare secundum suam voluntatem, seu quia vult, et minime contra suam voluntatem.

Quae vetustas vitanda, quae novitas assumenda 4,25-32.

4,25. *Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* 26. *Irascimini et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram.* 27. *Nolite locum dare diabolo;* 28. *qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* 30. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* 31. *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia.* 32. *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.*

4,25. Διὸ ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος λαλεῖτε ἀλήθειαν ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ, ὅτι ἐσμὲν ἀλλήλων μέλη. 26. ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω, ἐπὶ παροργισμῷ ὑμῶν. 27. μηδὲ δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ. 28. ὁ κλέπτων μηκέτι κλεπτέτω, μᾶλλον δὲ κοπιάτω ἐργαζόμενος ταῖς ἰδίαις χερσὶν τὸ ἀγαθόν, ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. 29. πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, ἀλλὰ εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσιν. 30. καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. 31. πᾶσα πικρία καὶ θυμὸς καὶ ὀργὴ καὶ κραυγὴ καὶ βλασφημία ἀρθήτω ἀφ' ὑμῶν σὺν πάσῃ κακίᾳ. 32. γίνεσθε δὲ εἰς ἀλλήλους χρηστοί, εὔσπλαγχνοι, χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ ὁ Θεὸς ἐν Χριστῷ ἐχαρίσατο ὑμῖν.

Monuit apostolus v. 17 ne ambularent sicut gentes ; dein exposuit oppositionem quae adest inter vitam gentium et vitae modum fidelium (v. 18-24). Iam singula quaedam proponit, quibus haec nova vita fidelium debeat esse opposita moribus gentium. Nexum generatim adstruit *Thom.* « supra posita generali monitione, ut novitatem inducrent, hic apostolus ponit praecepta specialia ; primo prohibet quod ad veterem hominem pertinet, ita ut ista littera sit expositiva huius quod praedixerat « induite novum hominum » ; ad quem induendum primo prohibet mendacium ; unde dicit : propter quod, scil. novum hominem induendum ». Atque apostolum revera oppositionem illam antea expositam adhuc ob oculos habere, seu, ut *Lap.* ait, eum descendere ad partes hominis veteris, eisque opponere novi hominis partes (*Cai.*), ostenditur ipsa illa voce denuo usurpata ἀποθέμενοι (cf. v. 22) : participium explicari potest per imperativum : deponite, loquimini verum, solum id quod verum esse cognoscant ; cf. v. 15, omnem fraudem ac deceptionem exclusam esse vult a mutua consuetudine, a commercio inter se. Atque libidinem mendacii seu pronitatem ad mendacium homini prope adiacere, s. litterae saepe

testantur : omnis homo mendax (Ps. 115,11), mendaces filii hominum (Ps. 61,10), Cretenses semper mendaces, quod poetae testimonium verum esse apostolus affirmat (Tit. 1,12. 13) et ut Christus dicit, diabolus est pater mendacii (Ioan. 8,44), unde mirum non est, si princeps huius mundi etiam subditos suos ad mendacium instigat. Verum fideles veraces esse oportet, *quoniam sumus invicem membra*, membra unius corporis Christi (v. 16 ; 1,23), unum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius, membra (Rom. 12,5) ; membra enim inter se iuvant et in quantum unum membrum sua virtute et actu alteri prodest, dicitur membrum alterius ; sic oculus potest dici membrum pedis, in quantum pedem dirigit (*Thom.* ad Rom. 12,5 ; cf, 1 Cor. 12,21). Si ergo fideles inter se deciperent, esset ac si unum membrum corporis alteri membro damnum ac dolorem inferret. Apostolus verbis Zachariae prophetae (8,16) adhortatur : *loquimini veritatem* etc. Rationem quam affert per se valet pro fidelibus. Nam primo ei curae est conversationem fidelium inter se optime ordinare et ostendere, quantum abhorreat a notione novitatis acceptae et a dignitate nominis christiani omne genus mendacii. Priore monitione recedendi a moribus gentilium (v. 17) iam continetur mandatum evitandi mendacium in commercio cum infidelibus.

Primo itaque prohibet peccatum oris, mendacium, per quod corrumpitur veritas rationis, seu pars hominis rationalis ; secundo prohibet peccatum corrumpens partem irascibilem (*Thom.*) ; v. 26 *irascimini et nolite peccare ;* cf. Ps. 4,5 LXX ; priorem imperativum ex syntaxi linguae hebraeae et aliarum quoque linguarum posse poni et saepe poni pro sententia conditionata, manifestum est, uti v. g. divide et impera ; hoc fac et vives. Unde : si irascimini, si quid aegerrime fertis, si excitati estis (ita ex textu hebraeo), cavete ne res ad peccatum usque augeatur. Si eo modo duo ponuntur imperativi, prior communiter mandatum exprimit, vel saltem concessionem vel permissionem indicat. Et hoc sensu verba posse intelligi, declarat *Hier.* : « arbitror nobis quasi hominibus esse concessum, ut ad indignae alicuius rei faciem moveamur, tranquillitatemque mentis velut lenis quaedam aura ira conturbet, nequaquam tamen in tumentes gurgites furoris impetu sublevemur » ; item *Thom.* « si sic est quod motus irae insurgat, quod humanum est, nolite perducere ad effectum per consensum ».

Explicatio proposita de concessione vel permissione tamen non caret aliqua difficultate. Nam exempla quae afferri solent pro priore modo : divide et impera, scrutare et vide (Ioan. 7,51), secundum imperativum habent in notione temporis futuri : si diviseris, imperabis, si scrutatus fueris, videbis. Et eo modo hebr. Ps. 4,5 quoque explicatur : timete, nolite peccare, vel si timore seu verecundia commovemini, non peccabitis (cf. *Ew.*). At id in nostro textu minime locum

habet: si irascimini, non peccabitis; vel irascimini, tum non peccabitis, uti divide, tum imperabis. Neque altero modo permissionis instar noster textus plane poterit expediri; nam tum non exspectaratur καί, verum ἀλλά: irascimini sed nolite peccare i. e. irascimini si vultis, attamen nolite peccare. Apostolus recitat textum ex LXX, sensus quem exprimere vult, certe is est, ut in irae affectu non committatur peccatum; ergo bene graece id exprimeretur ὀργιζόμενοι μὴ ἁμαρτάνετε.

Commotio affectus irae ex ipsa indole naturali oritur; verum monet apostolus, ne quis diutius in ira concepta permaneat, quia licet permittatur motus per fragilitatem, non permittitur mora (*Thom.*); irascimini moderate, cum increpationis ratio exigit (*Cai.*). Verum apostolus non iustam quandam aut debitam indignationem ob oculos habet, sed iram ex offensione ortam; unde monet ad reconciliationem mox faciendam et ad veniam concedendam ira exstincta; *sol non occidat super indignationem vestram*, in cat. Cr. p. 182 explicatur, ne nobis verus sol, Christus, occidat neve tenebrae fiant in animo; sed bene notat *Est.*: ratio schematis est, quia solis occasu apud Iudaeos initium erat diei. Unde dies irae esse debet etiam dies reconciliationis et veniae datae. Ita *sol non occidat* dicitur per modum proverbii, ne affectus ille irae sinatur residere in animo. Putant aliqui occasionem proverbii esse desumptam ex Deut. 24,15 pretium laboris pauperi esse reddendum eodem die ante solis occasum; eodem die quo ortus est motus irae, est reprimendus et exstinguendus, i. e. non est fovendus, sed sedulo amovendus. Censet *Chrys.* explicite moneri, ne affectum illum sinamus perdurare usque ad noctem, quia in quiete noctis altius ille affectus animo infigatur, dum reliqua negotia quibus per diem occupabamur cessaverint.

Bene notant *Thom. Cai.* assignari rationem monitionis v. 27 et graece quidem adnectitur arcte ad antecedentia μηδὲ δίδοτε, *nolite locum dare diabolo*, neve locum detis diabolo, cf. Rom. 12,19; nam qui affectum seu motum irae apud se servat, dat diabolo occasionem et opportunitatem, ut ipsum impellat ad vindictam, ad odium, ad peccatum; parit enim ira reservata, ut *Est.* ait, odium aut vindictae consensum, per quem diabolus iam incipit in homine dominari. Et secundum *Hier.* adversarius noster diabolus semper in nos est paratus irrumpere et cum locum dederimus, ingreditur. Iam veterum aliqui, uti Vatablus, Erasmus verterunt: nolite dare locum calumniatori (cf. *Iust. Lap. Est.*); ita recentiores quoque aliqui (cf. *Ew.*); quae notio vocibus διαβάλλειν, διάβολος, διαβόλως omnino subest. Et veteres explicant, ne ansa calumniandi praebeatur infidelibus, dum vos vident vindictae cupidos et ira inflammatos. Recentiores autem cernunt ibi: ne locum et opportunitatem praebeamus calumniatori, ne sermonibus contra fratres et accusationibus, detractionibus aurem incli-

nemus. At apostolus utitur ea voce de satana 6,11; 1 Tim. 3,6; 2 Tim. 2,26 (quamvis alterius notionis omnino conscius sit 1 Tim. 3,11; Tit. 2,3 non detrahentes, non criminatrices); quare cum plerisque notio satanae etiam hoc loco erit retinenda, quae insuper multo melius ad contextum congruit, quam abrupta illa mentio de calumniatore, qui profecto non adest semper et ubique, ubi motus irae exsurgit.

Nexum diligenter inquirit *Thom.* : « exclusa supra vetustate hominis quantum ad vim rationalem et irascibilem, hic prohibet eam quantum ad concupiscibilem, provenientem ex rerum inordinata concupiscentia »; v. 28 *qui furabatur* ὁ κλέπτων i. e. is qui pronus ad furandum occasione data solet sibi alienum arripere; nominatur furtum omne quod alterius damno quaeritur (*Hier.*), furari generaliter ponitur, i. e. fraudare, subtrahere et quocumque titulo iniuste auferre vel detinere alienum (*Est.*). Maior pars fidelium erat ex plebe paupere; facile fieri poterat, ut egeni, opifices pauperes varia sibi emolumenta cum aliorum divitum damno procurarent; apostolus non loquitur de furibus, quorum quasi munus et occupatio est furari, sed de iis qui facile solent iniustum quaestum facere et quaerere; ceterum in primis coetibus fidelium varia adhuc peccata esse commissa, aliae quoque epistolae satis testantur (1 Cor. 6.2 Cor. 12,20. Rom. 16,18. Phil. 3,19. 2 Thes. 3,10, 1 Tim. 6,10. etc.); *iam non furetur* sed non sufficit, solum abstinere a malo, *magis autem laboret* μᾶλλον δὲ κοπιάτω, quin potius se fatiget, vires intendat, multum laboris assumat, *operando manibus suis* ἰδίαις praebent testes longe plerique, propriis manibus, *quod bonum est* τὸ ἀγαθόν, qui furatur, sine labore acquirit; quasi in poenitentiam agendam praescribit apostolus, non solum laborem, sed defatigationem laborando; furari est peccaminosum; operari suis manibus est honestum, et tali labore perficitur opus bonum Deoque gratum. Notat *Est.* excludi omnes artes victum quaerendi inhonestas; neque taceri ab apostolo restitutionem; eam enim contineri in eo quod dicat : iam non furetur; nam qui non restituit, cum possit, is adhuc in furto i. e. in alienae rei voluntaria detentione perseverat.

Porro qui aliena iniuste sibi comparavit, non solum multo labore operetur, ut sibi comparet necessaria, ne cogatur furari, verum plus laboret, ut qui olim aliena surripuit, iam de suis aliis tribuat, *ut habea unde tribuat necessitatem patienti;* en qualem poenitentiam et emendationem apostolus requirat. Sedulo laborando non vult quasi ut incumbatur divitiis augendis, sed potius contra avaritiam mandat, ut indigentibus succurratur. Unde monet *Hier.* : « qui igitur ad hoc tantum laborat, ut ipse non egeat et a ceteris contrahit manum, quamvis applaudat sibi, tamen apostoli praeceptum non fecit ». Bene *Thph.* quoque expendit : antea operabatur malum, iam nunc operetur bonum, neque id simpli-

citer, verum cum labore, partim quidem ut conterat corpus, quod antea ex otio mala didicerat; qui antea aliena abstulerat, iam aliis exhibeat beneficentiam; βαβαί, πῶς ἀγγέλους ποιεῖ τὸ εὐαγγέλιον τοὺς σχεδὸν δαίμονας!

Saepius apostolus inter varia gentilium peccata etiam peccata linguae recenset (cf. Rom. 1,29.30; 3,13. 1 Cor. 6,10. 2 Cor. 12,20. Gal. 5,15.20 1 Tim. 1,10; 3,11. Tit. 2,3). Quare hic quoque fideles ab eiusmodi vetustate revocat ad novitatem in Christo v. 29 *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*, nullus sermo malus, vel sermo quilibet malus, vel quomodocumque malus, πᾶς, quaevis species mali sermonis, σαπρός putridus, putris, marcidus (*Cai.*), pravus; *Thph.* explicat de sermone temerario, importuno, de facetiis, stultiloquio; pariter *Chrys. Thph.* ea voce dicunt designari turpiloquium, convicium, obtrectationem (λοιδορία, καταλαλιά). Sed talis sit sermo fidelium qui aliis afferat utilitatem; *sed si quis est bonus ad aedificationem fidei*, sed graece longe plerique testes habent πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, et *Hier.* vertit « ad aedificationem opportunitatis; hoc est quod dicitur graece τῆς χρείας in latinis codicibus propter euphoniam mutavit interpres et posuit ad aedificationem fidei »; πίστεως praebent FG Gregor. nyss. Basilius; si qua necessitas adest χρεία, si alter opus habet consilio, admonitione, tunc sermo opportunus est et sermo aptus, bonus, utilis erit simul ad aedificationem eius qui eo indiget. In voce πρὸς οἰκοδομήν iam indicatur utilitas non in re temporali, sed in re spirituali, quatenus tali sermone caritas mutua inter fideles fovetur, augetur, alter iuvatur, erigitur, confortatur, a periculo custoditur, edocetur. Et praeterea in eiusmodi sermone altius etiam quidpiam spectatur, *ut det gratiam audientibus;* cf. Col. 4,6, scil. ut ope et occasione sermonis audientibus detur gratia, bonum spirituale, seu salutaris cogitatio, vel impulsus ad pietatem; sit itaque sermo quasi vehiculum gratiae divinae (cf. *Est. Nat. Hpt.*). Alii sermonem beneficum, opem praestantem, seu gratum, iucundum intelligere malunt (cf. *Theod. ThdM. Thph. Iust. Lap$_{1}$*); sed gratia notione illa apud apostolum in usu posita, de favore quodam, auxilio, dono supernaturali, eo magis erit retinenda, quia iam mentione aedificationis ad eiusmodi utilitatem altiorem, spiritualem adducimur. De dono gratuito instructionis, suasionis, cautelae et huiusmodi *Cai.* explicat hoc loco gratiam.

Quo studiosius omnem sermonem malum evitent (ita nexum plerumque statuunt *Hier. Thph. Est. Nat. Lap. Bels. Hpt. Ew.*), aliam addit rationem v. 30 *et nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, i. e. nolite offendere Spiritum sanctum, eo sensu quo peccatum est iniuria Deo irrogata et ideo offensio dicitur; « non quo contristetur Spiritus aut ullam perturbationem divinitas sentiat, sed quo ex verbis nostris Dei discamus affectus » (*Hier.*). Quale beneficium fidelibus collatum sit per

Spiritum, ergo quantopere cavendum sit, ne ei iniuria fiat, declaratur *in quo signati estis in diem redemptionis;* cf. 1,13.14. Cavendum est ab eiusmodi sermone non solum, ne tu ipse peccando iniuria afficias Spiritum, verum etiam ne aliis evadas offendiculum et occasio peccati, quo ex animo eorum expellatur Spiritus sanctus Dei. Huius Spiritus sublimitas sollemniore modo hoc uno loco designatur, cum *Spiritus sanctus Dei*, duplici modo appelletur; nam alias vel Spiritus sanctus vel Spiritus Dei nominari solet. « Ac si apertius dixisset, quod si nulla subesset alia ratio horrendi veterem hominem, haec sola sufficere debet, ut non contristetis Spiritum sanctum Dei in vobis » (*Cai.*).

Memores huius signaculi Spiritus et eius inhabitationis (3,16.17; 2,22; 4,23) sedulo curent, ut omnes affectus et omnis agendi ratio ad normam Spiritus pacis ordinentur (v. 31.32); unde prius recensentur quae cavenda sunt et tollenda v. 31 *omnis amaritudo*, quilibet affectus animi acerbi, exacerbati in proximum, quaelibet commotio bilis seu acrimonia propter offensionem acceptam; *omnis* certe etiam pertinet ad cetera quae sequuntur, *et ira* θυμός, quatenus animo commoto cuiquam succenses, occultam in eum foves indignationem, *et indignatio*, ὀργή furor qui iam externe, vultu, facie inflammata proditur, et in desiderium ultionis et iniuriae infligendae transit et offensionem acceptam non solum repellere verum multo magis punire per excessum appetit; cuius comites et effectus esse solent *clamor* κραυγή, vociferatio incondita, *blasphemia*, convicia et contumeliae et verba probrosa in alium coniecta; horum quodlibet *tollatur a vobis* simul *cum omni malitia*, cum qualibet improbitate, seu malignitate, scil. quidquid malum est, auferatur a vobis, ἀφ' ὑμῶν, vos recedite quam longissime ab omni genere et specie mali. Enumerationi incompletae totum genus et totam quasi amplitudinem mali subiungit.

Huic vetustati quae auferri debet subditur novitas v. 32 *estote autem invicem benigni* γίνεσθε, monet, ut *fiant* inter se, mutuo, χρηστοί, suaves, amaritudini opponi *suavitatem* χρηστότητα magis quam benignitatem. *Hier.* opinatur, « clementes simus et blandi » et *misericordes*, εὔσπλαγχνοι, quasi homines fiamus bonorum viscerum, affectuum; nam secundum phrasin s. Scripturae viscera hominis super alienis malis ita commoventur, ut ea velit ac studeat removere (*Est.*); vox legitur in oratione apocr. Manasse v. 6; ceterum vide Gen. 43,30 commota sunt viscera eius; 3 Reg. 3,26; Is. 63,15 ubi est multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? 1 Petr. 3,8 εὔσπλαγχνοι. Et ad eiusmodi animum quam maxime pertinet, *donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis*, condonantes inter vos offensiones; ita de condonatione iniuriarum merito intelligunt et veteres et recentiores et sequitur iam ratione addita

et ex loco parallelo Col. 3,13 χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφήν, si quis adversus aliquem habet querelam; ea notione legitur χαρίζεσθαι 2 Cor, 2,7.10; 12,13 χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην, donate mihi hanc iniuriam. Subest notio libenter, gratiose condonandi, minime aegre, sed quasi favorem demonstrando. Et ratio qua omnis superetur et amoveatur difficultas, est pro nobis, quia Deus quoque nobis delicta et peccata pro sua misericordia condonavit, ea delens et auferens venia concessa; istum summum favorem nobis praestitit *in Christo;* pretium redemptionis nostrae repositum est in Christo, et vide 1,3 benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo, et pariter 1,6.7 et cf. Rom. 8,1 nihil ergo nunc damnationis τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, iis qui sunt in Christo Iesu. Ad haec autem adiunguntur sequentia; unde divisio, seu novi capitis initium, non valde apte ponitur. Ceterum ad rationem additam *sicut et Deus donavit vobis* vide parabolam Matth. 18,23-35. Ad modum loquendi cf. Col. 3,13 sicut et Dominus, (ὁ κύριος Christus), donavit vobis. Fertur quoque lectio : donavit nobis.

Olim tenebrae, nunc lux in Domino 5,1-14.

5,1. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi,* 2. *et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* 3. *Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;* 4. *aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei.* 6. *Nemo vos seducat inanibus verbis, propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae.* 7. *Nolite ergo effici participes eorum.* 8. *Eratis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate;* 9. *fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate,* 10. *probantes quid sit beneplacitum Deo;* 11. *et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite;* 12. *quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* 13. *Omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur; omne enim quod manifestatur, lumen est.* 14. *Propter quod dicit : surge qui dormis et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

5,1. Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ, ὡς τέκνα ἀγαπητά, 2. καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν ὑμᾶς καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. 3 Πορνεία δὲ καὶ ἀκαθαρσία πᾶσα ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν καθὼς πρέπει ἁγίοις, 4. καὶ αἰσχρότης ἢ μωρολογία ἢ εὐτραπελία, ἃ οὐκ ἀνῆκεν, ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. 5. τοῦτο γὰρ ἴστε γινώσκοντες, ὅτι πᾶς πόρνος ἢ ἀκάθαρτος ἢ πλεονέκτης, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ. 6. Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω κενοῖς λόγοις, διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. 7. μὴ οὖν γίνεσθε συμμέτοχοι αὐτῶν. 8. ἦτε γάρ ποτε σκότος· νῦν δὲ φῶς ἐν κυρίῳ· ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε. 9. ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ φωτὸς ἐν πάσῃ ἀγαθωσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἀληθείᾳ. 10. δοκιμάζοντες τί ἐστιν εὐάρεστον τῷ κυρίῳ, 11. καὶ μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τοῦ σκότους, μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε. 12. τὰ γὰρ κρυφῇ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν αἰσχρόν ἐστιν καὶ λέγειν. 13. τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται· πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστίν· 14. διὸ λέγει· ἔγειρε ὁ καθεύδων καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός.

Arcte cohaeret 5,1 cum 4,32; Deus condonavit nobis offensiones, ergo quid aequius quam ut nos quoque prompti simus ad condonandum? v. 1 *estote ergo* γίνεσθε, fiatis *imitatores Dei*, Deus summa perfectio nobis proponitur, ut nunquam putemus nos satis superque probitati operam dedisse, sed ut in dies ad perfectiora attingere studeamus, uti Christus monuit, estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est (Matth. 5,48). Potissima ratio id appetendi ponitur in ipso Deo et eius modi agendi; altera quoque additur magnae efficaciae, *sicut filii carissimi* ὡς τέκνα quorum est patrem revereri, eius voluntati obsequi, ei placere, et quidem ἀγαπητά, qui magna dilectione a patre foventur, unde maiore studio iis incumbunt, ut patri obsequantur. Iam a casu particulari gressus factus est ad monitionem magis generalem; fundamentum autem effertur in v. 2 *ambulate in dilectione*, ubi caritas est, non erit clamor, non ira (*Chrys. Thph. Oec.*); et eius dilectionis exemplar summum proponitur : *sicut et Christus dilexit nos*, testibus veteribus א*AB innixi legunt critici ὑμᾶς, *vos*, id quod admonitioni (ambulate) etiam magis congruit tam proxime scil. appositum, dum in altero iam magis remoto ab admonitione et allocutione bene fertur et praefertur ὑπὲρ ἡμῶν. De dilectione Christi vide Ioan. 13,1.34; 15,9 sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; Gal. 3,20; eamque exhibuit dando vitam pro nostra salute (cf. Ioan. 14,13) *et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam* προσφορὰν notione generali καὶ θυσίαν notione sacrificali speciali.

Apud LXX θυσία frequentissime legitur pro hebr זבח, pro sacrificio cruento. Christi igitur sacrificium in morte eius pro nobis oblatum explicite asseritur. Hoc maximo dilectionis documento exhibito monet apostolus, dilectionem opere esse praestandam, etsi iactura commodorum, pecuniae nobis quandoque subeunda sit; ne igitur facile difficultatibus, labore vel iactura quadam deterreamur, si agitur de auxilio vel salute proximi. Valet enim illud : ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere (1 Ioan. 3,16). Atque hoc Christi sacrificium pro nostra expiatione et redemptione oblatum (Rom. 3,25; 1 Cor. 1,23; 2 Cor. 3,14 etc.) esse Deo acceptissimum, ostenditur *Deo in odorem suavitatis* εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in odorem bonae fragrantiae (ut vertit *Hier.* praefatione in Zach., *Lap.*), quibus vocibus in vetere testamento Deo acceptum esse ac gratum sacrificium exprimitur. Erit autem Deo τῷ Θεῷ iungendum cum hoc membro, nam sacrificium Deo deberi et soli Deo offerri posse per se liquet; sacrificium autem Deo esse gratum, cum non de omni sacrificio dici possit (victimae impiorum abominabiles Domino, Prov. 15,8), apte adiungitur. Insuper plerumque in vetere testamento dictio haec refertur ad Deum; cf. Gen. 8,21. Ex. 29,25. Lev. 1,9.17; 2,2.9; 3,5.11. 16 (LXX); 4,34; etc. Explicite monent acatholici (*Abb.*

Hpt. Ew.) expiationem a Christo sacrificio suo factam nostro loco non efferri. Explicite eam expiationem non efferri verum est. Attamen negari non potest expiationem clare contineri, uti generatim catholici interpretes sua explicatione ostendunt. Nam enuntiatur dictione ὑπὲρ ὑμῶν (ἡμῶν) in nostrum emolumentum, commodum, beneficium (cf. Gal. 2,20). Porro notio expiationis ipso sacrificio, holocausto, suggeritur et etiam explicite asseritur Lev. 1,4 etc. Num. 28,22; Ez. 43,15 et cf. Lev. 17,11. Et bene dicit *Dam.* vocari mortem Christi προσφοράν, quia quos mors tenebat captivos, ad vitam duxit, et esse suavissimi odoris munus δῶρον pro universo mundo.

Duo vitia praecipua gentilium apostolus iam paucis reprobavit 4,19. Nihilominus denuo ea attingit, ut fideles contra eiusmodi peccata muniat, quorum pericula mediis inter gentes viventibus deesse non poterant (cf. 1 Cor. 5,9-11), imo inter ipsos fideles non omnes se immaculatos servasse constat (1 Cor. 6,12-20; 2 Cor. 12,20). Unde v. 3 *fornicatio autem et omnis immunditia*, quaelibet impuritas, *aut avaritia nec nominetur in vobis;* miratur *Hier.* hoc loco avaritiae mentionem fieri et censet « non hanc intelligi qua pecuniam cupimus congregare, sed illam, qua scil. insatiabilis et inexpletus per omnia turpitudinum genera lasciviaeque discurrat ». At, uti supra 4,19 ita hic quoque, vera vocis notio retinenda est. Utrobique amorem intervenire graeci monent; *Thph.* τῷ γὰρ αὐτῷ καὶ χρημάτων ἐρῶμεν καὶ σωμάτων, sim. *Chrys.* et *Euth.* dicit de avaritia : ἔρως γὰρ καὶ αὕτη, εἰ καὶ χρημάτων. Harum rerum ne nomen quidem esse proferendum, non potest esse mens apostoli; nam si accidunt, turpitudo suo nomine est reprobanda, et insuper ipse apostolus eodem momento nomina profert. Sensus itaque erit, ne sermones quasi ad animos recreandos de rebus turpibus inter eos misceantur; nam sermones, οἱ γὰρ λόγοι, viam ad opera parant (*Thph.*); praeterea eiusmodi sermones inutiles vel iam sunt peccaminosi vel saltem facile commovent ad concupiscentiam.

Alii explicant, ita puri estote, ut ne rumor quidem seu fama eiusmodi sceleris inter vos patrati audiatur (*Ew.*). Parallelismus verbalis habetur Ios. 23,7 LXX καὶ τὰ ὀνόματα τῶν θεῶν αὐτῶν οὐκ ὀνομασθήσεται ἐν ὑμῖν. Talis enim puritas cogitationum et sermonum exigitur a fidelibus, *sicut decet sanctos* ἁγίοις, qui erepti a pravitate mundi Deo sunt sacri, consecrati. Alia de quibus non sit sermo miscendus, vel qualia inter se habere colloquia minime deceat, enumerantur vocibus v. 4 *aut turpitudo*, qua laeditur pudor nativus, αἰσχρότης deformitas, foeditas *aut stultiloquium*, sermones fatui, stolidi, ineptae fabulae, *aut scurrilitas* εὐτραπελία, haec vox per se non caret bono sensu de comitate, urbanitate, at iam ab Aristotele declaratur πεπαιδευμένη ὕβρις (Rhet. 2,12;

Hpt.), sales intempestive liberi, iurgia petulantia (cf. *Wetst.* ad h. l.); nugae, facetiae insulsae; *quae ad rem non pertinet*, ἃ οὐκ ἀνῆκεν (vel ut alia lectio habet τὰ οὐκ ἀνήκοντα)[1], eiusmodi res non decent, non conveniunt, sanctum nomen τῶν ἁγίων, Deo consecratorum dehonestant. Quid eos deceat, indicatur *sed magis gratiarum actio* scil. nominetur in vobis; vestra colloquia sint de variis beneficiis a Deo acceptis, de providentia et gubernatione Dei, de spe vocationis vestrae; omnia scil. hominem fidelem provocant ad gratiarum actionem et haec Dei opera inter vos expendite; séu talia de vobis nota fiant.

Explicat Origenes hoc loco εὐχαριστίαν, non de actione gratiarum, sed καθ'ἣν εὐχαρίστους καὶ χαρίεντας τινὰς φαμέν (cat. Cram. p. 190); et censet fortasse apostolum usum esse lectione alia τῇ ἐπ'ἄλλου κειμένῃ λέξει, legitur quidem in catena iterum mendo aperto εὐχραριστία, sed ex subsequentibus elucet εὐχαριτία esse ponendum; nam statim affert γυνὴ εὐχάριστος ἀντὶ τοῦ εὐχάριτος γυνή. Origenem sequitur, ut saepius, *Hier.* in hac epistola : « forsitan igitur gratiarum actio in hoc loco non ista est nominata, iuxta quam gratias agimus Deo, sed iuxta quam grati, sive gratiosi et salsi apud homines appellamur », et cum Origene provocat ad versiones Aquilae, Theodotionis, Symmachi, qui, ubi nos legimus γυνὴ εὐχάριστος, posuerunt γυνὴ χάριτος, gratiosa; (cf. Prov. 11,16 mulier gratiosa, hebr. חֵן); insuper asserit *Hier.* : « maxime cum apud Hebraeos gratiosus et gratias agens, uno, ut aiunt, sermone dicatur »; at in lexicis nostris sub חֵן, חֵנָן solum sermo est de gratia, favore, misericordia. Cum *Hier.* sentit *Cai.* intelligi hoc loco gratiosum sermonem, « et vere quadrat materiae ».

Magno cum ictu monet apostolus, ut sciant et bene intelligant, eiusmodi sceleribus amitti hereditatem regni Dei v. 5 *hoc enim scitote*[2] *intelligentes*, ἴστε γινώσκοντες, cf. LXX γνόντες γνώσεσθε, est fere locutio hebraizans, qua notio verbi augetur, uti 1 Reg. 20,3 γινώσκων οἶδεν ὁ πατήρ σου (LXX), unde apparet opus non esse, uti in hebraeo solet, repetitione eiusdem verbi (*Ew.*); quare non est interpretandum : hoc enim scitis, intelligentes; quod minime aptum est ad antecedentia. Verum apostolus serio ac severe mandat; τοῦτο refertur ad sequentia, scil. intima persuasione animis insculpant *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus quod est idolorum servitus*, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, avarus, id est, idololatra; refertur ad avarum. Cum avaritia per se non videatur eiusdem esse foeditatis atque fornicatio, immunditia, apostolus explicite effert avarum quoque reum fieri posse perfectae apostasiae a Deo. Nam ut voracium deus venter est (Phil. 4,19), ita cupidorum quoque iustissime

1. Potest aliquod statui discrimen; ἃ οὐκ ἀ. refertur ad antecedentia, τὰ οὐκ ἀνήκοντα notione generali : quaecumque demum non decent; patet latius talis dictio.

2. Indicativum *scitis* vult *Abbott;* at immerito; in NT. enim ἴστε generatim est imperativus, qui hoc loco addito participio augetur; hoc scitote certissime! vel hoc scitote et noscite!

deus dici potest pecunia, maxime cum in alio loco apostolus concupiscentiam idololatriam vocet (*Hier.*); id innuit Christus quoque : non potestis Deo servire et mammonae (Matth. 6,24); avaritia enim totum cor et mentem absorbet et ita sibi vindicat totum hominem, ut die ac nocte de una pecunia sollicitus eius servandae et augendae gratia ad omnem iniustitiam paratus sit.

Admonitionem etiam contra peccata carnis non fuisse supervacaneam, ex moribus lascivis eorum inter quos vitam agere debebant fideles, satis intelligitur; insuper ex opinionibus gentilium liberrimis aliquid potuisse haerere etiam apud fideles, sufficienter nos docet apostolus (1 Cor. 6,12 seq.). Unde graviter affirmat *omnis*, πᾶς, quilibet, quivis, *non habet hereditatem in regno Christi et Dei;* huius hereditatis excellentiam exposuit 1,12-14, eius divitias gloriae commemoravit 1,18; 2, 5-7. Quanta itaque foret iactura, si exciderent ex tali hereditate, ex tanta parte et gloriae quae ipsis reponitur non in regno terreno, sed in regno aeterno, in participatione bonorum eorum quae sunt bona Christi et bona Dei, quia fideles sunt heredes Dei et coheredes Christi (Rom. 8,17) [1]. Adnotat *Hier.* ex sex vitiis modo recensitis v. 3 4 tria hic solum poni, quae excludant a regno Dei, et rationem affert : « si enim ita stultiloquus et scurra alieni essent a regno Dei quomodo tres quos specialiter separavit, videretur sententia esse crudelis, non ignoscere imbecillitati fragilitatis humanae, cum etiam per iocum dicta nos damnarent »; scurrilitatem explicat ipse iocularitatem; nihilominus addit, etsi iste non excludatur a regno, tamen « non tenebit eum locum, quem possessurus erat, si haec vitia non haberet. » Pro gravibus illis omnino non est locus neque pars ulla in regno Dei.

Et simul monet ne frivolis rationibus et captionibus sophisticis hominum lascivorum se sinant in errorem induci v. 6. *nemo vos seducat* ἀπατάτω decipiat *inanibus verbis* κενοῖς λόγοις vacuis sermonibus quibus nihil veri subest; talia verba vana, falsa, sed ad deceptionem apta, apud Corinthios iactata esse, docemur 1 Cor. 6,12 : omnia mihi licent; esca ventri et venter escis, corpus fornicationi. Contra eiusmodi fallacias apostolus suam confirmat assertionem : *propter haec enim*, propter talia vitia *venit ira Dei in filios diffidentiae*, iudicium, poena, vindicta Dei irrumpit in contumaces, inobedientes; ἀπείθεια explicatur ab *Hier.* insuasibilitas; designantur itaque homines animo obstinato, pervicaces. In ea scelera ostensa est ira Dei in diluvio, contra Sodoma et Gomorrha (Gen. 6; 19).

1. Cum Θεοῦ careat articulo, per se potest intelligi utraque dictione unum designari Christum i. e. in regno eius qui est Christus (Messias) et Deus. At Θεός saepe ponitur sine articulo nec apparet ratio, cur hic emphatice Christi divinitas sit efferenda, utid, v. g. effertur Rom. 9,5.

Proinde monet v. 7 *nolite ergo effici participes eorum* συμμέτοχοι comparticipes (*Hier.*) talium peccatorum : fornicationis, immunditiae, avaritiae, cf. 3,6 : ne sitis socii in peccatis illis (et in ira).

Quantopere teneantur longissime abesse ab eiusmodi sceleribus et talium hominum societate, declarat apta metaphora v. 8 *eratis enim aliquando tenebrae*, cf. 4,18, *nunc autem lux in Domino* ; miseria anteacta et dignitas praesens breviter sed efficaciter pingitur : quae societas luci ad tenebras (2 Cor. 6,14)? En, qualis intercapedo, quale discrimen inter vestram conditionem praesentem et illa peccata ! quod pro vobis transiit, est tempus anteactum, *tenebrae*, conditio et status peccatorum et damnationis ; *nunc lux*, nunc conditio et status salutis et illustrationis divinae quae *in Domino* vobis praebetur et in unione cum Christo habetur. Secundum indolem et naturam acceptam nunc degere oportet : *ut filii lucis* (cf. v. 6 ; 2,3) *ambulate*, ut tales qui indolem et naturam lucis acceptam habent. Illa autem lux in Domino, lux gratiae, ductus et impulsus divinus, salubres effectus producit v. 9 *fructus autem lucis* situs *est in omni bonitate et iustitia et veritate*, tria haec nomina universam morum amplitudinem designunt ; ἀγαθωσύνη est probitas, qua quis constanter id exsequitur in omnibus quod ut rectum ac bonum cognoscit ; *iustitia* norma est lege divina et lege positiva proposita (uti illa subiectiva, ita haec obiectiva) ; *veritas* in eo consistit, ut quaelibet actio, quaelibet res ita sit, prout esse oportet ; unde ortae sunt locutiones : vera virtus, vera pietas, verus amor etc. Lux itaque in Domino (v. 8), lux quam Christus attulit, et illustratio eius ac gratia semen est frugiferum, ex quo ille fructus vitae christianae exoritur ; et ex tali fructu cognoscuntur filii lucis. Quantopere aliena sint a fructu lucis vitia enumerata v. 3-5, non eget explicatione.

Haec tria ab aliis aliter explicantur ; *Chrys.* ait ἀγαθωσύνην dici contra irascentes et amarulentos, iustitiam adversus avaros, veritatem adversus falsam voluptatem ; similiter *Thph. Lap.* ; de beneficentia in proximos impendenda, de iustitia erga proximos servanda, explicat *Est.*, veritatem ad utrumque praecedens refert, « quod utriusque generis opera oporteat esse vera, recta, sincera, quaeque Dei iudicio probentur » ; ita fere *Nat.* quoque ; inter alia *Iust.* proponit : nisi malueris bonitatem referre ad animum, iustitiam ad actiones externas, veritatem ad verba et orationem. Alii intelligunt benignitatem, probitatem omnis generis seu vitam normae divinae consonam, veritatem fidei animo impressam, quae sit radix et fundamentum ἀγαθωσύνης et iustitiae (ita *Bels. Henle*). Opponi haec tria tribus illis κακία (4,31), ἀδικία, ψεῦδος (4,25) existimat *Abbott*.

Quasi per parenthesim adiunxit apostolus declarationem qui sit fructus lucis v. 9 ; nam quod sequitur v. 10 adnectitur ad v. 8 ut filii lucis ambulate, v. 10 *probantes* δοκιμάζοντες explorantes, exquirentes (ut bene

ap. graecum exponit) singulis in rebus et casibus (Rom. 12,2), *quid sit beneplacitum Deo* εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ, recte notat *Hier.* : « omnia facienda cum consilio, ut cauti atque solliciti ea tantum quae scimus Deo placere faciamus ; in morem prudentissimi trapezitae qui sculptum numisma non solum oculo, sed pondere et tinnitu probat ». Norma, qua explorent, data est v. 9 ; ex ea immediate sequitur, quod oportet vitari v. 11 *et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum ;* cf. v. 8 ; insuper etiam merito dicuntur opera tenebrarum, quia ex v. 12 in occulto fiunt ; dicuntur ἄκαρπα in oppositione ad fructum adeo praeclarum lucis ; ergo carent omni bonitate et iustitia et veritate ; aliquod verum ac bonum emolumentum non afferunt, sed maxima inferunt damna ; vana sunt in se et inania ; delectatio est solum momentanea, citissime transiens, uti *Thom.* notat, qui etiam bene allegat : quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis (Rom. 6,21) ? Infructuosa sunt, quia prorsus nihil habent de fructu spiritus (Gal. 5,22 ; ita in cat. Cr. p. 195).

At minime satis est similia non facere ; *magis autem redarguite*, μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε, potius autem etiam obiurgate ; vult apostolus, ut etiam reprehendant eiusmodi vitia, eorum foeditatem clare evincant, et ita ἐλέγχειν erit, uti *Thph.* vocem explicat, παιδεύειν τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας, instruere, docere, erudire. Et quanta sit necessitas eiusmodi reprehensionis et obiurgationis[1], quam fideles opportuno tempore et loco ostendere ac profiteri debeant, indicatur ex permagna morum corruptione v. 12 *quae enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere ;* solum nomen iam est foedum, et ea nominari iam est offensio auribus honestis ; nihilominus bonus quidam effectus et emendatio sperari potest. Ipsi quidem qui talia agunt fortasse non sibi conscii sunt totius istius ignominiae ; nam tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei sunt per ignorantiam propter caecitatem cordis (4,18). In oppositione ad talem ignorantiam asserit apostolus v. 13 *omnia autem quae arguuntur, a lumine manifestantur*, omnia peccata si clare vituperantur et reprehenduntur et turpitudinis convincuntur, ipsa hac reprehensione quasi lumine collustrata *manifestantur*, aperta fiuntet in sua foeditate cognoscuntur. Nam, ut *Est.* notat, argui seu prodi non aliud est quam in lucem proferri. Filii igitur lucis admonentur, ut lucem suam quam acceperunt turpitudine peccatorum illorum, lucere faciant reprehensionibus suis et bona doctrina in regione tenebrosa, ut in medio nationis pravae ac perversae luceant sicut luminaria in mundo (Phil. 2,15). Cum vos sitis lux, ad vos spectat redarguere tenebrarum opera (*Cai.*), vel ut *Dam.* dicit :

1. Aliqui hoc loco verbo attribuunt notionem manifestandi, in lucem protrahendi (cf. *Abbott*) ; at ex subsequentibus elucet plus requiri et notionem obiurgationis indicari, quia agitur de emendatione peccatoris ; cf. v. 14.

si lumen sumus et tenebras possumus manifestare appositione lucis, optima haec reprehensio fuerit: φανεροῦν τὸ σκότος τῇ τοῦ φωτὸς ἀντιθέσει, ἔλεγχος οὗτος ὁ κάλλιστος.

Et quantum commodum iam contineatur in ista reprehensione, qua turpia et foeda tamquam talia produntur et patefiunt, declaratur sententia generali: *omne enim quod manifestatur, lumen est*, φῶς ἐστίν, e tenebris et ignoratione, qua antea iacebat et latebat, manifestatione prolatum est in lucem, in cognitionem. Ipsa manifestatione lux quasi facta est; nam peccatum agnitum tamquam peccatum et malum iam transfertur in regionem lucis Dei; fit collustratum lege et norma divina aliquo vero sensu lux, cum lux huius cognitionis mentibus peccatorum infunditur. Nam, ut *Ambrst.* dicit: « tunc videntur peccata, cum obiurgantur, quia qui peccat, quamdiu non corripitur, minime sibi videtur peccare »; peccata itaque quae videntur sunt lux, quatenus in lucem proferuntur: itaque obiurgatione illuminatur malum (*Victor*). Et qualis utilitas pro infidelibus ex tali obiurgatione exsistat, indicatur v. 14 *propter quod dicit t surge qui dormis et exsurge a mortuis et illuminabit te Christus*, est admonitio fidelium ad eos directa qui sopore peccatorum sopiti sunt et sua peccata non sentiunt, ut ex tali sopore evigilent, ἔγειρε expergiscere; peccatores mortui sunt coram Deo; ex tali mortis conditione surgere debent, suscitantur autem obiurgatione; tunc etiam iis lux vera orietur: *et illuminabit te Christus*, ἐπιφαύσει σοι affulgebit tibi, seu illucescet tibi Christus, vera illa lux quae illuminat omnem hominem (Ioan. 1,9; 8,12); orietur tibi Christus, uti *Hier.* etiam habet et aliam lectionem affert ἐπιψαύσει continget te Christus (al. ἐπιψαύσεις τοῦ Χριστοῦ, continges Christum). Videtur λέγει sumi posse in notione (on dit; es heisst) *dicitur*; simili modo capi potest 4,8 et Rom. 15,10 et Gal. 3,16.

Unde verba illa deprompta sint, pluribus inquirit *Hier.* et varias affert opiniones: qui simplici responsione contentus est, dicet ex apocryphis deprompta esse, sicut in aliis quoque locis eum fecisse manifestum est; « alius vero quasi προσωποποιΐαν Spiritus sancti apostolus figuraverit, ad exhortationem poenitentiae haec dicta memorabit. Ego certe secundum paupertatulam meam omnes editiones veterum Scripturarum, ipsaque Hebraeorum volumina diligenter eventilans, nunquam hoc scriptum reperi ». Dein opinatur apostolum uti olim prophetae loquebantur: haec dicit Dominus, repente in haec verba erupisse. Similia apud Origenem (cat. p. 197) leguntur; *Severianus* (similiter *Dam.*) monet exstitisse tunc temporis charisma orationis et psalmorum, donum Spiritus sancti, uti legitur: unusquisque vestrum psalmum habet, προσευχὴν ἔχει, quid ergo est? orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente (1 Cor. 14,15.26); manifestum est ergo hoc quod ibi commemoratur positum esse in uno aliquo psalmorum spiritualium vel orationum. — Alii frustra provocant ad Is. 60,1 vel 9,2 et 26,19 vel 52,1; textum mutandum esse non improbabile censet *Ew.*: λέγεται — dicitur, sed ubi? a quo? unde melius proponit διὸ λέγε, alii

censent verba haec induci tamquam exemplum exhortationis et redargutionis christianae (*Henle*, *Bels.*). Certe quod Severianus monuit, optime videtur nodum solvere, esse verba ex aliquo hymno christiano, uti similia ab apostolo recitantur 1 Tim. 3,16; et similiter *Theod.*

Aliqui magnam quandam difficultatem et obscuritatem deprehendunt in v. 12.13 et in particulis adhibitis; ita *Ew.* qui imo ad mutationem textus inclinat. At res non videtur esse adeo implicata. Nam quod ipse praeprimis exspectandum esse dicit : omne quod arguitur a luce, emendatur, hoc revera in textu apostoli continetur forma utique diversa ; apostolo enim iuremerito ipsa iam manifestatio, ipsum iam φανεροῦται v. 13, patefactio peccatorum ut peccatorum est gressus primus et necessarius ad emendationem. Haec patefactio fit redargutione, et in ista manifestatione, quae peccatoribus per reprehensionem et institutionem seu doctrinam affertur, iam bene intellexit *Chrys.* exhiberi seu praeparari emendationem, illud φανεροῦται explicans : si enim qui fecit fuerit in medium productus, si admonitus, si ductus poenitentia, si remissionem fuerit consecutus, annon expurgasti eius tenebras ? et postea sibi ipsi quasi obicit : at non corrigitur (mea admonitione et reprehensione), respondet : fac tu quod tuum est et apud Deum es excusatus. Et *ThdM.* ait ipsam manifestationem adiuvare posse; omnis enim super suum delictum confusionem patietur tunc quando delictum fuerit manifestatum.

Quaeri potest in v. 13 quomodo iungendum sit ὑπὸ τοῦ φωτός ; aliqui iungunt cum antecedente : quae arguuntur a lumine, manifestantur ; ita *Chrys. Thph. :* lux arguit quae fiunt in tenebris ; et *Hier. :* haec enim a luce arguta manifestantur, et *Iust.* censet parum referre, utrum iungas cum antecedenti vel cum sequenti; eundem semper esse sensum. At bene advertit *Est. ;* « sed convenientius construitur cum sequenti, ut sensus sit : dixi vos arguere debere opera tenebrarum ; sic enim habet rei natura, ut quaecumque tenebrosa arguuntur, id est, produntur, ea manifestentur ea lumine, nam argui seu prodi non aliud est, quam in lucem proferri » et ita iungunt *Cai. Nat. Lap.* et recentiores (excepto *Ew.*). Redargui est manifestari a luce, inquit *Cai.*

In v. 13 b censent *Cai. Est.* activam participii acceptionem exigi consequentia textus apostolici; etiam recentiores quidam coniecerunt φανεροῦν esse legendum (apud *Ew.*). Praeceperat enim apostolus, ut opera tenebrarum arguerent, quia omnia quae arguuntur, a lumine manifestantur. Et hoc probat, quia omne manifestans lumen est, id est, nulla res potest manifestare et in apertum proferre aliquid obscurum, nisi sit lux, aut lucis particeps; quod quidem veritatem habet universalem, tam de luce spirituali quam corporali. Praeterea *Est.* censet apostolum euphoniae gratia posuisse φανερούμενον, ac forte minus in usu esse hoc participium φανεροῦν eo quod coincidat cum infinitivo. Sic ille. At lectio communis optime contextui consonat. Nam omnino verum est : omne quod manifestatur i. e. quod ex tenebris et obscuro profertur ac proditur, iam non est absconditum, sed est notum, est in luce, est revera suo modo lux, quatenus sua manifestatione facta aliis innotescit.

Praecepta pro vita sociali et matrimoniali 5,15-33.

5,15. *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes,* 16. *sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* 17. *Propterea*

5,15. Βλέπετε οὖν ἀκριβῶς πῶς περιπατεῖτε, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί, 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσιν. 17. διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ

nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei. 18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto,* 19*l loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino,* 20. *gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo et Patri.* 21. *Subiecti invicem in timore Christi.* 22. *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino,* 23. *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiae, ipse salvator corporis eius.* 24. *Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* 25. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea,* 26. *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae,* 27. *ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* 28. *Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus ecclesiam,* 30. *quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius.* 31. *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una.* 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia.* 33. *Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.*

συνίετε τί τὸ θέλημα τοῦ κυρίου. 18. καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι, 19. λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ, 20. εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Θεῷ καὶ Πατρί, 21. ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Χριστοῦ. 22. αἱ γυναῖκες τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὡς τῷ κυρίῳ, 23. ὅτι ἀνήρ ἐστιν κεφαλὴ τῆς γυναικὸς ὡς καὶ ὁ Χριστὸς κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας, αὐτὸς σωτὴρ τοῦ σώματος. 24. ἀλλὰ ὡς ἡ ἐκκλησία ὑποτάσσεται τῷ Χριστῷ, οὕτως καὶ αἱ γυναῖκες τοῖς ἀνδράσιν ἐν παντί. 25. Οἱ ἄνδρες, ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς, 26. ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, 27. ἵνα παραστήσῃ αὐτὸς ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. 28. οὕτως ὀφείλουσιν καὶ οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα. ὁ ἀγαπῶν τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἑαυτὸν ἀγαπᾷ. 29. οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλὰ ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς τὴν ἐκκλησίαν, 30. ὅτι μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος αὐτοῦ. 31. ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικί, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. 32. τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. 33. πλὴν καὶ ὑμεῖς οἱ καθ' ἕνα ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα οὕτως ἀγαπάτω ὡς ἑαυτόν, ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα.

Apostolus non solum prohibuit ne communicarent operibus infructuosis tenebrarum, verum etiam mandavit fidelibus : magis autem redarguite (v. 11). Unde quam maxime opus est, ut nunc moneat[1] : *videte itaque* ἀκριβῶς accurate, diligenter considerate, quomodo debeatis vos ipsi ambulare, conversari, vitam agere, scil. *non quasi insipientes* cf. 4,18; 5,6; 4,17 in vanitate sensus; *sed ut sapientes* i. e. in oppositione ad insipientes, caute et prudenter, maxima circumspectione quasi in via periculis et offensionibus plena. Est sapiens ille, qui apte omnibus sub-

1. Alii negant hunc nexum, quia adhortatio plane generalis proponitur et quia quae subsequuntur, iam non ad *redarguite* referri possunt. Unde volunt apostolum reverti ad v. 8-10 et continuare admonitionem ibi inceptam (cf. *Abb. Hpt.*).

sidiis utitur ad propositum assequendum. Alia quoque fertur lectio quam vulg. exhibet, ut ἀκριβῶς referatur ad *ambuletis*, scil. ut omnis vitae et agendi ratio accurate et diligenter ad normam rectam disponatur, curandum est; ἀκριβῶς in ista collocatione declaratur sequentibus verbis : non quasi, etc.

Atque sapientem esse in adhibendis subsidiis et in rebus tractandis quam maxime in eo consistit, ut quis ex opportunitate sibi oblata summam quam potest utilitatem capiat, i. e. *redimentes tempus*; redimitur tempus, si quodvis temporis momentum bene adhibetur ad ea agenda vel lucranda quae sua cuiusque conditione, munere, officio exiguntur.

Quando in bono opere, ait *Hier.*, tempus consumimus, emimus illud et proprium facimus. Idem spectat apostolus scribens Galatis : ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal. 6, 10). Aliqui latini interpretes tempus antea in peccatis perditum nunc maiore studio bonorum operum esse redimendum explicant. Sensus quidem est pius; at iam *Lap.* monet apostolum non loqui de tempore praeterito, sed de tempore praesenti, neque dicere dies praeteritos malos fuisse. Neque in latino redimere quasi iterum emere insistendum est. Nam ἐξαγοράζειν est tempus lucrari, sibi comparare, in suam convertere utilitatem ; ita dicit Nabuchodonosor magis qui nescientes responsum tempus lucrari volunt : in veritate video ego ὅτι καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε (Dan. 2,8 LXX, Theodotio); *quoniam dies mali sunt*, positi estis in medio nationis pravae et perversae (Phil. 2,15), eo magis opus est sedulitate et studio ad opera bona facienda, ad Christi causam promovendam. Uti Severianus (cat. p. 199) rem considerat, tempus praesens est positum in servitute, servit malis, δουλεύει τοῖς πονηροῖς, redimite illud, ἐξαγοράσασθε quasi ex servitute illa emite, exemite illud, ut adhibeatis illud ad pietatem. Dies malos alii intelligunt de periculis et tentationibus vitae, de persecutionibus et variis insidiis, quibus salus nostra in discrimen vocari possit. Ceterum cf. Col. 4,5; « accelera cum sapientia uti tempore convenienter » (*ThdM.* Swete, p. 181).

Varia itaque impedimenta et pericula opponuntur fidelibus, si causam Christi apud se ipsos et apud alios tueri et promovere satagunt; illa impedimenta et pericula sunt *dies mali*, tempora prava; unde pergit v. 17 *propterea nolite fieri imprudentes*, ἄφρονες, quibus deest necessaria consideratio rerum et circumspectio, *sed intelligentes*, ἀλλὰ συνίετε, sed intelligite (*Hier.*) in quavis re et in quavis conditione sedulo inquirite et discite *quae sit voluntas Dei*, quae sit voluntas Christi, τοῦ Κυρίου, quid Christus eiusque causa a vobis exigat, quid ei probetur. Vera itaque sapientia habetur, quando norma a Deo proposita cognoscitur et opere

et vita exprimitur. Admonitio ut est generalis, fere in memoriam revocat idem quod 4,1 dictum est, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Hanc autem vocationem, quatenus vita spectatur praesens, habent declaratam in eo τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου, quae sit voluntas Christi. Iam ad hanc voluntatem Christi pro vita iis exhibendam apostolus praecepta quaedam et monita specialia tradit.

Discrimen hominis veteris et novi apostolus in v. 18 et 19 ob oculos adhuc habuisse videtur. Homo vetus hilaritatem suam quaesivit et invenit in ebrietate vini. Novo vero homini praecipitur v. 18 *et nolite inebriari vino*, verba recitat apostolus ex Prov. 23,31 LXX μὴ μεθύσκεσθε ἐν οἴνοις (Λ οἴνῳ, uti hic), *in quo est luxuria*, cf. Prov. 20,1 luxuriosa res, vinum, ἀσωτία, vide Luc. 15,13 vivendo ἀσώτως, id quod v. 30 explicari videtur : dissipavit substantiam suam cum meretricibus. Et qualis vita dissoluta ebrietate efficiatur, ad oculum exhibetur Prov. 23,29 sq. Una voce plura significari opinatur *Hier.* : « qui vino impletur habet insipientiam, furorem, procacitatem, libidinem; hoc quippe aestimo uno verbo significare luxuriam ». Aliter vocem explicant *Chrys. Thph.* ἄμετρος χρῆσις, immoderatus usus, non enim servat (σώζει) sed perdit, non corpus solum, sed et animam ; aliam *Thph.* affert explicationem κατὰ τὴν τῶν ἰδιωτῶν συνήθειαν, iuxta vulgi consuetudinem, τὴν ἀκολασίαν (impunitatem, libidinem). Recte notat *Est.* ἀσωτίαν non ad sola peccata libidinis pertinere, sed ad universum genus intemperantiae, lascivitatis et prodigalitatis extendi (cf. Prov. 28,7).

Homo autem novus gaudium suum et animum hilarem haurit ex gratia et laetitia, cuius auctor est Spiritus sanctus, *sed implemini Spiritu* (*sancto*), ἐν πνεύματι (sicut dicitur μεθύσκεσθαι ἐν Prov. 23,31); cf. 1,13.14 ; 2,22; acceperunt enim Spiritum sanctum; eius ductu et impulsu regantur. Quando itaque fideles in unum conveniunt, sive ad agapen [1], sive in domum ad mensam et cibum, non profanis cantionibus utantur, sed inter se sacris carminibus laetitiam explicent v. 19 *loquentes vobismetipsis* ἑαυτοῖς, explica ἀλλήλοις; cf. 4,32. Col. 3,13.16. 1 Cor. 6,7. Luc. 23,12), *in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus*, sacris, de rebus sacris; hoc enim loco sermo est de frequentia et celebritate fidelium inter se (non de charismate, uti 1 Cor. 14,26 unusquisque vestrum psalmum habet). Pias in suis conventibus usurpent cantiones; vix inter varia illa nomina erit quaerendum magnum discrimen; hymnos quidem ait *Hier.* esse, qui fortitudinem ac maiestatem Dei praedicant et eiusdem beneficia vel facta mirantur; spirituali cantico concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam celebrari ; psalmos

1. Ita bene de agapis explicat *Ephrem Baumgartner*, Eucharistie und Agape im Urchristentum, p. 212 sq. 217.

ad ethicum locum pertinere, ut quid faciendum, quid vitandum sit, noverimus. Exemplum habetur Act. 4,24-30; 16,25.

Uti fideles inter se in suis congressibus laetitiam suam cantibus prodant, ita quoque in conventu sacro *cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* laudes persolvant, *in cordibus* i. e. sapienter animum adhibentes; nam qui animum non adhibent, temere canunt verba loquentes corde alibi vagante (*Chrys.*); qui attendit, ille corde psallit (*Thph.*). Notum est quod scribit Plinius (Ep. 10,97) de priscis fidelibus, ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem. Prae aliis commendat apostolus v. 20 *gratias agentes semper pro omnibus* ὑπὲρ πάντων de omnibus quae eveniunt; fidelibus hanc gratiarum actionem praecipit, ut memores sint, quanta acceperint beneficia vocatione ad fidem et ad regnum Dei (cf. 1,3 seq. 2,11 seq. 3,18; similiter 1 Thess. 5,18 in omnibus gratias agite; nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (Rom. 8,28); et *Hier.* affert exemplum Job (1,21); « et iuxta apostolum haec virtus est maxima, ut in ipsis periculis et miseriis Deo gratiae referantur et semper dicamus : bendictus Deus; minora me scio sustinere quam mereor; haec ad mea peccata parva sunt » (*Hier.*). Gratiae agendae sunt *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, nomen saepe pro ipsa persona ponitur, unde in nomine Domini potest idem esse ac in Domino, in unione cum Christo (cf. Ioan. 14,13.14); ita orare in nomine Christi est orare in coniunctione cum Christo et ad eius opus promovendum; gratias agimus in nomine eius, conscii scil. nobis propter eum, eius merito et respectu beneficia praestari et nos in hac gratiarum actione cum eo coniunctos eius mandato gratias persolvere *Deo et Patri*, qui nobis misit Filium ad ea beneficia nobis conferenda, *Patri* scil. omnium bonorum auctori sine auctore, et principio sine principio (*Est.*). Maiore quadam sollemnitate designat Patris personam, ad quem accessum habemus acceptum in Christo (3,12), unde in nomine quoque Christi, eius personam et eius opus et merita professi et quasi Patri obtendentes gratias agimus.

Quod sequitur : *subiecti invicem in timore Christi*, secundum formam grammaticam videtur pertinere ad antecedentia et adnecti ad quattuor illa participia, quae dependent a sententia : implemini Spiritu, et ita haberi quintum videtur participium, quo alius effectus describitur consequens ex inhabitatione Spiritus, scil. ut alii aliis subiecti sint, idque non ob timorem humanum, sed Christi (*Thom.*) : ita iungunt cum antecedentibus *Chrys. Thom. Cai. Est. Bels.* alii. Fructus Spiritus assignatur inter alia pax et πραΰτης, mansuetudo, modestia (Gal. 5,23); unde ad Spiritus impulsum omnino referri potest, ut debita subiectione rectus ordo servetur et illa subiectio exhibeatur ratione habita Christi eiusque

mandati. Quare haec explicatio per se non videtur esse aliena a contextu. Quod obstat, est v. 22, quia graece sine proprio verbo legitur; id quod etiam *Hier.* monet : « hoc quod in latinis exemplaribus additum est *subditae sint*, in graecis codicibus non habetur, si quidem ad superiora refertur et subauditur : subiecti invicem in timore Christi, ut ἀπὸ κοινοῦ resonet *subiectae*, et mulieres viris suis sicut Domino; sed hoc magis in graeco intelligitur quam in latino ». Ergo in v. 21 potius nova series admonitionum inducitur. Id sensit etiam *Lap.* scribens : « est nova ethica sententia; apostolus enim, ut alias dixi, per sententias more veterum non connexas, sed disparatas, tradit praecepta de moribus ». Aliis placuit ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις quasi nominativum absolutum [1] praemitti (et sensum accedere ad Rom. 12,10) : dum inter vos honore praevenitis et alii aliis sunt subiecti, v. 22 *mulieres viris suis* (*sint subditae*) *sicut Domino*, ita explicant *Henle*, *Ew.* Participium pro indicativo et imperativo usuveniebat in lingua vulgari : cfr. Moulton, Grammar of N.T. Greek, I p. 222-3.

Uti *Thom.* adnotat, praeceptis generalibus adiungit apostolus ea « quae pertinent ad speciales quasdam personas et status; et quia domus habet tres connexiones, sine quibus non est perfecta, sc. viri et mulieris, patris et filii, domini et servi, ideo haec tria prosequens instruit », v. 5,22-6,9. Sicut apostolus ex una parte affirmat aequalitatem omnium coram Christo : non est Iudaeus neque graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum (εἷς unus) estis in Christo (Gal. 3,28), ita tamen in ordine sociali et in muneribus prospicit et mandat, ut in sua quisque conditione retineatur. Igitur praecipit, ut mulieres τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν propriis viris sint subiectae, *sicut Domino*, sicut Christo, in viris suis considerantes Christum, ut obedientia et subiectio viro praestita sit obedientia et subiectio Christo exhibita; « utpote quae sciatis, quod Domino servitis; quando cedis marito, ut Domino serviens te obsequi puta; nam si is qui his externis civilibus potestatibus resistit, Dei resistit ordinationi (Rom. 13,2), multo magis quae marito non subiicitur; sic Deus voluit ab initio » (*Chrys.*). Praestatur itaque subiectio propter Christum, qui talem ordinem ac subiectionem praecipit. Quare vero sensu in tali subiectione sese potissimum Christo submittunt.

Mulieres pronas fuisse ad maiorem quandam libertatem appetendam, iam satis elucet, uti ex indole muliebri, ita ex epistola ad Corinthios (1 Cor. 11,3-16; 14,34-36). Quare apostolus etiam rationem affert v. 23 *quoniam vir caput est mulieris*, iam respicit societatem matrimonialem

1. Per modum quasi exclamationis et imperativi : subditi invicem, mulieres viris suis !

quasi imaginem quandam regni Christi, *sicut Christus caput est ecclesiae*, qua comparatione etiam illustratur, cur praeceperit, ut mulieres viris obediant sicut Domino (v. 22). In generali ratione capitis insistitur; sicut Christus praeest ecclesiae, eam gubernat ac protegit, ita maritus uxori praeesse debet eamque regere ad bonum eius et familiae (*Est.*). Magnum quidem, imo maximum intercedit discrimen et intervallum inter Christum et maritum; nam Christus *ipse salvator corporis* (*sui*), salvator est ecclesiae, id quod de marito dici nequit ratione mulieris; *sed* tali discrimine non obstante tamen *sicut ecclesia subiecta est Christo*, *ita et mulieres viris suis in omnibus*, ἐν παντί, in quavis re, scil. ad quam viri potestas seu superioritas se extendit; ea autem sunt, quaecumque ad gubernationem domesticam pertinent (*Est.*). Apposite notat *Hier.*: « si enim ita uxor subiicienda viro est, ut Christo ecclesia, inter virum et uxorem erit sancta coniunctio, et nunquam corporis servient passionibus. »

Quid Christus praestiterit ecclesiae, satis declaratur voce salvatoris. Etiam virum debere uxori succurrere et aliquo modo Christum imitari, explicat apostolus v. 25 *viri*, *diligite uxores vestras*, en, exemplum dilectionis Christi, *seipsum tradidit pro ea* in mortem, tradidit se oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (5,2), v. 26 *ut illam sanctificaret*, ut illam consecraret in obsequium ac servitium Dei *mundans* καθαρίσας dum eam mundavit *lavacro aquae in verbo* (*vitae*), sacro scil. baptismo, quod lavacrum aquae administratur simul cum verbo et verbo (formula baptismi) efficit emundationem; adhibetur ἐν ad conditionem concomitantem designandam (ubi germanice dicitur mit, unter, bei). Declaratur itaque, qua re fiat haec mundatio: ἐν ῥήματι; sunt qui explicent de verbo praedicationis, de evangelio (praeter novatores etiam *Est.*); verum ea notione legitur quidem λόγος, nunquam autem ῥῆμα, quare recentiores eam explicationem non admittunt (cf. *Hpt. Eto. Abb.*); ἐν ῥήματι per se solum dicit adiungi ad lotionem aliquod verbum notione indeterminata; ergo non sola lotione haberi effectum, sed ad effectum consequendum debere accedere verbum; quale sit hoc verbum, ex coniunctione cum lavacro aquae colligi oportet; unde formula quaedam baptismi infertur. Illud *vitae* nec graece nec apud *Hier. Ambr.*, etc. habetur, quare ad explicationem ἐν ῥήματι non potest provocari ad locos Joan. 15,3; Rom. 10,8; 1 Petr. 1,23.25; Iac. 1,18, in quibus omnibus legitur determinatio certa voci adiuncta: hoc est verbum fidei quod praedicamus; hoc est verbum quod evangelizatum est in vos; vel non adhibetur ῥῆμα, sed λόγος.

Atque Christus non solum semel baptismo consecrat et mundat ecclesiam, verum eius dilectio et oblatio sui ipsius pro ea etiam in id tendit et extenditur, ut non solum conservetur in munditie accepta, sed ut ad

maiorem ornatum decoremque provehatur. Quomodo v. 27 concipi oporteat, hisce iam declaratur; cum sine ulla particula coniunctionis pergatur v. 27 *ut exhiberet*, ἵνα παραστήσῃ, iam satis ostenditur, prius illud ἵνα v. 26 non simpliciter continuari, verum alterum ἵνα v. 27 referri ad v. 25 et 26, et ad hanc sententiam ex utroque membro complexam ulteriorem Christi intentionem adiungi : *ut exhiberet ipse* αὐτός cum ictu effertur, cum iam eius actio continua per cursum saeculorum designanda sit, *sibi gloriosam ecclesiam* ἔνδοξον, splendidam; haec gloria vel hic splendor explicatur prius absentia omnis deformitatis : *non habentem maculam* σπῖλον *aut rugam aut aliquid huiusmodi;* nam praeter simplicem munditiem et pulchritudinem requiritur color quidam splendidus, cui nulla insit macula ; potest quis esse perfecte mundus et tamen habere rugas quae venustati quidem maxime, munditiei nullatenus repugnant; splendor explicatur secundo directe et per se, sed *ut sit sancta* ἁγία consecrata, Deo plane devota *et immaculata* ab omni defectu immunis; a quavis macula scil. qua splendor ille pulchritudinis, ἔνδοξος, imminui posset. Notat *Hier.* : pulchre quoque maculam et rugam, quia de coniugio loquebatur, de exemplo mulierum ad decorem traxit ecclesiae (similiter *Est. Lap. Iust.*).

Dicit Dominus : qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus (Ioan. 13,10); qui e balneo domum revertitur, per viam aliquid pulveris pedibus aspergit, quos si domi laverit, mundus est totus. Christus ecclesiam suam, singulos electos lavacro baptismatis mundat; iam post tale lavacrum incedendum est per viam vitae variis offendiculis obsitam. Christus in suis puritatem baptismalem non solum conservare vult, sed eam continuo augere, a quovis pulvisculo per viam contracto purgare et animi pulchritudinem in dies reddere magis splendentem desiderat. Ita declarat apostolus dilectionem qua Christus diligit ecclesiam : tradidit se pro ea, et baptismo mundatam continuo protegit, promovet, exornat. Hoc exemplum Christi proponitur maritis v. 28 *ita (et) viri debent diligere uxores suas*, οὕτως ad Christi exemplum ; ergo etiam viris incumbit labores subire pro uxoribus, suis quandoque commodis renuntiare, sese impendere pro iis, eas protegere, adiuvare, earum infirmitatibus compati, infirmiori scil. vasculo impartire honorem (cf. 1 Petr. 3,7). Apte monet *Chrys.* : « ne quaeras ab uxore quae non sunt eius. Vides quod a Domino omnia habuerit ecclesia; ab ipso facta est gloriosa, ab ipso facta est sine macula. Quaere pulchritudinem animae ; imitare Sponsum ecclesiae ».

Ad quam dilectionem commendandam aliam addit apostolus rationem : *ut corpora sua* ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα quippe quae sint sua ipsorum corpora; sicut Christus ecclesiam ut corpus suum diligit, ita vir uxorem, nam vir

quoque est caput mulieris; et alia consideratione adducta : sunt duo in carne una. Iam modus dilectionis exhibetur ea cura et sollicitudine qua quis corpori suo prospicit eique commoda providet. Cum itaque duo sint in carne una, valet : *qui suam uxorem diligit seipsum diligit*, quae sententia quasi per parenthesin inseritur. Nam in v. 29 affertur declaratio quaedam ad verba illa *ut corpora sua;* v. 29 *nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam*, ita re ipsa dilectionem exhibens, *sicut et Christus ecclesiam* nutrit et fovet, quaevis bona ei subministrando in gratiis, doctrina, sacramentis. Ecclesia est Christi corpus (1,22; 4,12-16; 5,23), singuli autem membra; uti vir ad mulierem, ita Christus refertur ad ecclesiam, *quia membra sumus corporis eius;* dum Christus nobis bona confert, ecclesiam suam fovet, quia nos membra sumus ecclesiae. Qua sententia effertur cura quam Christus suis continuo impendit et declaratur re idem quod in v. 27 proponitur. Quod in vulg. additur *de carne eius et de ossibus eius* in melioribus codicibus (ℵ*AB) non habetur, legitur quidem in aliis compluribus, in versione syra, apud Irenaeum, *Hier. Chrys.* etc., at sane melius haec verba hoc loco omittuntur cum editionibus criticis. Nam quid sibi velint verba haec in Gen. 2,23 bene intelligitur; at quid hoc loco? membra sumus corporis Christi; hoc iam habet explicationem spiritualem; sed qualem habebit : sumus nos de carne et de ossibus Christi? estne tacita comparatio cum origine Evae ex Adam? uti Eva ex Adam habuit corporalem materiam, ita nos ex Christo habemus vitam spiritualem?

Explicatio quae tolerari possit, nondum est proposita. Priore loco scribit *Chrys.* : de carne eius et ossibus eius; quomodo? ex nostra factus est materia. Ergo potius valeret illud : Christus est de carne nostra et de ossibus nostris (uti Hebr. 2,14 indicatur). Dein ad repetitam quaestionem : quomodo? respondet *Chrys.* : scitis quicumque estis participes mysteriorum. Videtur alludere ad baptismum et eucharistiam; verum satis obscurus est sermo. Neque sufficit responsio, quia sumus eiusdem cum Christo homine naturae. Aliis placuit hoc : ex carne et ossibus Christi in cruce immolati formata est ecclesia (cf. *Cai. Lap.*). Contentus est *Iust.* generali hac sententia : quia membra sumus corporis eius, aliqua ratione ad eius carnem et ossa pertinemus. Multo minus gignitur aptus sensus, si *de carne* etc. refertur ad *corpus* eius i. e. ad ecclesiam.

De v. 27 fertur alia quaedam expositio. Contendebant pelagiani hominem posse vivere sine peccatis idque a multis quoque praestari; in cuius sententiae confirmationem etiam ad v. 27 provocabant. Contra eos scribens *S. Augustinus* iam ecclesiam gloriosam et sine macula exhiberi contendit non tempore praesenti, sed in futuro, in consummatione saeculorum, in beata resurrectione. Hanc sententiam suam saepius proponit; ita in Retract. I,7; in libro de perfect. iust. de nuptiis et concup. 1,34; contra duas epistolas Pelag. 4,7 (vide *M.* 32,593; 44,340.435.622); et *Hier.* quidem in commentario huius acceptionis mentionem non facit, sed ita loquitur, ut v. 27 de praesenti tempore aperte accipiat; at in dialogo contra Pelagian. 3,13 (*M.* 23,583) explicat de saeculo futuro, item in

comment. Ierem cp. 31 (M. 24,887), quam explicationem etiam sequitur *Primasius* in commentario (*M.* 68,623); eam priore loco proponit *Thom.*, secundo loco de conditione praesenti, scil. de exhibitione per fidem intelligi posse dicit. Agi in v. 27 etiam, uti in v. 26, de praesenti tempore certum est; ita longe plerique accipiunt verba; neque obstat quod non omnia membra ecclesiae sancta sunt; sufficit quod praecipua ecclesiae pars, sancti scil. Christo proxime coniuncti et eius gratia praediti ad eam innocentiae ac puritatis formam aspirant (cf. *Lap.*), sufficit quod ecclesia in suis praestantioribus membris nullam habet eiusmodi maculam, a qua simpliciter quis appellari possit maculatus; tales enim solae sunt maculae mortalium peccatorum (*Est.*). Exprimitur in v. 27 studium et conatus gratiae divinae, ad maiorem in dies perfectionem animas electas promovendi et levissimos quosdam naevos paulatim delendi. Atque revera per saecula Christus semper exhibuit in ecclesia homines eximie sanctos; inde apparet quam vere dicatur post baptismum v. 27. Cf. Is. 61,10. 2 Cor. 11,2.

Interpretes graeci etiam ex v. 27 varia colligunt consectaria pro marito; ita *Theod.* « sicut Christus animae pulchritudinem ecclesiae acquisivit, ita tu quoque de hac curam habe, non de ornatu corporis; si enim animae pulchritudinem inquiras a coniuge, celeriter eam ei efficies, componens ipsam et exhibens eam gloriosam secundum spiritum tibi ipsi et Deo ». Monent *Chrys. Oec. Euth.* : non improperavit Christus ecclesiae, quod talis fuerit, neque tu averseris uxorem ob deformitatem quandam; uti Christus est auctor bonorum pro ecclesia, ita et tu bona uxori procurare debes.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit, et v. 29 uxor est quasi propria viri caro, quam fovet, sicut Christus ecclesiam (insuper vir debet uxorem diligere, sicut Christus dilexit ecclesiam v. 25). Iam si haec est ratio habitudinis viri et uxoris, ut vir se ipsum, carnem suam diligat, ut debeat diligere exemplo Christi, tunc per se sequitur, ut vir relictis omnibus arctissime agglutinetur uxori et nexu indissolubili uniatur; unde ex v. 28.29 recte infertur v. 31 *propter quod* ἀντὶ τούτου, vix differt sensu ab ἕνεκεν τούτου (LXX Gen. 2,24), ἀνθ' ὧν 2 Thess. 2,10 eo quod (Luc. 12,3; 19,44 quoniam, eo quod) *relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit* (agglutinabitur) *uxori suae et erunt duo in carne una* εἰς σάρκα μίαν, erunt duo una caro. Utitur apostolus ad suam enuntiandam sententiam verbis ex Gen. 2,24 vel potius ipsis verbis s. Scripturae maluit rem proponere, quibus clarissime ostenditur inter humanas necessitudines arctissimum et inviolabile esse vinculum matrimonii (*Lap.*). Apostolus etiam alias quandoque utitur verbis s. Scripturae ad suam sententiam proponendum, ita ut minime indicet ea esse Scripturae verba; ita Rom. 10,13.

Hanc viri ad uxorum adhaesionem relictis parentibus praedicat apostolus v. 32 *sacramentum hoc* τὸ μυστήριον[1] τοῦτο *magnum est*, idque naturali iam consideratione pluribus effert *Chrys.* « eo qui procreavit,

1. Vertitur per sacramentum Eph. 1,9; 3,3.9. Col. 1,27. 1 Tim. 3,16. Apoc. 1,20 17,7. Alias retinetur mysterium in versione novi testamenti.

genuit, educavit, et ea quae concepit, cum dolore peperit, iis qui tot et tantis affecerunt beneficiis, quibuscum diuturnus fuit usus, relictis, ei adhaeret quae ne visa quidem fuit et secum nihil habuit commune eamque omnibus praefert! Et parentes, cum haec fiunt, non aegre ferunt, sed potius aegre ferunt, si non fiunt ». Sed potius dicendum est : arctissima illa coniunctio viri et mulieris magnae alicuius sacrae et arcanae rei signum ac symbolum est. Mysterium itaque est illud ipsum sublime quod in matrimonio quasi in imagine repraesentatur. Et altius hoc indicat apostolus : *ego autem dico in Christo et in ecclesia*, εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν i. e. ego autem censeo in arcta illa adhaesione viri ad uxorem nobis exhiberi mysterium magnum, habitudinem Christi ad ecclesiam. Et revera apostolus in tota hac de matrimonio disputatione consideravit habitudinem Christi ad ecclesiam tamquam exemplar, secundum quod matrimonium debeat constitui; ita v. 22 mulieres obediant, sicut Christo, v. 23 uti Christus caput ecclesiae, ita vir caput mulieris, v. 24 uti ecclesia Christo subiecta, ita mulier viro, v. 25 uti Christus dilexit ecclesiam, ita viri diligant uxores etc. Unde arcta illa adhaesio relictis parentibus habet pari modo suum exemplar et prototypum in indissolubili unione Christi cum ecclesia. Est itaque naturalis illa viri ad uxorem quasi agglutinatio (προσκόλλησις) imago quaedam et representatio rei sacrae, figura altioris mysterii quod tandem patefactum est in unione Christi cum ecclesia. Inde elucet praeclara dignitas matrimonii.

Qua consideratione ab apostolo facta etiam innuitur indoles et natura sacramentalis matrimonii christiani. Aperte enim describitur tamquam signum unionis Christi cum ecclesia; haec autem unio exhibetur sanctificans ecclesiam (v. 25.26); secundum exemplar huius sanctificationis v. 28 ita viri debent diligere uxores suas; id quod quam perfectissime fit, si ipsi contractui matrimoniali adnexa est gratia sanctificans, i. e si matrimonium est sacramentum. Unde merito dicit Concilium tridentinum : « gratiam quae naturalem illum amorem perficeret et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus apostolus innuit dicens : viri diligite uxores vestras, sicut Christus, etc. » (Sess. 24). Attende quoque quod *Iust.* monet : « qui igitur ex hoc loco probari necessario putant fidelium matrimonium esse vere ac proprie sacramentum, non satis, ut ego arbitror, firmo argumento rem verissimam probant ». Concedit *Iust.* quidem coniugium fidelium signum esse rei plane sacrae, imo etiam sanctificantis, non tamen quae sacramento includatur vel eius vi atque efficientia perficiatur; i. e. ex solo textu seu ex voce mysterii rationem sacramentalem non efficaciter posse ostendi. Pariter *Cai.* scribit : « non habes ex hoc

loco, prudens lector, a Paulo coniugium esse sacramentum ; non enim dicit sacramentum, sed mysterium ».

Veteres quidam et recentiores verba apostoli *sacramentum hoc magnum* etc. ita intelligunt, ut apostolus verba illa Gen. 2,24 voluerit mystice seu prophetice explicari de Christo et ecclesia. Ita scribit *Hier.* : « primus homo et primus vates Adam hoc de Christo et de ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster Patrem suum Deum et matrem suam, coelestem Ierusalem et venerit ad terras propter suum corpus ecclesiam » ; alii matrem intelligunt synagogam quam Christus reliquerit (*August. Thom.*). Intelligi Christi coniunctionem cum ecclesia (mysterium Incarnationis) *Chrys. Theod. Thph.* etc. verbis illis existimant. Recentioribus acatholicis visum est haec verba referri ad secundum Christi adventum, quo tempore Christus relicturus sit Patrem, ut se uniat cum ecclesia (vide apud *Hpt.* qui eam acceptionem pluribus refutat). Sed nulla re indicatur apostolum verba illa velle alio sensu proponere quam quo ex contextu accipienda sint. Neque εἰς Χριστόν καὶ τὴν ἐκκλησίαν statim ostendit, ea verba immediate transferenda esse ad vaticinium quoddam Gen. 2,24 enuntiatum ; insuper attende quam coacte verba illa ad Christum applicentur : relinquere patrem, quae est eius mater? et quomodo dicitur ἄνθρωτος ante coniunctionem cum natura humana? Alii videntur ex futuro *relinquet* καταλείψει arguere ; at non omne futurum est propheticum ; dicitur etiam de iis quae communiter, semper fiunt, quae tamquam conclusiones legitimae inferuntur, etc. Insuper attende, quod iam monui, verba haec non induci formula citationis. Ex ipso textu Gen. 2,24 nimime elucet, ea ab Adamo esse dicta ; multo magis obvium esse videtur, talia ab auctore sacro esse addita ad explicationem naturalis illius propensionis.

In v. 32 uno conspectu et sententia generali totam matrimonii dignitatem proposuit ; particula πλὴν revertitur ad applicationem particularem (πλὴν jedoch, indessen ; cf. *Blass* § 77,13) v. 33. *verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*, οὕτως ita diligat ὡς ἑαυτόν, est norma pro vita communi obvia et facilis ; nam quisque optime scit quid sibi velit fieri ; ergo omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis (Matth, 7,12) ; cf. v. 28. Cum vir sit caput, dominus, ei praeprimis dilectio commendanda est, ne abutatur sua protestate ; *uxor autem timeat virum (suum)*, revereatur ; timeat timore reverentiae et subiectionis (*Thom.*) ; cf. v. 22.24 ; neque enim, ut *Chrys.* ait, mulier exigat aequalitatem honoris ; debet agnoscere virum superiorem.

Praecepta pro familia 6,1-9.

6,1. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino ; hoc enim iustum est.* 2. *Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione,* 3. *ut*

6,1. Τὰ τέκνα, ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν ἐν Κυρίῳ· τοῦτο γάρ ἐστιν δίκαιον. 2. τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα, ἥτις ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ, 3. ἵνα εὖ σοι

bene tibi sit et sis longaevus super terram.
4. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.*

5. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo;* 6. *non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,* 7. *cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus;* 8. *scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* 9. *Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis; et personarum acceptio non est apud eum.*

γένηται καὶ ἔσῃ μακροχρόνιος ἐπὶ τῆς γῆς. 4. Καὶ οἱ πατέρες, μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, ἀλλὰ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου.

5. Οἱ δοῦλοι, ὑπακούετε τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν, ὡς τῷ Χριστῷ, 6. μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλίαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ' ὡς δοῦλοι Χριστοῦ ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ἐκ ψυχῆς, 7. μετ' εὐνοίας δουλεύοντες ὡς τῷ Κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις, 8. εἰδότες ὅτι ἕκαστος ἐάν τι ποιήσῃ ἀγαθόν, τοῦτο κομίσεται παρὰ Κυρίου, εἴτε δοῦλος, εἴτε ἐλεύθερος. 9. Καὶ οἱ κύριοι τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτούς, ἀνιέντες τὴν ἀπειλήν, εἰδότες ὅτι καὶ αὐτῶν καὶ ὑμῶν ὁ Κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς καὶ προσωπολημψία οὐκ ἔστιν παρ' αὐτῷ.

« Ab officio coniugum transit ad mutua officia filiorum et parentum » ; ita *Est.* indicat nexum verbis quidem iusto amplioribus. Nam neque officium coniugum in antecedentibus est expositum — multo plura erant praecipienda — neque in subsequentibus declarantur mutua officia, nisi pauca quaedam. Apostolus itaque, uti de viro et muliere, ita nunc de reliqua familia summa quaedam capita breviter tradit. Et filiis quidem praecipit obedientiam parentibus exhibendam. Quod additur *in Domino* (deest in aliquibus testibus BD*FG) iam Origenes (cat.) et *Hier.* monent ambigue esse dictum, utrum pertineat ad parentes an ad obedite. Sed certe ex modo quo apostolus loqui solebat 5,22, non dubium erit quin describatur illud *obedite*, cuius obedientiae ratio et fundamentum pariter habetur in Domino et quae obedientia pertinet ad vitam illam *in Domino* agendam, in unione cum Domino, in eius exemplo et doctrina fundatam. Indirecte et ex necessaria consecutione sequitur in rebus pravis quae praeciperentur nullatenus esse obediendum. At non hoc, sed quo animo obediendum sit, apostolus directe indicat. Ulterius commendat obedientiam : *hoc enim iustum est*, natura (φύσει) iustum est et a lege praeceptum est (*Thph.*); id exigitur, ut a quibus vitam acceperimus, obedientiam iis reddamus (*Est.*); dein generatim δίκαιον est quod voluntati Dei congruit.

Et iustum esse, i. e. lege Dei praescriptum, probat apostolus v. 2 ex decalogo, *honora* (Ex. 20, 12. Deut. 5,16) « quod mandatum in decalogo quintum est » (*Hier.*, ergo considerat ut speciale mandatum : non facies tibi sculptile, prout alii quoque numerant); *quod est mandatum primum in promissione*, ἐν, simul cum promissione : cf. 4,19. Col. 4,2. Sensus obvius est : huic mandato prae aliis primo loco adnexa est promissio. Atque haec acceptio a plerisque proponitur. Sed iam *Hier.* monet : « sed videntur mihi non observasse subtilius, et in secundo mandato repro-

missionem esse sociatam »; verum mox ipse advertit, ad mandatum illud « non facies tibi sculptile » non tam promissionem datam, quam sententiam in laudes Dei esse finitam. Et revera Ex. 20,5.6 : ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes etc., maiestas divina, ulciscens malum, faciens misericordiam diligentibus Deum, describitur ad timorem et reverentiam mandatorum excitandam. Neque verbis istis continetur promissio specialis, sed communis et quidem tam comminatio quam promissio. Quarto autem mandato additur primo promissio propria et specialis (*Lap.*). Alii, uti *Ambrst. Pelag. Thom.* monent esse hoc mandatum primum scil. in secunda tabula, quae de hominibus mandata continet. Sed si dicitur primum in promissione, ubi est secundum, tertium? vix poterit cogitari de mandatis et promissionibus postea promulgatis; neque valebit quod *Hier.* coniectando ponit : « forsitan quia decalogus exeunti de Aegypto populo prima lex data est, unumquodque mandatum decalogi primum mandatum est appellatum ad comparationem eorum praeceptorum, quae postea in lege conscripta sunt ». Quare alii ἐντολὴ πρώτη explicare malunt mandatum eximium, praestans (*Hpt. Ew.*). At certe retineri poterit sensus obvius : non primum ordine, sed promissione (*Chrys.*).

Promissio est temporalis, indoli veteris legis congrua, v. 3 *ut bene sit tibi et sis longaevus*, nam viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Ps. 54,24); monent graeci eam promissionem quam maxime pueris convenire; quid enim iucundius pueris quam diu vivere (cf. *Chrys. Thph. Oec. Euth.*)? promittitur itaque morigeris vita felix et diuturna in terra. Haec promissio ab apostolo adducta ad mandatum commendandum vero aliquo sensu debebit etiam valere pro tempore novi foederis. Adnotat quidem *Hier.* : « multos fuisse credendum, qui et parentibus obsequentes cito mortui sint, et in parentes impii usque ad extremam venerint senectutem »; unde vult « non iudaicum et carnale esse promissum ». Sed ob oculos habendum erit, bona temporalia promitti vere quidem, non tamen absolute et pro omni casu; virtuti et obedientiae non deerit praemium; deficiente terreno succedet excellentius et sublimius. Ceterum recole : pietas autem ἡ δὲ εὐσέβεια, ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae (1 Tim. 4,8).

Uti filiis incumbunt officia erga parentes, ita vicissim parentibus erga filios. Ad hanc quasi aequalitatem officiorum designandam pergitur v. 4 *et vos patres*, μὴ παροργίζετε ne exacerbate filios vestros, nimia scil. severitate; ne abutantur sua in filios potestate; « parentibus moderatum iubetur imperium, ut non quasi servis, sed quasi filiis praeesse se noverint » (*Hier.*). Prohibitioni adiungitur quid illis praestandum sit, *sed educate illos in disciplina et correptione Domini*, « quam correptionem nos légimus,

melius in graeco dicitur νουθεσία quae admonitionem magis et eruditionem quam austeritatem sonat » (*Hier.*). Institutionem et admonitionem talem tradant quae sit *Domini*, conveniens Christi doctrinae, talem qualem Dominus tradi vult. Anceps est vox παιδεία, disciplina ; dicit institutionem, eruditionem, admonitionem, sed etiam castigationem, correptionem, obiurgationem, ut *Lap. Est.* recte notant ; cf. Hebr. 12,5-11 adhibetur παιδεία hac notione. Bonum itaque filiorum spectare debent ; maximus thesaurus quem filiis relinquunt, est bona educatio, ut *Lap.* monet.

Praeter coniuges et filios servorum quoque virtus confert ad domum constituendam et administrandam ; propterea beatus Paulus ne hanc quidem partem neglexit (*Chrys.*) ; v. 5 *servi, obedite dominis carnalibus* τοῖς κατὰ σάρκα, dominis temporalibus, qui secundum normam *carnis*, normam terrenam, mundanam, domini sunt ; *cum timore et tremore ;* ait quidem *Hier.* : ubi tremor est, metus non sonabit reverentiam, sed timorem ; id quod certe verum est. At simul adverti oportet apostolum ea dictione saepius uti ; ipse fuit apud Corinthios in timore ac tremore multo (1 Cor. 2,3) ; exceperunt Corinthii Titum cum timore et tremore (2 Cor. 7,15) et demum monet fideles : cum metu et tremore vestram salutem operamini (Phil. 2,12). Commendatur accurata quaedam sollicitudo in servitio praestando coniuncta cum timore, quo omnis negligentia arceatur, *in simplicitate cordis vestri*, animo simplici, recto ; candide, non fraudulenter, sincere, *sicut Christo*, in isto servitio agnoscite obsequium et servitium Christo praestandum, qui talem obedientiam exigat. Memoria Christi et respectu habito ad eius exemplum et doctrinam conditio servilis evadit minus onerosa ; servus iam est servus Christi et ut talis magna cura sua subit munera ; cf. Col. 3,24 : Domino Christo servite.

Iam istud ὡς τῷ Χριστῷ magis declaratur v. 6 *non ad oculum servientes* μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλίαν, minime sit obsequium ad oculos exhibitum, scil. praesente solum et vidente domino, quod absente hero vel non advertente negligeretur et omitteretur ; quibus satis est solum in conspectu herorum facere officium, vel solum laudem eorum carpere aut poenam avertere, hi agunt *quasi hominibus placentes*, hi unice student hominibus placere, totum reponentes in approbatione hominum. Non ita sentiant servi fideles : *sed ut servi Christi*, sese considerent servos Christi, Christo obsequium exhibentes ; quod omnino verum est ; nam *facientes voluntatem Dei*, est voluntas, praeceptum Dei, ut servi obediant heris ; et hoc Dei praeceptum impleant *ex animo* ἐκ ψυχῆς, non mere coacte, sed libenter, sincere, diligenter, sicuti solent agere, quibus aliquod negotium revera cordi est. Idque enucleatius proponitur v. 7 *cum bona voluntate* μετὰ εὐνοίας, animo benevolo *servientes*, non gravate, morose,

sed animo bene, amice composito; et obsequium consideretur oportet praestandum *sicut Domino et non hominibus;* ad altius itaque erigendi sunt mentis oculi; homines sunt quasi oblivioni dandi; v. 8 *scientes* bene animo intelligentes, pro quovis bono si quid praestiterit, unumquemque accepturum mercedem a Domino *sive servus, sive liber;* in iure civili servis vix ullum ius concedebatur; apud Deum autem aequali ratione aestimantur servi et liberi secundum sua cuiusque opera. Magnum pro miseris mancipiis, qui non ut homines sed ut instrumenta considerabantur, in re christiana solatium! Interpres acatholicus, *Eio.* opportunum censet suos lectores monere, istis tamen verbis nullatenus mercedem nobis proponi tamquam rationem ob quam agamus.

Demum instruit dominos et facit duo : ponit monitionem, subdit rationem (*Thom.*); v. 9 *et vos domini eadem facite illis*, τὰ αὐτά, quo sensu? *Chrys.* μετ' εὐνοίας δουλεύετε, at non dixit δουλεύετε, quamvis dicens τὰ αὐτὰ hoc indicavit; nam et dominus servit; servit enim quodammodo dominus curam gerens servorum, cibos et vestes praebens (*Thph. Euth.*); eadem facite, scil. identitate proportionis, ut sicut illi ex animo et bona voluntate, ita et vos faciatis (*Thom.*), eadem, non opere et officio, sed modo et proportione (*Est.*). Et eius animi benevoli documentum erit : *remittentes minas* ut omittant comminationes, ne servos cum acerbitate et severitate adhibeant, ne sint minabundi; *Chrys.* μὴ φορτικοὶ μηδὲ ἐπαχθεῖς γίνεσθε ne se exhibeant importunos, molestos, onerosos. Cur aeque ac benevole servi tractandi sint, rationem affert apostolus quam didicerunt ac norunt fideles : *scientes* dominorum et servorum dominum esse in coelis; unum habent dominum coelestem servi et dominus, et dominus ille coelestis suorum omnium curam gerit; proinde vindicabit iniuriam servis illatam. Vult coelestis ille Dominus aequitatem servari et iustitiam ab omnibus; omnes ipse quoque aequa lance iudicat, *et personarum acceptio non est apud eam*; partium studio minime tangitur, neque vir nobilis ideo apud eum valet quia nobilis est; non personas respicit, sed personarum opera et merita; cf. Act. 10,34. Col. 3,25. Germina ponuntur ad servitutis duritiem tollendam et ad penitus tandem servitutem abolendam. Ceterum vide Col, 4,1.

Ut obscuritas seu difficultas removeatur, quae in monitione τὰ αὐτὰ ποιεῖτε πρὸς αὐτούς contineatur, aliqui putarunt τὰ αὐτὰ posse referri ad ἀγαθόν v. 8; servus domino praestat bonum, idem praestet herus servo (cf. *Hpt.*). At statim apparet, hoc admitti non posse. Nam sententia in v. 8 « *quodcumque fecerit bonum* » non speciatim agit de bono quod hero praestandum sit, sed est sententia prorsus generalis, uti patet, cum dicatur : unusquisque, sive servus sive liber, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino. Quod autem opponitur, μετὰ εὐνοίας dici de animi sensu, et ideo τὰ αὐτὰ ποιεῖτε non posse explicari : habete eundem animi sensum; hoc quidem verum est, at neque opus est

ita explanare, sed : agite eadem seu eodem modo agite μετὰ εὐνοίας (sicut servi iubenter omnia facere et obedire), et ita optime adiungitur : remittentes minas. Apposite *Est.* ait : « sicut oportet servos ex animo et liberaliter servire dominis suis, ita vicissim vos domini, ne tractate servos vestros serviliter, sed humaniter ac benigne vos erga illos gerite » ; i. e. eadem facite erga illos.

[*Induite armaturam Dei* ; *epilogus* 6,10-24.

6,10. *De cetero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis eius.* 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli ;* 12. *quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* 13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare.* 14. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae,* 15. *et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis,* 16. *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere ;* 17. *et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei),* 18. *per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis,* 19. *et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium evangelii,* 20. *pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.*

21. *Ut autem et vos sciatis, quae circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister in Domino,* 22. *quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra.*

23. *Pax fratribus et caritas cum fide a Deo Patre et Domino Iesu Christo.* 24. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.*

6,10. Τοῦ λοιποῦ, ἐνδυναμοῦσθε ἐν Κυρίῳ καὶ ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. 11. ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, 12. ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. 13. διὰ τοῦτο ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. 14. στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφῦν ὑμῶν ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, 15. καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης. 16. ἐν πᾶσιν ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως, ἐν ᾧ δυνήσεσθε πάντα τὰ βέλη τοῦ πονηροῦ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. 17. καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε, καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστιν ῥῆμα Θεοῦ. 18. διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι ἐν παντὶ καιρῷ ἐν πνεύματι καὶ εἰς αὐτὸ ἀγρυπνοῦντες ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει καὶ δεήσει περὶ πάντων τῶν ἁγίων, 19. καὶ ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα μοι δοθῇ λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, ἐν παρρησίᾳ γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου, 20. ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, ἵνα ἐν αὐτῷ παρρησιάσωμαι, ὡς δεῖ με λαλῆσαι.

21. Ἵνα δὲ καὶ ὑμεῖς εἰδῆτε τὰ κατ' ἐμέ, τί πράσσω, πάντα γνωρίσει ὑμῖν Τυχικὸς ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς καὶ πιστὸς διάκονος ἐν Κυρίῳ, 22. ὃν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν καὶ παρακαλέσῃ τὰς καρδίας ὑμῶν.

23. Εἰρήνη τοῖς ἀδελφοῖς καὶ ἀγάπη μετὰ πίστεως ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. 24. ἡ χάρις μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ.

Supra posuit apostolus multa praecepta generalia et speciala ad destruendam vetustatem peccati et ad inducendam novitatem gratiae ; hic

ostendit qua virtute debeant uti ad praecepta haec implenda, qua fiducia auxilii divini (*Thom.*). Quod supra pro fidelibus efflagitavit (3,16), nunc eis in memoriam revocat, neque enim quis suis viribus confidere debet; quare finem impositurus epistolae scribit v. 10 *de cetero, fratres,* (ℵ B D E, Hier., editiones criticae non habent hanc allocutionem) *confortamini in Domino,* in unione et coniunctione cum Domino quaerite vires; origo et fons confortationis vestrae est *in potentia virtutis eius,* est in robore, in potentia robusta illa quae Christo propria ei inest. Quomodo hoc robur acquirendum sit et quantopere eo indigeant propter adversarios potentissimos explicatur v. 11-18. Utitur apostolus imagine bellica; robur illud sunt ipsa arma quae Deus nobis dat v. 11 *induite armaturam Dei* πανοπλίαν completam armaturam, quam Deus suis militibus suppeditat, haec armatura describitur per singula a v. 14: veritas, iustitia, fides etc.; talibus autem praesidiis divinis oportet esse nos instructos, *ut possitis stare adversus insidias diaboli* πρὸς τὰς μεθοδείας cf. 4,14 artes, fraudulentias, quibus utitur pro sua malitia et astutia diabolus; vertit *Hier.* contra versutias diaboli, vel adinventiones; 1 Tim. 3,7 loquitur apostolus de laqueo diaboli; item 2 Tim. 2,26; frequentius nomen adhibet satanae (Rom. 16,20. 1 Cor. 5,5; 7,5. 2 Cor. 2,11; 11,14 etc.).

Pro τοῦ λοιποῦ (quod praebent ℵ*AB et editiones criticae) codices plerique et graeci interpretes habent τὸ λοιπόν, qua dictione apostolus saepius utitur. 1 Cor. 7,29; 2 Cor. 13,11; Phil. 3,1; 4,8; 1 Thess. 4,1; 2 Thess. 3,1; τοῦ λοιποῦ legitur solum Gal. 6,17 notione: posthac, in posterum. Certum est τὸ λοιπόν esse particulam transitionis: ceterum, de reliquo, quod superest. Quod si attenditur, 6,10 τοῦ λοιποῦ potius recte vertitur: posthac, seu in posterum confortamini in Domino, et ita vertendum esse omnino postulant *Henle, Belser;* alii tamen monent, hanc explicationem aptam non esse, scil. ut in posterum seu in futurum confortentur, ac si neque antea neque nunc studium adhibeant ad eiusmodi confortationem perveniendi; unde putant τοῦ λοιποῦ eodem sensu posse accipi quo τὸ λοιπόν et hoc loco id exigi (cf. *Hpt. Ew.*). Hoc loco ergo potius altera lectio erit adoptanda, quae certo magis sensui congruit qui ad hunc locum convenit. Cfr. *Zorell,* N.T. lex. gr., s. v. λοιπός 3.

Tali autem armatura completa a Deo nobis data indigemus, v. 12 *quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (*Hier.*, ut graece, et Hebr. 2,14, adversus sanguinem et carnem), i. e. adversus homines iisdem nobiscum affectibus imbutos et eiusdem nobiscum potentiae (ὁμοιοπαθεῖς καὶ ἰσοδυνάμους, *Thph.*); adversus tales certamen, seu colluctatio aequis fere viribus institueretur. Plerumque fertur ἡμῖν, at aliqui testes (BD*FG, al.) praebent ὑμῖν non est vobis c. (*Ambrst.*), id utique ad allocutionem v. 11 *induite* aptum est, quae admonitio etiam in

v. 13.14 seq. continuatur. Adversarii nobis obsistunt hominibus longe potentiores : *sed adversus principes*, ἀρχάς (principatus, 3,10. Rom. 8,38. Col. 2,15) *et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*, qui imperium exercent in mundo profano et tenebris vitiorum obnubilato; sunt quasi imperatores tenebrarum harum; cf. 5,11 opera tenebrarum; vide Ioan. 12,31 ; 14,30 princeps mundi huius, et 2 Cor. 4,4 ; *contra spiritualia nequitiae* contra spiritus quorum indoles est ἡ πονηρία iniquitas, pravitas, cf. Luc. 16,8 ; πνευματικὰ dicuntur in oppositione ad carnem et sanguinem. Indoles horum adversariorum describitur verbis tenebrarum et nequitiae ; eorum potentia nominibus ipsis satis declaratur ; regio in qua versantur, assignatur *in coelestibus* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *Hier.* : « non quo daemones in coelestibus commorentur, sed quo supra nos aer hoc nomen acceperit ; unde et aves quae volitant per aerem, volucres coeli esse dicuntur » et vide 2,2. Sed hic potius designantur talia quae non pertineant ad regionem hanc nostram terrestrem, sed ad regionem sublimiorem, supramundanam, quorum commoratio non regione terrestri concluditur, sed quae quasi ex alio mundo in nostram impugnationem se dedant. Alias enumerat apostolus ἀρχὰς, ἐξουσίας, δυνάμεις (Rom. 8,38; 1 Cor. 15,24) ; suntne κοσμοκράτορες hoc loco, qui alias δυνάμεις dicuntur? potius tamen nomina illa duo (κοσμοκράτορες et πνευματικά) addita esse videntur ad indolem spirituum illorum exhibendam, ita ut non quattuor ordines angelorum apostatarum seu daemonum designentur, sed duo. Et hoc loco angeli apostatae intelliguntur, ordines vero angelorum beatorum nominantur 1,21 et 3,10. Attende apostolum ita loqui, ut appareat impugnationibus quoque et infestationibus quae ab hominibus inferuntur ad fidem et pietatem fidelium evertendam subesse altiores potestates daemoniacas. Neque enim dicit : non solum contra homines, sed etiam contra daemones est pugna. Frequenter alias quoque apostolus meminit impugnationum daemonum, Rom. 16,20 Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter, et 1 Cor. 7,5 ; 2 Cor. 2,11 ; 4,4; 1 Tim. 3,6; 4,1; 6,9; 2 Tim. 2,26. Ipse Christus etiam monet de insidiis satanae cf. Matth. 13,19.39; 12,43-45. Luc. 11,24; 22,31 ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Unde similiter indicatur, in omni impugnatione regni Dei satanam suas agere partes et malis hominibus uti tamquam suis ministris, sicut in « portis inferi » omnis impugnatio regni Dei comprehenditur.

Carnem et sanguinem interpretatur *Origenes* (cat. 215), cuius verba fere etiam refert *Hier.* ; de carnali concupiscentia, quando caro concupiscit adversus spiritum. At bene monet *Est.* et similiter *Lap.*, in ea significatione non accipi carnem et sanguinem, sed tantum carnem solitarie positam ; nomine carnis et sanguinis solet homo mortalis, debilis, suis viribus relictus designari, cf.

Matth. 16,17; 1 Cor. 15,50; Gal. 1,16; Hebr. 2,14. Insuper hic patet sensus de hominibus infirmis ex ipsa oppositione.

Graeci (*Chrys. Thph. Thd. M.* cat. p. 217, *Euth.*) explicant : pugna est in coelestibus ; non certatur de pecuniis, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ἀντὶ τοῦ ὑπὲρ τῶν ἐπουρανίων, non certatur de gloria, περὶ δόξης, non certatur de terrestribus περὶ ἐπιγείων, sed propter coelestia belligeramus ; *Chrys.* et *Thph.* ponunt : τὸ γὰρ ἐν ἀντὶ τοῦ ὑπὲρ, ἔστι καὶ τοῦ διά, propter, διὰ τὰ ἐπουράνια. Graecis e latinis suffragatur *Cai.* et in paraphrasi *Iust.* quoque ; « pia quidem expositio, at non germana », ut recte *Est.* ait. Dictionem bene declarat *Ephraem* scil. ad discretionem ponendam inter principes corporales et spiritales, et provocat quoque ad locutionem : volatilia coeli.

Contra tam potentes adversarios monet apostolus v. 13 *propterea accipite armaturam Dei*, πανοπλίαν, *ut possitis resistere in die malo*, periculoso, quando pugna instat; prius est audacter *resistere*, non fugam circumspicere ; alterum est *et in omnibus perfecti stare*, cf. v. 11 ; in omni eventu fortiter pugnando *stare*, ἅπαντα κατεργασάμενοι, universa operati (*Hier.*) postquam omnia fecistis quae ad pugnam subeundam requiruntur; indicatur ex subsequentibus, postquam arma illa singula induerunt, omnem ergo praeparationem ad certamen feliciter aggrediendum perfecerunt. Graeci quidem explicant κατεργάζεσθαι voce ἀνελεῖν (cat. p. 218, *Chrys.*), καταπολεμεῖν, καθελεῖν (*Thph.*) debellare, auferre ; scil. ut victoria capta stent; nam multos post victoriam iterum cecidisse. Quae tamen explicatio saltem contextui non satis congruit. Fortiter stare oportet in proelio ; si autem hostes debellati sunt et prostrati, quid sibi vult illud stare ? De periculo casus futuri nulla hic fit mentio. Legit Cyprianus : et cum omnia perfeceritis, stetis (cf. *Est.*) ; ex annotationibus Luc. brug. apparet, codices aliquos vulg. praebere : omnibus perfectis; uti similiter Victorinus habet : omnibus effectis. Num *perfecti* supponit lectionem κατειργασμένοι ?

Qualiter praeparati et armati esse debeant, declaratur v. 14 *state ergo succincti lumbos vestros in veritate*, prima praeparatio ad opus subeundum est vestes talares seu oblongas, ne impedimento sint, contrahere et cingere ad lumbos ; unde qui succincti lumbos stant, parati sunt et expediti ad opus viribus collectis. Talem praeparationem habent fideles *in veritate*, in veritate iis tradita per evangelium ; cf. 1,13 in doctrina et exemplo Christi (4,20). Hanc itaque veritatem religiosam firmiter retineant, sicut qui iter faciunt seu operantur cingulum adstrictum servant, sicuti milites cingulo militari accepto ad pugnam progrediuntur. In hac pugna spirituali primum est, ut vera fides, veritas evangelii ronstanter servetur, ut veritatis luce ac robore continuo pugnantes dirigantur ac roborentur. Pugna est ineunda cum diabolo, qui in veritate non stetit, qui mendax est et mendacium loquitur ; ergo qui trans-

lati sunt in regionem ac regnum veritatis, hisce armis diabolum prosternere debent (cf. Ioan. 8,14). Cingulum vel zona apud orientales ornamentum habebatur; eo numero nobis sit veritas.

Praeter veritatem seu veram fidem fideles stent in acie *induti loricam iustitiae*, induti sint ea iustitia quae valeat apud Deum (cf. 4,24); hac obtecti et protecti firmum habent munimentum contra impetus τῆς πονηρίας (v. 12). Adverte similitudinem locutionum Is. 11,5 et erit iustitia cingulum lumborum eius et fides cinctorium renum eius, at LXX καὶ ἀληθείᾳ εἰλημένος τὰς πλευράς, et 59,17 indutus est iustitia ut lorica, et Sap. 5,19 induet pro thorace iustitiam. Uti pugnatores retinent thoracem, loricam, ita fideles sedulo caveant, ne peccato loricam iustitiae abiiciant; qui enim est in statu gratiae, huic praesto sunt abundantiora auxilia gratiarum actualium. Neque nudis pedibus proceditur ad proelium; unde v. 15 *et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis.* Dicit *Chrys.* ἀσαφέστερόν πως τοῦτο εἴρηται, minus dilucide hoc dictum est; ipse dein explicat: praeparatio evangelii est vita optima, βίος ἄριστος, seu bona opera (*Thph.*); ergo promptos nos esse oportet ad ambulandum, ad vivendum secundum evangelium pacis, vel paratos nos esse oportet ad evangelium pacis praedicandum; utrumque proponunt graeci, afferentes ex Is. 52,7: speciosi pedes evangelizantium pacem. Et eodem modo accipiunt verba *Thom. Est. Lap. Iust. Nat.;* dicitur evangelium pacis, quia pacem et reconciliationem cum Deo affert et generatim omnia bona pacis, salutis, felicitatis praebet. Cum apud LXX pro hebr. מכון etc. saepius ponatur ἑτοιμασία, aliqui eam notionem voci etiam hoc loco adscribunt: in munimentum evangelii (cf. *Iust.*), quae tamen explicatio est longe petita et a notione graecae vocis sat aliena.

Etiam priorem explicationem alii non admittunt, utpote contextui contrariam, quo arma describantur ad resistendum daemonibus (cf. *Ew.*). Unde interpretantur: sint prompti ac parati ad pugnandum vel ad firmiter progrediendum contra daemones ea promptitudine qua m evangelium, fons pacis, largitur; fortiter pugnate pro bonis quae evangelium pacis praestat; hanc promptitudinem dat evangelium pacis (cf. *Henle, Bels. Ew.*). Discrimen est in acceptione ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου, in praeparatione quam dat evangelium, vel quae fit pro evangelio (genitivus subiectivus vel obiectivus). Ad contextum aptatur utraque acceptio. Nam etiam prior illa non ita explicanda est quasi de solis agatur doctoribus, verum valet de singulis fidelibus, ut firmo gressu contra impetus hostiles progrediantur ad profitendum evangelium, ad testimonium pro eo exhibendum verbo et opere. Nam hoc evangelium quam maxime expositum iri astutae impugnationi patris mendacii, quis negabit? ecce iam in paradiso evangelium Dei impugnavit serpens mendacio: non

moriemini. Neque improbabile est apostolum, uti alludere videtur ad Is. 11,5 et 59,17, ita ex Is. 52,7 inductum esse, ut et pedes et evangelium pacis insereret. Aliqui cum hoc membro iam sequens *in omnibus* coniungunt, sed vix apte.

Ad arma et munimenta militum pertinet scutum, v. 16 *in omnibus sumentes scutum fidei*, τὸν θυρεὸν, recte dicitur scutum, quod est formae maioris et oblongae ad totum corpus protegendum; magnum hoc scutum est fides, τῆς πίστεως est genitivus appositionis. Fides nobis proponitur ut protegens in omnibus, quam semper quasi praesentem habere et qua nos in quovis periculo tueri debemus: ἐν πᾶσιν habent ℵ B et complures versiones veteres, ἐπὶ πᾶσιν plerique codices; ἐπὶ πᾶσιν explicat *Thph.*: ἀντὶ τοῦ in veritate, in iustitia, in praeparatione evangelii; ergo ad omnia quae iam dicta sunt sumite scutum fidei; omnia enim fide indigent. Et qualem vim fidei adscribat apostolus, discimus: *in quo possitis omnia tela nequissimi* τοῦ πονηροῦ diaboli, *ignea exstinguere*, iacula maligni ignita (*Hier.*); tentationes et impugnationes variae bene dicuntur iacula ignita, quibus animos hominum diabolus, ὁ πονηρός (cf. Matth. 13,19.39) incendere et inflammare ad peccandum conatur. Superandas esse eius suggestiones fide, nos docuit Christus verbis illis quibus daemonis suasiones repulit: non solo pane vivit homo, Deum adorabis et illi soli servies etc. Sagittis ignitis seu ardentibus maximae designantur difficultates fidelibus a daemone obiectae; sed haec est victoria quae vincit mundum et principem, seu deum huius mundi, fides nostra (cf. 1 Ioan. 5,4; 2 Cor. 4,4). — Recitat *Wetsten.* ad hunc locum complures veterum locos de sagittis ignitis seu malleolis. Scutis corio obtectis malleolos esse exstinctos probatum assumit *Abbott*, negat *Ew.*

In v. 17 apostolus mutata constructione ponit verbum finitum δέξασθε, nisi quis mavult sententias ita ordinare: state succincti, induti lorica, calceati, scuto arrepto, et accipite galeam et gladium; ita tandem πανοπλία declarata est; *et galeam salutis assumite*, cf. Is. 59,17 galea salutis in capite eius: dicitur de Iahve qui suis allaturus est salutem; ea imagine utitur apostolus 1 Thess. 5,8 induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis. Salus est salus messiana, et galea est ipsa haec salus, quae illis a Christo allata est; hac itaque salute, firma eius apprehensione, sollicita eius praeservatione et custodia (ne peccato amittatur), firma quoque et laeta spe eiusdem salutis aeternae sese muniant, caput protegant atque ornent; caput quasi principium actionum et intentionum hac salute et eius spe praeprimis dirigatur et custodiatur oportet. Lorica, scutum, galea sunt arma ad tegendum; arma ad nocendum et ad aggrediendum indicantur: *et gladium spiritus*, gladium scil. non ex ferro confectum, sed gladium qualis congruit spiritui, seu quo laedi, vulnerari, pro-

sterni possunt spiritus ; et talis gladius est *verbum Dei*, ὅ ἐστιν ῥῆμα Θεοῦ, scil. quodvis verbum seu effatum Dei, neque enim ῥῆμα simpliciter dicitur, uti λόγος, de evangelio, sed, uti bene *Lap.* exemplo explicat : hoc gladio Christus vicit et ingulavit daemonem tentantem et oppugnantem. Sententiis itaque ex revelatione divina, seu ex s. litteris, utpote ex verbo Dei, depromptis utendum est ad spiritus nequitiae debellandos ; cf. Is. 49,2 posuit os meum quasi gladium acutum, et 11,4 spiritu labiorum suorum interficiet impium et 2 Thess. 2,8 : revelabitur ille iniquus ὁ ἄνομος, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.

« Vide beati apostoli prudentiam ; armavit eos diligentissime : quomodo postea oporteat Regem invocare et rogare, ut manum porrigat, docet » (*Chrys.*) ; ita fideles armis instructos ad Regem nunc adducit, ut eius auxilium efflagitent v. 18 *per omnem orationem* (διὰ πάσης προσευχῆς, πάσης τὴν πολλὴν λέγει, *Euth.*) *et obsecrationem orantes omni tempore*, frequenter et sedulo et libenter : quandocumque opportunitas conceditur aut necessitas exigit ; nam qui assidue aliquid facit, semper id facere vulgo dicitur ; *in spiritu*, ita ut animus orantis altiore principio, gratia Dei imbutus oret (cf. Rom. 8,26 spiritus adiuvat infirmitatem nostram ; ipse postulat pro nobis), tum enim oratio non est oratio labiorum, sed ex pio cordis affectu, ergo etiam hoc sensu *in spiritu* ; porro ut eo modo oretur *et in ipso*, καὶ εἰς αὐτό et ad hoc, ad orandum uti oportet et ut dictum est, *vigilantes*, omni cura attendentes ne quid omittatur aut negligatur ; et oratio fieri debet *in omni instantia*, ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, in omni perseverantia ; sicut Act. 1,14 προσκαρτεροῦντες perseverantes ; Rom. 12,12 ; Col. 4,2, et demum oratio etiam consistere debet in *obsecratione pro omnibus sanctis*, ergo non pro nobis ipsis solum est orandum (*Thph.*) ; assignatur secundum *Thom.* septima conditio bonae orationis, ut sit caritativa. Etiam aliorum salus nobis cordi esse debet, sicut Christus nos docuit orare : panem nostrum da nobis, dimitte nobis, non dixit mihi.

Observa Pauli humilitatem : ultimo loco se ponit ; et quid dicis, Paule ? opus habes discipulis (*Chrys. Thph.*)? v. 19 *et pro me, ut detur mihi sermo* λόγος ut Deus det mihi sermonem aptum, verba pro personarum varietate et conditione plane convenientia, *in apertione oris mei*, ut Deus aperiat os meum (*Lap.*) *cum fiducia* ἐν παῤῥησίᾳ, in confidentia laeta *notum facere mysterium* (*evangelii*), v. 20 *pro quo legatione fungor in catena*, cf. 3,1 ; iam in quem finem desiderat, ut sibi detur sermo (quotiescumque laeto animo annuntiat mysterium) ? ἵνα ἐν αὐτῷ παῤῥησιάσωμαι ut in eo (in mysterio) laete et libere agam, *prout oportet me loqui ;* ut cum omni laetitia et libertate loquatur prout oportet. De singulis nota : sermo, λόγος, certe non est occasio loquendi neque facultas seu possibi-

litas loquendi. Provocari potest ad Col. 4,3 ut Deus aperiat nobis ostium (θύραν) sermonis ad loquendum mysterium Christi; at quidquid est de hoc loco (de quo postea agetur), λόγος in nostro loco non est θύρα τοῦ λόγου. Porro, cum apostolus habeat profundam cognitionem mysterii evangelii (1,8 seq. 3,3), λόγος sermo non potest esse materies seu argumentum loquendi; quare nil aliud relinqui videtur, nisi ut accipiatur sermo, qualis pro singulis conditionibus quam maxime aptus sit; cf. Matth. 10,19 dabitur vobis quid loquamimi.

Quod in versu 19 legitur ἐν παρρησίᾳ γνωρίσαι, dependere non potest a sententia ut detur mihi sermo; nam sic constitueretur tautologia molesta, cum tandem in v. 20 sequatur ἵνα ἐν αὐτῷ παρρησιάσωμαι. Unde debebit ἐν. π. γνωρίσαι arcte adnecti ad immediate antecedens ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, ut declaretur ad quid et quomodo loqui desideret, et ἐν παρρησίᾳ melius refertur ad *in apertione oris mei;* petit itaque, ut detur sibi sermo, quando in laeta fiducia os aperit ad annuntiandum mysterium, vel talis sermo qui enuntietur in laeta liberaque oris apertione ad mysterium praedicandum. Vitari quidem posset tautologia illa, si in v. 20 ἵνα referretur ad sententiam relativam : pro quo legatione fungor in catena; at sensus minime placet; nam apostolus vix dici potest esse legatus in catena ea praeprimis intentione, ut laetus et liber versetur et gaudeat in re ac negotio mysterii. Hoc ἵνα etc. cum addito ὡς δεῖ με λαλῆσαι multo aptius explicat, in quem finem sermonem sibi dari velit.

Unde patet ex hoc loco neutiquam sequi quod *Hpt.* vult, apostolum in ipsa annuntiatione esse impeditum et apostolum petere, ut Deus sibi det robur ad praedicandum cum omni libertate sine ulla trepidatione mysterium evangelii; ac si apostolus ipse sentiret aliquem timorem et pavorem et iam non versaretur in laeta illa animi fiducia, verum simile quid experiretur quod expertus est 1 Cor. 2,3 et 2 Cor. 7,5. At si verba textus accurate expenduntur, nihil tale deprehenditur. Petit potius effectum et successum praedicationis quam magna animi laetitia et libertate exercet. Ad hunc enim finem petit, ut detur sibi sermo, prout oportet eum loqui, i. e. sermo aptus ad persuadendum et qui omnibus etiam prodat magnam animi sui laetitiam et libertatem. Hac se carere, nullo modo innuit; e contra potius explicite asserit se aperire os ἐν παρρησίᾳ et ipsa locutio apertionis oris hanc libertatem affirmat; cf. Iob 3,1; 33,2; Prov. 8,6; Eccli. 24,2; 51,33. Ez. 33,22. Matth. 5,2 et praesertim 2 Cor. 6,11 de libero sermone dicitur τὸ στόμα ἡμῶν ἀνέῳγεν πρὸς ὑμᾶς. Vides multum interesse, ut v. 19 rite concipiatur.

Epistolae finem imponit; v. 21 *ut autem et vos sciatis* τὰ κατ' ἐμέ, quod idem esse videtur, ac *quid agam* τί πράσσω; de sociis in hac epistola non

est sermo, unde τά κατ' ἐμέ ad eos nequit applicari, quare de conditionibus solum sermo est in quibus versetur Paulus et ideo coincidere potest cum altero *quid agam*, idque suadetur etiam, quia sine καὶ adiungitur τί πράσσω. Difficultas est, quomodo intelligendum sit καὶ ὑμεῖς. Certe nequit assumi tacita oppositio ad Paulum : ut ego comperi de vobis, quid ageretis, ita et vos de me. Nam Paulum quidquam de iis audivisse, quid agerent, non apparet ex epistola; quod legitur 1,15.16 huc non pertinet. Alii putant apostolum haec scribentem ob oculos habuisse Col. 4,7 quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus. Sed, etsi apostolus antea scripsisset epistolam ad Colossenses, tamen qui legunt epistolam nostram vel audiunt lectam, non cognoscunt illum nuntium, neque illa epistolae verba. Facilius suppletur : et vos, sicut alii fidelium coetus, quibus epistolas et nuntios misi — *omnia vobis nota faciet Tychicus*, cuius magnam laudem et commendationem adiungit πιστὸς διάκονος ἐν Κυρίῳ fidelis minister in opere et negotio Christi, et qui iis perferat τὰ περὶ ἡμῶν, uti alias quoque apostolus a singulari ego transit ad pluralem nos (cf. Rom. 3,7.8. 2 Cor. 1,13.23; 2,14 etc.). Praeterea missus est Tychicus, *ut consoletur corda vestra*, ut admoneat et exhortatione confortet animos, de usu ac notione παρακαλεῖν vide 1 Cor. 14,31; 16,15. 2 Cor. 8,6; 9,5.

Demum adprecatur simili modo, uti in aliis epistolis : v. 23 *pax fratribus*, adprecatio salutis ex Christo exemplo : pax vobis! dicite : pax huic domui; *et caritas cum fide* augmentum harum virtutum iis adprecatur *a Deo Patre est Domino Iesu Christo*, « igitur et caritatem et fidem sic Pater praestat ut Filius; et haeresis obmutescit, quae non vult eadem Filium posse quae Patrem » (*Hier.*). Sequens Origenem (cat. 224) pacis encomium *Hier.* quoque celebrat : « inter dona pax non minimum possidet locum, quae superat omnem sensum et custodit corda et intellectus sanctorum, serenitas quaedam atque tranquillitas animae quiescentis et universam tempestatem et turbinem perturbationum fugans ». Tandem adprecatur omnibus v. 24 *gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione* ἐν ἀφθαρσίᾳ, de qua voce et notione satis ambigitur : Rom. 2,7; 1 Cor. 9,25; 15,42 surget in incorruptione, 15,52 mortui resurgent incorrupti, 1 Tim. 1,17 regi saeculorum ἀφθάρτῳ, vulg. immortali et cf. Sap. 2,23; 12,1 et 1 Petr 1,4; 3,4; nunquam adhibetur de puritate seu integritate morum; unde explicatio : diligere pure (*Est. Lap. Nat.*) iam excluditur. Ad notionem accedit quod inter alia habet *Oec.* : caritas erga Christum debet esse ἄφθαρτος, ἀμείωτος; etiam *Chrys.* ὑπὲρ τῶν ἀφθάρτων, *Thph.* διὰ τὰ ἄφθαρτα Christum diligere propter bona incorruptilia, qui simul monent : ἡ ἀρετὴ ἀφθαρσία virtus est immortalitas, incorruptio. Hi itaque vocem referunt ad diligere, uti ex recen-

tioribus *Henle*, *Bels*. Christum diligere ἀφθάρτως, caritate nunquam interitura, constanter permanente. Alii, diligere Christum qui est in immortalitatis gloria, proposuerant; in ea notione videtur requiri articulus τὸν ἐν ἀφθαρσίᾳ; alii demum iungunt χάρις... ἐν ἀφθαρσίᾳ gratia simul cum immortalitate, ἐν ponitur etiam de conditione concomitante, uti 4,19 (cf. *Ew. Hpt.*). Quae est ipsius apostoli sententia? Paulo ipso interprete opus esset ad rem certo declarandam!

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM AD PHILIPPENSES

Inscriptio et salutatio 1,1.2.

1,1. *Paulus et Timotheus, servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus.* 2. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*

1,1. Παῦλος καὶ Τιμόθεος, δοῦλοι Χριστοῦ Ἰησοῦ πᾶσιν τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις σὺν ἐπισκόποις καὶ διακόνοις. 2. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Paulus in inscriptione sibi adiungit Timotheum socium; ita quoque 2 Cor. Col. Thess. Philm. Timotheus Philippensibus bene notus erat; cum Paulo apostolo primo ad eos venit et iis evangelium annuntiavit (Act. 16,3; 17,15); ab Epheso postea per Macedoniam Corinthum missus (Act. 19,22. 1 Cor. 16,10) probabilissime Philippenses quoque adiit; et cum Paulus postmodum versaretur in Macedonia, cum eo erat Timotheus (2 Cor. 1,1); iterum cum Paulus a Graecia per Macedoniam iter instituret in Ierusalem, inter eius comites erat Timotheus (Act. 20,3,4); iis occasionibus ecclesiam philippensem esse salutatam ab apostolo videtur satis probabile (cf. Act. 20,6). Timotheus insuper, uti 2,19 indicatur, mox mittetur ab apostolo Roma Philippos, unde iam in inscriptione epistolae eum cum honore nominans Paulus eum Philippensibus commendat. Sed verum est, quod *Cai. Est.* advertunt, collegam eum sibi adiungit non quoad epistolam, sed quoad salutationem dumtaxat; Timotheum non esse quasi socium scribendae epistolae, statim patet 1,3 seq., cum Paulus de se solo loquatur et 2,19. Paulus in hac familiari epistola titulum apostolatus non affert; designationem seligit sibi et Timotheo communem. Neque cum *Oec.* dicendum est eum usum esse nomine omnibus communi. Nam, uti in vetere testamento Moses, Iosue, prophetae titulo honoris servi Domini vocabantur, ita pariter in novo testamento «servus Iesu Christi» declarat specialem quamdam dignitatem et munus peculiare in obsequio ac ministerio Christi. Id patet iam eo, quod haec designatio non est nomen omnibus fidelibus commune — nunquam fideles simpliciter vocantur servi Christi; aliud est, ubi sermo fit de servis 1 Cor. 7,22; Eph. 6, 6; 1 Petr. 2,16 — verum est titulus ministerii Christi; cf. Rom. 1,1; Col. 4,12; 2 Tim. 2,24; Tit. 1,1; quippe qui in publico ministerio praedicandi evangelii Christo serviant (*Est.*).

Salutationem mittit *omnibus sanctis*, consecratis Deo, a mundo profano segregatis; quam consecrationem ad distinctionem a populo Israel (pariter sancto, uti olim dicebatur) habent *in Christo Iesu*, in coniunctione cum ipso, ei per baptismum inserti (Rom. 6,4) sim. 1 Cor. 1,2 ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Singulare est quod omnibus nominatis peculiaris mentio fit aliquorum *cum episcopis et diaconibus* — explica a forma etiam quandoque usitata, diacon diaconis, Gregor. ep. 3,34; Cod. Theod. 12,1,49 et 163; Commod. instr. 2,26,1 (cf. Lexic. lat.); in cod. am. 1 Tim. 3,12 diacones — cur hi speciali modo nominentur, rationem satis iam assignant *Oec. Thph. Est.* quia hi in muneribus ac subsidiis Paulo mittendis potiores partes egisse censendi sunt. Cur episcopi nominentur in numero plurali, graeci explicant assumentes eo nomine designari presbyteros; « utrumque enim nomen habebant illo tempore » ait *Theod.* et provocat ad Act. 20,17.28; item ad Tit. 1,5-7; et *Chrys.* ait : « quid hoc? unius civitatis multi erant episcopi? nequaquam; sed presbyteros ita nominavit; tunc enim adhuc nomina erant communia et ipse episcopus vocabatur diaconus » et eodem modo *ThdM.* (cf. Swete I, 199), *Oec. Thph. Iust. Lap. Nat. M.*). Alteram responsionem suggerit *Est.*, epistolam mitti non ad solos Philippenses, sed simul ad vicinas civitates quae suos habeant episcopos. Quae tamen responsio neque inscriptioni τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις neque compellationi 4,15 ὑμεῖς Φιλιππήσιοι satis congruere videtur.

Prior itaque responsio est retinenda. Nam ex novo testamento sufficienter apparet, nomina illa promiscue esse adhibita. Apostolus vocat « Mileto mittens Ephesum τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, eos autem mox alloquitur tamquam ἐπισκόπους (Act. 20,17.28). In epistola ad Titum mandat ei apostolus : ut constituas per civitates *presbyteros*, si quis *sine crimine est;*... oportet *enim episcopum sine crimine esse* (Tit. 1,5-7). Etiam in epistola ad Timotheum pro clero praecepta dans prius solum nominat episcopum et diaconos; postmodum tamen scribit : qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur (1 Tim. 3,1-13; 5,17). Similis modus loquendi deprehenditur in epistola Petri; nam πρεσβυτέρους adhortatur : pascite qui in vobis est gregem Domini ἐπισκοποῦντες (secundum codices plerosque, et versiones). Et ex iisdem locis S. Hieronymus ostendit apostolum perspicue docere eosdem esse presbyteros quos episcopos idque manifestissime comprobari; et denuo locis allatis concludit : « haec propterea, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos et episcopos (cf. epist. 69,146 et ad Tit. 1,5; *M.* 22,656.1193; 26,562 sq.). At postmodum clare effertur distinctio; ita iam in epistolis S. Ignatii martyris.

Bona illis adprecatur v. 2; eodem modo Eph. 1,2, quod vide.

Aliqui codices (B³ D² E K), *Oec. Thph.* scribunt συνεπισκόποις, et Cassiodorus quoque (Complex. in ep. apost.) scribit: salutat cum Timotheo coepiscopos et diaconos Philippis constitutos; etiam in fragmentis veteris latinae versionis legitur coepiscopis. Ex qua lectione *Oec. Thph.* concludunt soli clero epistolam esse missam. Contra hanc lectionem scribit *ThdM.* non esse intelligendum sicuti quidam τινές putarunt et prout nos συμπρεσβυτέροις scribere consuevimus; non enim ad suam personam dixit τὸ σύν, sed ad illud *omnibus sanctis* σὺν τοῖς αὐτόθι ἐπισκόποις (cf. cat. p. 232, Swete I, 200).

Quod *ThdM.* hic recte excludit: non ad suam personam dixit τὸ σύν, proposuit *Ambrst.*: « cum episcopis et diaconibus, hoc est cum Paulo et Timotheo, qui utique episcopi erant, simul significavit et diaconos, qui ministrabant ei ». Ceterum ex usu graeco apud profanos notum est illud σύν induere notionem, qua salutantur omnes *inclusive*, i. e. ut simul includantur episcopi et diaconi. De hoc usu vide Kühner-Gerth, § 431, 2 Anmerkung.

Ad notionem ἐπίσκοπος advertendum est quod *Dibelius* affert, ἐπίσκοπος esse sacri magistratus quoque titulum (Titel von Sakralbeamten); nam in inscriptione quadam (ante tempus christianum exarata) templi Apollinis (Rhodos) I. G. Ins. I. 731 nominantur tres ἐπιστάται, unus γραμματεὺς ἱεροφυλάκων, dein ἐπίσκοπος Τεισίας Διαγόρα, dein sex ἱεροποιοί, et ὑπογραμματεὺς ἱεροφυλάκων (p. 45).

Actio gratiarum cum supplicatione 1,3-11.

1,3. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri,* 4. *semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens,* 5. *super communicatione vestra in evangelio Christi a prima die usque nunc,* 6. *confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu;* 7. *sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis et in defensione et confirmatione evangelii socios gaudii mei omnes vos esse.* 8. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* 9. *Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu,* 10. *ut probetis potiora, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi,* 11. *repleti fructu iustitiae per Iesum Christum in gloriam et laudem Dei.*

1,3. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν, 4. πάντοτε ἐν πάσῃ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος 5. ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν, 6. πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο, ὅτι ὁ ἐναρξάμενος ἐν ὑμῖν ἔργον ἀγαθὸν ἐπιτελέσει ἄχρι ἡμέρας Χριστοῦ Ἰησοῦ, 7. καθώς ἐστιν δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς, ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου καὶ ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ βεβαιώσει τοῦ εὐαγγελίου συνκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας. 8. μάρτυς γάρ μου ὁ Θεός, ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Χριστοῦ Ἰησοῦ, 9. καὶ τοῦτο προσεύχομαι, ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσεύῃ ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει, 10. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ, 11. πεπληρωμένοι καρπὸν δικαιοσύνης τὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ.

Uti in aliis epistolis (Rom. 1 Cor. Thess. Philm. Eph. 1,16) ita hic quoque incipit apostolus a gratiarum actione v. 3 *gratias ago Deo meo*, ubique gratias agit pro bona conditione fidelium, pro beneficiis illis collatis; facit scil. quod ipse fidelibus commendavit (Eph. 5,4. 20. Col. 3,15) et docet exemplo; cum affectu dicit *Deo meo*, considerans ut beneficium

sibi collatum quod Deus fidelibus tribuit; eodem modo cf. Rom. 1,8; 1 Cor. 1,4; Philm. 4. Ad talem gratiarum actionem autem excitatur *in omni memoria vestri* ἐπὶ : habes simile exemplum huius notionis ἐπί 1 Cor. 14,16; Eph. 4,26; 1 Thess. 3,7 (in omni necessitate et tribulatione nostra, Hebr. 11,4 etc. cf. Blass § 43,3): scil. memoria seu recordatio quam de illis habet est occasio actionis gratiarum. Ita iam explicavit *Chrys.* ὁσάκις ὑμῶν ἀναμνησθῶ, δοξάζω τὸν Θεόν quotiescumque vestri recordor, glorifico Deum; eadem habet *Thph.* διηνεκῶς ὑμῶν μεμνημένος *Theod.* et similiter *Oec.*; assidue gerit memoriam eorum; eodem modo dicitur μνεία ὑμῶν recordatio de vobis (genitivo obiect.) Rom. 1,9; Eph. 1,16; 1 Thess. 3,6; Philm 4 (alias etiam μνεία περὶ σοῦ, 2 Tim. 1,3).

Haec eius memoria de ipsis magis declaratur v. 4 *semper in cunctis orationibus meis* ἐν πάσῃ δεήσει μου in quavis oratione mea τὴν δέησιν ποιούμενος peculiarem facio deprecationem *pro omnibus vobis cum gaudio.* Magna est laus, quod omnium memor est cum gaudio; « in eis nihil occurrit apostolo quod non esset dignum gratiarum actione, et hoc est valde magnum « (*Thom.*); nam potest etiam contingere, ut cum moerore ac tristitia aliquorum recolatur memoria, uti monent graeci alludentes ad 2 Cor. 2,4: ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis (*Chrys. Oec. Thph.*). Magnum prodit affectum repetito *omnium* mentionem faciens (cf. 1,4.7.8.25; 2,17), in quavis oratione pro iis specialiter orans et perquam libenter μετὰ χαρᾶς id praestans!

Quaenam est causa huius deprecationis cum gaudio? haec affertur v. 5 *super communicatione vestra in evangelio* εἰς τὸ εὐαγγέλιον, per se posset esse sensus: quod participes facti estis evangelii et ita explicat Theod.: evangelii praedicationem prompte accepistis, et eodem modo *Thom. Cai.* interpretantur, sed cur additur: *a prima die usque nunc?* ad susceptionem evangelii id parum convenire videtur; locutione potius indicantur actus repetiti; insuper cur apostolus cum ictu efferret eos usque nunc non defecisse ab evangelio?

Praeclare autem congruit altera notio: super collatione vestra in evangelium; agitur de subsidiis quae Philippenses assidue apostolo praebuerunt in ministerium evangelii; ita locutionem interpretantur *Chrys. Oec. Thph. Est. Iust. Nat. Lap. M. Hpt.;* de hac notione cf. Rom. 15,26 κοινωνίαν εἰς τοὺς πτωχούς, 2 Cor. 9,13; et de eiusmodi participatione ad promovendum evangelium loquitur apostolus 4,16; cf. Rom. 12,13, Hebr. 13,16 (εὐποιία καὶ κοινωνία) et *Oec.* ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν, ἤγουν τῇ ἐλεημοσύνῃ, simpliciter vocem per eleemosynam declarat. Potest utique retineri significatione societatis seu participationis, sed eo sensu, ut partem habeant ad promovendum evangelium, seu se socios adiunxerint Paulo subsidiis missis, ita ut in generali notione societatis seu partici-

pationis εἰς τὸ εὐαγγέλιον haec peculiaris ratio per subsidia promovendi ministerium evangelicum subintelligatur et innuatur (cf. 4,15-16). Sensu amplissimo vocem intelligi vult *Lightfoot*, sc. cooperationem seu participationem cum apostolo affectu, afflictionibus, laboribus, eleemosynis vel alio quovis modo.

Et eodem modo monet *Ew.* non ad sola subsidia pecuniaria vocem esse restringendam, cum ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν maius quid innuat; quare omnia genera participationis esse assumenda, preces et supplicationes pro Paulo et eius opere, hospitalitatem exercitam, opitulationes et admonitiones aliis fidelibus pro opportunitate aut necessitate traditas etc. Et ex hoc loco iam *Chrys.*. ansam capit, ut Philippenses magnopere laudet : « magnum est de quo illis testimonium hoc loco dat et valde magnum, alioquin apostolis et evangelistis dari solitum. Non quoniam una, inquit, civitas vobis commendata et credita est, illam solam curatis, sed nihil omittitis, ut laborum meorum participes sitis, ubique praesentes, vestramque operam et diligentiam una mecum in praedicatione collocantes; non semel, bis aut ter, sed semper ex eo tempore quo credidistis usque ad hunc diem apostolorum alacritatem repraesentastis ».

In v. 3 fertur altera lectio ἐγὼ μὲν εὐχαριστῶ (D* ℵ E* FG) et pariter *Ambrst.* et *Cassiod.* ego quidem gratias ago, quam lectionem complures genuinam censent; nam est in initio epistolae plane singularis neque simili exemplo comprobatur (nam 1 Thess. 2,18 nequit in comparationem adduci), dum lectio communis videtur potius esse accommodata ad alios locos (cf. Rom. 1,8; 1 Cor. 1,4.14; 14,18; Col. 1,3; 1 Thess. 1,2; Philm. 4, in quibus simpliciter εὐχαριστῶ ponitur. Num ἐγὼ μὲν additum est, ut post inscriptionem *Paulus et Timotheus* solum Paulum loqui significetur? num Paulus se Timotheo opponere vult? vix erit probabile. Quare *Zahn* (Einleitung, 3 ed. I p. 374.380) oppositionem quandam assumit Pauli contra Philippenses, qui nuper litteris missis dubitaverint, num exspectationi Pauli satisfecissent, vel sese excusaverint quod subsidia maiora non misissent. Quem scrupulum ut tollat, ἐγὼ μὲν εὐχαριστῶ apostolum scribere opinatur. Inde progressus *Zahn* cum aliis etiam quae sequuntur ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν aliter explicat: ego quidem gratias ago pro omni memoria vestra, i. e. pro dono mihi misso universo (quo vos mei meminisse probastis). Haec explicatio ex una parte quidem videtur commendari particula ἐπί, qua indicatur causa gratiarum actionis seu res pro qua gratiae aguntur, uti v. g. 1 Cor. 1,4 εὐχαριστῶ ἐπὶ τῇ χάριτι, 2 Cor. 9,15, quae notio usui particulae ἐπὶ plane congruit, uti statim habetur in v. 5 et alias saepe. Dein μνεία ὑμῶν facilius videtur explicari : memoria vestra (genitiv. subiect.) quam memoria de vobis. Idem omnino *Ew.* propugnat.

Nihilominus prior explicatio erit praeferenda. Ex indole linguae nulla obstat difficultas, quia graeci exponunt eo modo, uti supra. Dein ubique Paulus gratias agit Deo pro bona conditione fidelium, pro beneficiis spiritualibus iis collatis; mirum esset, si hic tanto cum affectu (Deo meo) gratias ageret pro pecunia sibi missa. Insuper aliis in locis μνεία legitur eadem notione : memoria seu

recordatio de aliis Rom. 1,9 ; Eph. 1,16; 1 Thess. 1,2 ; 3,6; 2 Tim. 1,3 vel cum genitivo obiectivo ἡμῶν, ὑμῶν, vel περὶ ὑμῶν, περὶ σοῦ. — Quod habetur v. 5 ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν, aliqui dependere faciunt ab εὐχαριστῶ (*Theod. Oec. Lap. Vinc.*); at nimium distat, nec placet cum eodem verbo εὐχαριστῶ bis coniungere particulam ἐπί notione diversa; neque ullo pacto ea coniunctio necessaria est, nam significatione plane apta ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ adiungitur ad immediate antecedens, ut explicetur gaudium apostoli.

Eo quod usque nunc adiutores fuerunt evangelii, magnam animi promptitudinem pro re divina et pro ministerio Christi ostenderunt; quare sperat apostolus v. 6 *confidens hoc ipsum*, αὐτὸ τοῦτο dicitur cum emphasi, et refertur ad antecedens : propter ipsum hoc, quia tam perseveranter curam habuerunt pro evangelio confidit apostolus ; alii tamen ad sequentia referunt : hanc ipsam habens confidentiam : *quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet ;* ad Deum auctorem docet esse referendam bonam iltam dispositionem Philippensium, quam scil. Deus coeperit in illis, et ab eodem Deo esse sperandum monet fore ut *opus bonum* ἔργον ἀγαθόν; qua notione generali iam plura complectitur, perficiat et perducat, conservet et augeat *usque in diem Christi Iesu*, usque ad Christi adventum ; loquitur apostolus, ut alibi, 1 Cor. 1,8 ; 1 Thess. 3,13; 5,23 ; 1 Tim, 6,14 ; similiter Iac. 5,7 etc. ; apostolus enim speravit et desideravit diem Domini (cf. 2 Cor. 5,1). Ad rem scribit *Lap.* : « solet Paulus hic, 1 Thess. 4,15 et alibi, ita loqui de die iudicii extremi, ac si instaret et vicinus esset, non posteris Philippensium postea nascituris, ut vult Chrysost. sed ipsismet ad quos scribit hic Paulus, ut nimirum singuli, tam ipsi, quam nos, illum assidue ob oculos habeamus. » Ceterum apostoli de die adventus Christi scribunt eodem modo, quo ipse Christus locutus erat (cf. Matth. 24,42,44; 25,13. Marc. 13,29.33; Luc. 21,28.36).

Dein rationem reddit suae confidentiae et gaudii v. 7 *sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis* ὑπὲρ πάντων : de omnibus vobis talem habere sententiam, persuasionem, sicut in v. 6 dictum est, apostolus aestimat sibi incumbere utpote debitum et plane rectum et iustum. Potest ὑπὲρ notione περί explicari ; sed quia in v. 6 id spectatur quod Deus in bonum Philippensium facturus speratur, ὑπέρ accipi sane potest notione sua : in commodum omnium vestrum. Ad quam acceptionem post aliquas ambages *Ew.* quoque revertitur : notionem φρονεῖν bene exponit. Cur reputet sibi iustum talem fovere sententiam Philippensibus honorificam, exponit : *eo quod habeam vos in corde* διὰ τὸ ἔχειν propterea, quia etc.; graeci explicant in corde habere i. e. bene recordari : memoriam vestri studiose mecum circumfero. Atque haec notio sola congruit; nam, uti *Iust.* recte advertit, quod alii explicant de Pauli in eos amore, non satis spem illam et confidentiam declarat; solus enim

amor non sufficit ad talem spem et confidentiam conciliandam. Iam vero, si in corde habere idem est ac cum studio memorem esse, bene recordari, dein patet ad hanc notionem supplendam necessario adiungi debere συνκοινωνούς μου τῆς χάριτος πάντας ὑμᾶς ὄντας : bene enim notat *Iust.* : « oritur certe maxime spes et confidentia ex eo quod semper mentis oculis obversetur Philippensium caritas ac munificentia, qua apostolum etiam absentem prosequuntur ».

Nunc facile patet, quod recte iam viderunt *Cai. Lap.*, ordinem sententiae esse ita constituendum : vos esse socios gratiae meae tam in vinculis quam in defensione et confirmatione evangelii. Latini legunt *socios gaudii mei*, graeci testes omnes συνκοινωνούς μου τῆς χάριτος (aliqui τῆς χάριτός μου) ; iam *Est.* notat χαρᾶς et χάριτος esse voces adeo affines, ut facile alteram pro altera quis legat aut scribat ; estne compendium scripturae supponendum ? Vocat autem apostolus gratiam suam (ita plerique iungunt, non : socios meos gratiae) vocationem suam apostolicam, apostolatum suum, uti *ThdM.* rite concipit : « tributae mihi gratiae in apostolatum comparticipes facti » (Swete, I, 202). Apostolatum exercuit Paulus *in vinculis*, in carcere, vel catena circumdatus ; *in defensione* contra accusationes, calumnias Iudaeorum, quibus et Paulum et praedicationem evangelii impetebant, *et confirmatione evangelii*, quatenus scil. argumentis probavit et evicit veritatem evangelii in disceptationibus cum Iudaeis et gentilibus, cuius confirmationis exemplum legitur Act. 28,23. Et talem apostolatum appellat apostolus gratiam suam ; scil. ut bene ait *Cai.* « gratiam suam explicat Paulus et pati vincula pro Christo et defendere et confirmare evangelium ; hoc est agere, illud pati ; utrumque tamen est doni divini, homini concessi gratuito ». Quia Philippenses apostolum in illa conditione constitutum, exercentem apostolatus gratiam in vinculis etc. adiuvabant subsidiis missis, consortes facti sunt gratiae eius, participes apostolatus eius, participes meriti quoque eius « secundum mensuram cooperationis et caritatis » (*Lap.*).

Iungunt quidem graeci συνκοινωνούς μου τῆς χάριτος ita, ut μου referant ad συνκοίνωνούς mecum consortes gratiae, socii mei gratiae ; eodem modo vertit syrus et contendunt complures recentiores, monentes alias dici ἡ χάρις ἡ δοθεῖσά μοι (Gal. 2,9. 1 Cor. 3,10. Rom. 12,3 ; 15,15) et semel ἡ χάρις ἡ εἰς ἐμέ (1 Cor. 15,10). At recte opponit *Hpt.* iis in locis non potuisse bene poni nudum illud μου, neque obstare collocationem, nam μου frequenter poni ante vocem ad quam pertineat (cf. 2,2 μου τὴν χαράν, 4,14 ; Col. 4,18 etc.). At praecipua ratio petenda est ex ipsa sententia. Quae sit gratia, indiget determinatione ; ea optime habetur, si μου refertur ad gratiam et designatur gratia apostoli in exercendo munere suo, cuius gratiae consortes fiunt fideles sensu explicato. Insuper clarius exprimitur, subsidia illa non tam ipsam solam personam apostoli spectare, quam munus apostolicum, idque praeprimis ; nam in v. 5 iam

clare affirmat apostolus, illorum dona et subsidia esse κοινωνίαν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, ad quod bene congruit: socii gratiae meae, socii apostolatus mei, uti *M.* quoque in versione rem exprimit et ex graecis *ThdM.* explicavit (cuius sententia in editione Rabani (*M.* 112,480 misere distorta est: tribuit mihi gratiae in apostolatum, comparticipes facti; lege, tributae mihi gratiae etc.); et *Theod.* praebet χάριν δὲ κέκληκε τὰ παθήματα gratiam vocat perpessiones (apostolatus scil.). Quam acceptionem *Ew.* immerito vocat « vix intelligibilem »; ipseexplicat: socios meos vos esse eiusdum gratiae salutis.

Et copiose suum erga eos affectum confirmans et ostendens dicit (*ThdM.*) v. 8 *testis enim mihi est Deus*, non quod ei non adhiberetur fides Deum testem adducit, sed quia magnum animi sui affectum verbis exprimere non potest, Deo hoc relinquit corda exploranti (*Thph.*), et quoniam cordis solus Deus est inspector, Deum in testem affert (*Cai.*), *quomodo cupiam omnes vos*, desiderio tenear vestri omnium, *in visceribus Iesu Christi*, amore ardentissimo, qui visceribus, affectu intimo designatur et quem amorem Iesus ministris suis inspirat, uti *Chrys. Oec. Thph.* explicant; viscera Iesu Christi sunt ipse ille amor intensus quo Christus suos diligit; desiderium itaque apostoli fundatur vel originem habet in amore Christi; dilectio qua Christus diligit apostolo est exemplar et ratio affectus et desiderii quo complectitur omnes Philippenses. Eo sensu intelligi potest quod *Theod.* dicit: viscera Christi vocat τὴν πνευματικὴν φιλοστοργίαν. Quia apostolus scripsit Galatis: vivo iam non ego, vivit vero in me Christus (Gal. 2,20), videtur non tam suum desiderium, quam ipsius Christi in se viventis desiderium designare; id quod fortasse *M.* indicare vult, dum sane audacius scribit: loco sui proprii cordis ponit cor Christi. Sed cum desit articulus ἐν σπλάγχνοις genitivum esse genitivum qualitatis *Ew.* monet, et vertit: in (d. h. mit) einem Christus-Jesus-Herzen.

Supra iam dixerat v. 4 se pro omnibus cum gaudio deprecationem facere; quid vero peculiari modo pro eis efflagitet, exponit v. 9 *et hoc oro*, simul autem eius precatio arcte adnectitur ad antecedentia et cum iis cohaeret; id quod *ThdM.* bene designat: « vult ergo dicere: testis est mihi Deus qualiter erga vos affectus sim (ὅπως περὶ πάντας διάκειμαι) et oro per singula momenta abundare magis in vobis illam caritatem quae et erga Deum et erga alterutrum est » (Swete I, 204); *ut caritas vestra* (*etiam* ἔτι) *magis ac magis abundet*, tale desiderium pro ipsis et talem precationem haurit item in visceribus Christi; caritas autem eo perfectior erit quo maior adest ἐπίγνωσις, *in scientia*, ἐν ἐπιγνώσει. explica ἐν instrumentale, per cognitionem, et applica ad cognitionem Dei et Iesu Christi et rerum divinarum; crescente cognitione crescet aestimatio, amor, desiderium. Et hoc pertinet ad caritatem erga Deum, cum qua intime connexa est caritas in proximum — est una virtus theo-

logica — et ad hanc in proximum caritatem videtur potissimum spectare *et in omni sensu*, καὶ πάσῃ αἰσθήσει, vox a graecis declaratur κρίσις (*Thph.*), διάκρισις (*Theod.*), qui monent cum *Chrys Oec.* ne omnes simpliciter ament ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν, sed cum diiudicatione, discretione; αἴσθησις est perceptio, apud LXX ponitur pro hebr. דעת, semel etiam pro חכמה (sapientia); ex usu vocum cognatarum (Luc. 9,45 et Hebr. 5,14) derivatur notio recte diiudicandi ac discernendi, accurate percipiendi. Quae significatio si applicatur ad caritatem erga proximum, videtur includere duo : sensum quendam percipiendi (occasiones, modos aptos iuvandi proximum) et sensum diiudicandi seu discernendi (ne imprudenter, subsidiis seu modis non consentaneis succurratur). Ad quam significationem accedit *Nat.* explicans de prudentia et discretione in agendo et similiter *Est.* interpretans vocem de exacto dictamine rectae rationis.

Talis autem accurata cognitio et discretio (ἐπίγνωσις καὶ αἴσθησις) requiritur, eiusque abundantiam Paulus pro eis expetit v. 10 *ut probetis potiora*. εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα; vide Rom, 2,18; locutio per se duplici sensu accipi potest : explorare ea quae inter se differunt (uti bonum et malum, deterius et melius, licitum et illicitum) vel approbare praestantiora. Ultimo sensu accipiunt graeci, explicantes τὰ συμφέροντα (*Chrys. Thph.*), τίνα τὰ κρείττονα (*Thd M.*) quae sint meliora; utrumque sensum complectitur *Theod.* : ut sciatis τίνα μὲν καλὰ. τίνα δὲ κρείττονα, τίνα δὲ παντάπασι τὰ διαφορὰν πρὸς ἄλληλα ἔχοντα et quaenam sint prorsus inter se differentia. Parum profecto videtur sensus prior commendari; potius Paulus pro illis efflagitat, ut ratione habita abundantiae caritatis approbent praestantiora in caritate Dei et proximi, seu praestantia, ea quae eminent, unde vulg. *potiora*, et syrus : ea quae conveniunt.

Id sequentibus quoque congruit, ut *sitis sinceri* εἰλικρινεῖς, quoad Deum, addunt graeci, qui *sine offensa* ἀπρόσκοποι referunt ad proximum; illud summam quandam dicit puritatem, candidi (etymologice vocem referunt ad εἴλη splendor solis : candidus solis instar, sonnenrein? Prellwitz, etymol. Woerterbuch); ut sine offendiculo progrediantur in tramite probitatis *in diem Christi* εἰς ἡμέραν tamquam terminum, ad quem intentio dirigitur (in Richtung auf oder für den Tag Christi, *Ew.*); et qualem ab iis desideret probitatem, indicatur v. 11 *repleti fructu iustitiae per Iesum Christum*, ut impleti sint fructu eo quem profert iustitia (illa quae a Deo est) adiuvante et gratiam suppeditante Christo, τὸν διὰ Χριστοῦ, fructu qui est per Christum; fructus autem iustitiae sunt opera bona. Ultimus autem et supremus finis omnis caritatis, iustitiae, operum bonorum est *in gloriam et laudem Dei ;* cf. Eph. 1,6.12.14; ad quam gloriam etiam pertinet, ut Deus propter probitatem fidelium ab omnibus laudetur (*Theod. ThdM.*). Ex v. 10.11 demum elucet qualem caritatem

apostolus pro iis expetat; graeci quidem caritatem in v. 9 accipiunt de caritate in ipsum apostolum : vide, quomodo cum adeo amaretur, adhuc magis amari cupiebat (*Chrys.*), atque generatim in alios cum apostolo (*Oec. Thph.*). Alii explicant de caritate quam benefaciendo exhibuerant (*Est. Lap.*), vel generatim de caritate Philippensium in alios (*Hpt.*). At si bene perpenditur, quid in v. 10 et 11 dicatur, vix dubium esse poterit intelligendum esse caritatem sensu theologico, caritatem in Deum et proximum, uti intellexerunt *ThdM. Cai. Iust.;* a qua acceptione *re* saltem non differt *M.* qui de iustificatione, seu de statu gratiae (cf. fructu iustitiae) verbum caritatis explicat.

Valde particularis est explicatio quam *Zahn* proposuit (Einl. I p. 375); quae enim in v. 9 dicuntur, unice intelligit quasi institutionem quandam de recto modo exercendae beneficentiae ; apostolum quippe minime habere, cur maiorem quandam promptitudinem et liberalitatem exoptet exhiberi ab eis — ea enim in re excellere coetus macedonicos (2 Cor. 8,1 sq. 11,9; 1 Thess. 4,9) — verum potius contrarium esse expetendum, scil. ut magis procedant cum prudentia et recta rerum intelligentia, sedulo perpendentes, quibus conditionibus beneficentia sit exercenda ita, ut iustitiae et ordinis ratio habeatur. Atque hoc vult v. 9-11 commendari et praecipi ab apostolo. At *Zahn* omnino non attendit in v. 9 orare apostolum, ut *caritas abundet*, et id quidem magna emphasi : adhuc magis et magis abundet; si hoc refertur ad beneficentiam, *huius* sane incrementum magna vi exigitur, et non unice incrementum prudentiae vel considerationis circumspectae.

De profectu evangelii 1,12-17.

1,12. *Scire autem vos volo, fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt evangelii,* 13. *ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio et in ceteris omnibus,* 14. *et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.* 15. *Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant;* 16. *quidam ex caritate, scientes, quoniam in defensionem evangelii positus sum;* 17. *quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.*

1,12. Γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βούλομαι, ἀδελφοί, ὅτι τὰ κατ' ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τοῦ εὐαγγελίου ἐλήλυθεν, 13. ὥστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς ἐν Χριστῷ γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσιν, 14. καὶ τοὺς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν Κυρίῳ πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μου περισσοτέρως τολμᾶν ἀφόβως τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ λαλεῖν· 15. τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν, τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν· 16. οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης, εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, 17. οἱ δὲ ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν οὐχ ἁγνῶς, οἰόμενοι θλῖψιν ἐγείρειν τοῖς δεσμοῖς μου.

Apostolo valde cordi est, Philippensibus omnem eximere timorem seu

suspicionem quasi per captivitatem propagatio evangelii impediretur. Praeclarum exhibetur eis testimonium quod de cursu evangelii plurimum solliciti sunt, ideoque turbati ob periculum ne damnum exsisteret evangelio. Ut eum timorem penitus dispelleret, scripsit apostolus eisque nuntiat : « vincula mea non solum non impediverunt evangelium, sed in promotionem potius cesserunt » (*Chrys. Oec. Thph.* similiter *Est. Iust. Lap.*). Cum quadam emphasi dicit v. 12 *scire autem vos volo*, quasi alicui rumori contrario obsistere vellet aut audivisset Philippenses revera turbari de conditione apostoli et sinistre sentire ; τὰ κατ'ἐμέ, negotium meum, generatim quae circa me geruntur, quae mihi acciderunt (*Est.*), tota mea praesens conditio non officit evangelio, sed μᾶλλον, potius cedit ad profectum : *magis* quoque eo sensu explica, nam certe sensus nequit esse : vincula mea magis conferunt vel contulerunt ad evangelii cursum, quam conditio libera ; sed in oppositione ad id quod propter captivitatem merito timeri poterat, dicitur captivitatem potius cedere in utilitatem evangelii, non in damnum. Rem accuratius determinare *Ew.* conatur ; putat timorem illum Philippensium sola captivitate non explicari ; nam Paulum ἐν ἰδίῳ μισθώματι, in suo conducto sine prohibitione ἀκωλύτως praedicasse evangelium idque ob frequens commercium inter Romam et Philippos eos non potuisse latere. Assumit itaque mutationem factam in conditione apostoli ; illum versus finem biennii (de quo Act. 28.30), cum tandem actio forensis contra apostolum institueretur, translatum fuisse in alium locum, in carcerem prope tribunal, ut quoties opus esset statim coram iudicibus comparere posset (eum esse detentum in der Wachtkaserne beim Palatin). Id Philippensibus quoque innotuisse et fuisse causam timoris ; ad hunc timorem dispellendum apostolum scribere ; potuisse quidem translationem illam videri esse impedimentum evangelii ; at mox ostensum esse (nota perfectum ἐλήλυθεν) potius emolumentum inde esse ortum ; nam interrogatione iudiciali vincula Pauli manifestata esse tamquam vincula tolerata non ob crimen, sed ob Christum ; et apud omnes innotuisse, Paulum non ob crimen, sed tamquam praedicatorem evangelii esse in captivitate. Sed incredibile videtur id non innotuisse nisi versus finem biennii et solum percontatione iudiciali facta ; num fideles omnes plane ignorabant rem ? num in ea cognitione profectus evangelii est statuendus ?

Duplici modo iste profectus evangelii apparuit v. 13.14 ; et uno quidem modo v. 13 *ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio*, veteres intelligunt aulam Caesaris, τὰ βασίλεια (graeci, *Est. Nat. Lap. Iust.* : inde exortam esse fabulam de familiari commercio Pauli et Senecae), sed praetorium dicitur quidem palatium in quo praesides provinciarum, proconsules habitabant, sed Romae aula Imperato-

ris certe non appellabatur eo nomine. Melius iam vidit *Cai.* qui scribit : « in toto praetorio, hoc est apud omnes officiales praetorii, apud universos agentes in praetorio ». Praetorium autem Romae designatio est nomen pro cohorte praetorii (cf. *Ew.*)[1]. Paulo autem permissum est Romae manere in suo conducto cum custodiente se milite (Act. 28,16.30); per milites quibus custodia illa incumbebat, causa Pauli nota facta est, non solum in praetorio, sed (*in*) *ceteris omnibus*, in universa urbe (*Thph.*), i. e. manifesta facta est militibus praetorianis et ceteris omnibus, locutione generali scil. de multis illis qui in eandem notitiam pervenerunt. Illud *in Christo* varie explicatum est ; cum *Chrys.* legat τοὺς ἐν Χριστῷ et explicet τοὺς διὰ Χριστόν, patet eius acceptio, sed et alii, qui non inserunt articulum, eodem modo interpretantur ; ita *Theod.* manifestam factam esse causam vinculorum, *Oec.* vincula esse κατὰ Χριστόν, vel notitiam suorum in Christo vinculorum amplam et extensam fuisse (*Cai.*), manifestum factum esse, Paulum Christi causa esse vinctum (*Est. Lap. Nat. Vinc.*), ideoque famam evangelii esse sparsam multisque occasionem esse oblatam inquirendi quid et quale esset evangelium (cf. *Dib.*).

Sed si accurate aspicitur collocatio verborum τοὺς δεσμούς μου φανερούς ἐν Χριστῷ γενέσθαι, potius assentiendum erit explicationi : manifesta facta sunt per Christum ; τοῦτο δὲ ἐν Χριστῷ γέγονε, τουτέστιν, οὐκ ἐμὸν κατόρθωμα, ἀλλὰ τοῦ Χριστοῦ (*Thph.*) et ita *Iust.* quoque, divino Christi consilio ac providentia vincula Pauli innotuisse ; vincula innotuisse idem est quod *ThdM.* dicit : δῆλος γὰρ ἐπὶ τοῖς δεσμοῖς μου ἅπασιν ἐγενόμην, nam vinctus ad omnium notitiam perveni (uti Rabanus quoque habet) ; et hanc notitiam sparsam esse, eum ut captivum non quasi oblivione et obscuritate esse sepultum, sed longe lateque innotuisse, hoc fundatur *in Christo*, causam habet in Christo, effectum est per Christum. Cum ea notitia de Paulo vincto coniuncta erat etiam fama de evangelio. In qua notitia iam aliquis continetur profectus evangelii, qui progressus, ut *Thph.* ait, non erat opus Pauli, sed Christi.

Alter profectus in eo consistebat, ut fideles qui iam antea evangelicae praedicationi operam dederant, Pauli vincti exemplo animosiores in eo opere efficerentur, v. 14 *et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis*, τοὺς πλείονας poterit explicari de maiore parte fidelium seu fratrum, qui ex vinculis apostoli magnam *in Domino* confidentiam capiebant ; videbant enim apostolum vinctum suscipere omnes, qui ingre-

1. De significatione nominis *praetorium* pluribus agit *Lightfoot*, p. 99-104. Insuper vide Mommsen, Römisches Staatsrecht, II² p. 829 ; *Marquardt*, Römische Staatsverwaltung, II², p. 475, Name des Gardecorps ; *Zahn*, Einleitung, I, § 31 ; *van Bebber*, Theol. Quartalschrift, 1905, p. 179 seq. ; *Dibelius* (Kaiserliche Garde, si epistola Romae scripta est — si alibi, Ephesi, πραιτώριον dici incolas palatii praetoris seu praesidis, seu milites praetorios generatim).

diebantur ad eum, et praedicare regnum Dei et docere de Christo cum omni fiducia sine prohibitione (Act. 28,31); « quoniam magnum dictu erat, mea illis vincula animum addidisse, propterea occupans dixit *in Domino;* vides necessitate etiam imposita de se magnifice loquendi, quomodo tamen modestiae non obliviscatur » (*Chrys.*), scil. non ego eos animavi, sed Dominus. Ita esse iungendum facile patet; non ut *Est. Lap.*, fratribus in Domino, i. e. ita vocari fideles ad discrimen Iudaeorum, qui Paulo erant fratres secundum carnem; nam fratres nomen est fidelium plane usitatum, nunquam legitur apud Paulum : fratres in Domino ; Rom. 9.3 ubi loquitur de fratribus Iudaeis, addit : qui sunt cognati mei secundum carnem. Hic autem omnino congruebat exprimere, confidentiam illam et alacritatem πεποιθότας fundari et reponi *in Domino*, habere fundamentum non mere humanum, sed a Domino praestitum. Viderunt Paulum vinctum animo esse minime fracto, sed magna cum fortitudine et alacritate operi evangelico insistere et animo laeto aerumnas sustinere (cf. *Theod. Cai. Nat. Lap. M.*).

Tali fiducia roborati *abundantius* περισσοτέρως modo vehementiore, acriore : satis indicatur, illos iam pridem coepisse loqui de evangelio, nunc vero id agunt maiore fiducia, maiore vi (cf. *Chrys. Thph.*); *auderent sine timore verbum Dei loqui*, videbant Paulo nihil molestiae creari ex praedicatione evangelii, unde si antea solum cum timore ac trepidatione ausi erant gentilibus vel Iudaeis loqui de evangelio, nunc seposito omni metu audent multo magis et frequentius et liberius loqui; idque impavide, intrepide. — Aliqui testes (DCK, syrus) omittunt τοῦ Θεοῦ, dicitur ὁ λόγος sine addito de evangelio 1 Thess. 1,6; Gal. 6,6; Col. 4,3; unde genitivus censeri poterit glossa ad explicationem addita (*Hpt.*).

Sed non est omnium fratrum scopus idem neque eodem affectu moventur ad loquendum verbum. Plures, οἱ πλείονες, maior pars quidem abundantius audent loqui verbum exemplo Pauli animati, at alii etiam διὰ φθόνον καὶ ἔριν, alii δι' εὐδοκίαν, aut ἐξ ἀγάπης, aut ἐξ ἐριθείας. Unde appareret, quantum auctoritatis ac dignitatis Pauli nomen iam acquisierit, sed simul discimus etiam praedicatores ac ministros Christi saepe subiacere miserae fragilitati humanae ; v. 15 *quidam autem et propter invidiam* καὶ διὰ φθόνον, loquuntur verbum, ita ut v. 14 indicatur, at praeterea etiam alia ratione stimulantur ; virtuti comes est invidia; celebre erat nomen Pauli; gloriae eius invident ; se suumque opus a Paulo obscurari aegre ferentes invidia eius successus impulsi verbum loqui satagebant; *et contentionem* καὶ ἔριν, per aemulationem, qua quasi de fama et successu cum Paulo contendere eumque superare studebant. Hac ipsa invidia et aemulatione praeclarum redditur testimonium eminentiae Pauli et magnitudini successus quem in praedicando evangelio obtinuit.

Perperam intelligit *Cal.* contentionem illam de lite, in doctrina legalium, et similiter *Lightfoot*, qui hic iam describi censent illos, de quibus 3,2 sq. mentio fit, id quod plane absonum est. De diversitate enim doctrinae nullum reperitur indicium; e contra ex v. 14 necessario concludi debet omnes illos recte locutos esse verbum; unde idem sequitur de v. 15 seq., et quomodo posset apostolus gaudere de annuntiatione omnium, si ageretur de doctrina falsa? ἔρις quidem habet etiam notionem rixae, altercationis. Num ei negarunt ius praedicandi? quasi falcem mitteret in messem alienam et ageret contra id quod ipse antea Romam scripserat : sic autem praedicavi, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem (Rom. 15,20)? Sed talis altercationis non apparet vestigium et vix probabile est tale quid ei fuisse oppositum.

Alii recto studio praedicationis addunt benevolentiam, *quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant* καὶ δι' εὐδοκίαν, animum in apostolum benevolum ostendunt, et quia sciunt se gratam rem apostolo praebere et gaudium, Christum annuntiant. Duos ordines recensuit, τινὲς μέν, τινὲς δέ; eorum animorum dispositionem accuratius definit, addens qua persuasione ducantur. Duas istas classes v. 16.17 forma chiastica, ordine inverso, proponit apostolus incipiens ab ultimis v. 16 οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης hi quidem *ex caritate*, explicatur magis εὐδοκία, et unde caritatem illam erga Paulum (*Ephr.*) conceperint, declaratur : *scientes quoniam in defensionem evangelii positus sum*, intelligunt isti, apostolum a Deo electum esse praeconem evangelii (*Theod.*), designatum et constitutum esse a Deo defensorem et propagatorem evangelii (cf. *Lap. Nat.*); similiter, uti 2 Tim. 1,11 in evangelio positus sum ego praedicator et apostolus. Isti itaque rite vocationem divinam apostoli perspicientes eum vera caritate ob eam dignitatem prosequebantur. Istum affectum εὐδοκίας explicat *Dib.* de praedicatione, ἀγάπην autem de amore in Christum. Verum aliter v. 11 οἱ δὲ ἐξ ἐριθείας, illi autem *ex contentione Christum annuntiant*, cf. v. 15 ἔριν, ex altercatione, vocem explicat *Oec.* ἐκ φιλονεικίας καὶ φθόνου καὶ ἔριδος ex pertinacia et aemulatione, « gloriae suae studentes meque deprimere conantes » (*Est. Nat.*); *non sincere* οὐχ ἁγνῶς, non pure, οὐκ εἰλικρινῶς, οὐδὲ δι' αὐτὸ τὸ καλόν (*Thph.* sim. *Chrys.*), non candide neque propter ipsum bonum; et qualem effectum sibi imaginantur? *existimantes*, οἰόμενοι opinantes, hac sua opinione ducti, *pressuram se suscitare vinculis meis*, se mihi vincto afflictionem creaturos esse et creare. Ex sua indole Paulum iudicabant; uti ipsi propter Pauli successum aemulatione, zelotypia indignantur, ita putant Paulum vinctum afflictum iri, si ipsi in libertate positi maiorem sibi famam felicis successus acquisierint, dum Paulus vinctus multum a munere praedi-

candi impediatur. Hunc sensum merito censet *Est.* valde congruere ingenio aemulorum Pauli, eamque explicationem proponit et sequitur *Iust.*, eam commemorat *Lap.* et indicat *Nat.* et unice probant *Hpt. Ew.* Prorsus autem improbabile est, illos evangelium praedicantes voluisse odium gentilium et Iudaeorum, seu ipsius Neronis persecutoris, in Paulum magis accendere, quae est explicatio graecorum et aliquorum latinorum, quam etiam *M.* amplexus est, putans illos vel id sua praedicatione intendisse, ut Paulus e medio tolleretur. Nonne potius ipsi sibi foveam fodissent?

Quod legitur in v. 16 εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι, graeci explicant : scientes mihi rationem reddendam esse apud Deum de praedicatione evangelii; et simul adiungunt auxilium praestari apostolo in hoc opere : « si enim multi accesserint praedicationi meae, facilis mihi erit defensio ». Alii contenti sunt interpretatione: scientes me positum in vinculis, ut reddam rationem evangelii a me praedicati (*Est. Lap.*), me positum esse ad defensionem evangelii (*Iust.*), me propter evangelii defensionem in carcere detineri (*Nat.*), me in vinculis positum esse ad defendendum evangelium (*M.*). In quibus opinionibus aliqua indigent explicatione. Apostolus non erat in custodia neque ad defensionem evangelii neque directe propter defensionem evangelii. Quarum rerum accusatus fuerit apostolus, legitur Act. 25,8 : Paulo rationem reddente, quoniam neque in legem Iudaeorum, neque in templum, neque in Caesarem quidquam peccavi; et cur Romam missus fuerit, ipse declarat : nemo me potest Iudaeis donare ; Caesarem appello (Act. 25,11). Unde in priore captivitate nulla erat quaestio directa de evangelio; quare explicationes illae videntur esse extra rem. Nihilominus aliquid veri continent. Nam ultimatim apostolus accusatus erat propter inimicitias quas Iudaei contra eum gerebant; istae autem inimicitiae unicam originem et causam habebant praedicationem evangelii et exinde accusationes aliae compositae erant, propter quas utique coactus est appellare Caesarem.

In v. 16. 17 certo praestat ad sensum et ad sententiae constructionem pariter, ut ἐξ ἀγάπης, ἐξ ἐριθείας non referatur ad οἱ μὲν, οἱ δὲ, ac si eorum quasi origo atque indoles naturae declararetur οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης ὄντες, sed ad verbum quod in v. 16 facile suppleturet in v. 17 explicite apponitur : ex contentione, ex caritate Christum annuntiant; ita enim hae sententiae ad v. 15 quoque conformantur, cuius maiorem declarationem exhibent; ergo sicuti in v. 15 διὰ φθόνον καί ἔριν ad verbum pertinet, ita ex aequo in v. 16 ἐξ ἐριθείας et pariter in altero membro. Illud *non sincere* v. 17 vult *Ew.* pariter referri ad v. 16 ad quosdam qui ex caritate praedicarint, scil. quia etiam ex amore Pauli, non ex solo studio et zelo evangelii praedicassent.

Paulus animi sui sensus pandit 1,18-26.

1,18. *Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* 19. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Iesu Christi* 20. *secundum exspectationem et spem meam, quia in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam sive per mortem.* 21. *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum;* 22. *quodsi vivere in carne hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro.* 23. *Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius;* 24. *permanere autem in carne, necessarium propter vos.* 25. *Et hoc confidens scio, quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei,* 26. *ut gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me per meum adventum iterum ad vos.*

1,18. Τί γάρ; πλὴν ὅτι παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται, καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι· 19. οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, 20. κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου ὅτι ἐν οὐδενὶ αἰσχυνθήσομαι, ἀλλ' ἐν πάσῃ παρρησίᾳ ὡς πάντοτε καὶ νῦν μεγαλυνθήσεται Χριστὸς ἐν τῷ σώματί μου, εἴτε διὰ ζωῆς εἴτε διὰ θανάτου· 21. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος· 22. εἰ δὲ τὸ ζῆν ἐν σαρκί, τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, καὶ τί αἱρήσομαι, οὐ γνωρίζω, 23. συνέχομαι δὲ ἐκ τῶν δύο, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον, 24. τὸ δὲ ἐπιμένειν τῇ σαρκὶ ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς. 25. καὶ τοῦτο πεποιθὼς οἶδα, ὅτι μενῶ καὶ παραμενῶ πᾶσιν ὑμῖν εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως, 26. ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν περισσεύῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐν ἐμοὶ διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς.

Qui existimant praedicatione sua apostolo creari molestiam (v. 17), oppido falluntur. Apostolus enim unice gloriam Christi et propagationem ob oculos habens gaudet de hoc bono effectu v. 18 *quid enim?* quomodo res se habet? et respondet apostolus : *dum*, dummodo *omni modo*, quavis ratione, quovis conatu et subsidio, *sive per occasionem*, προφάσει praetextu, intentione non recta (v. 15.17), *sive per veritatem*, recta intentione (v. 14), uti evangelii veritas exigit, *Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo ;* ex textu latino sensus est clarus : dummodo Christus praedicetur, laetatur apostolus ; minime ei molestia fit, si qui apostolum invidia, aemulatione prosequuntur ; « per occasionem annuntiat Christum, qui non intendit hoc principaliter, sed propter aliud, puta lucrum vel gloriam » (*Thom.*). In graeco fertur duplex lectio : πλὴν ὅτι, et solum ὅτι ; in priore casu erit vertendum : quid enim est, nisi quod Christus omni modo annuntiatur? et in hoc gaudeo etc. ; si legitur solum ὅτι, sententia erit protasis ad χαίρω, quod Christus annuntiatur omni modo, etiam gaudeo ; vel assumi potest, ὅτι etc. esse responsum ad τί γὰρ, ad quaestionem hanc (cf. *Hpt.*). « Ego autem, inquit, laetor, dum video veritatem vel adversariorum testimonia confirmari » (*Theod.*) et affirmat se etiam in posterum esse gavisurum, nullo modo

se aliorum προφάσει turbatum iri, quidquid illi tandem praetendant aut sequantur in praedicatione evangelii.

Et cur non solum nunc gaudeat, sed etiam in posterum merito gaudere possit, exponitur v. 19 *scio enim quod hoc mihi proveniet ad salutem* (Iob 13,16)[1], quidquid adversarii moliuntur, apostolus solum quaerit gloriam Christi; unde non potest non evenire : diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (Rom. 8,28), εἰς σωτηρίαν, ad salutem animae in praesenti et futuro (*Cai. Est. Lap.*). Merito autem monent graeci: modestiam et insignem animi demissionem hic expende in Paulo; nam post plurima praeclare gesta non suis meritis confidit, sed ut salutem consequatur, supplicationes aliorum expetit et iis se iuvari confidit, *per vestram orationem*, bene notat *Cai.*, adiuvari se Paulus manifestat sanctorum communione, quae suffragio orationum fit. Preces fidelium pro se et opere evangelii saepius requirit (1 Thess. 5,25; 2 Thess. 3,1; 2 Cor. 1,11 ; Rom. 15,30). Hac postulatione iam manifestat, se persuasionem illam (*scio enim*) minime haurire ex suis viribus, verum ex ope et auxilio divino, id quod explicite addit per *subministrationem spiritus Iesu Christi*, voce graeca designatur larga suppeditatio; Christum daturum esse gratiam spiritus copiosam sperat (*ThdM.*), Christum suum spiritum i. e. auxilium divinum largiri, explicant *Est. Lap.* ; valet enim illud : vivit in me Christus (Gal. 2,20) et hac vita Christi apostolo continuo subsidia divina dantur; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum ; nam Christus est vitis, apostolus autem palmes (Ioan. 15,5). Alii explicant de spiritu quem Christus suis promiserit (Matth. 10,19-20; Luc. 12,12; Ioan. 14,16).

Per preces fidelium et gratiam Christi hoc sibi ad salutem proventurum esse apostolus desiderat v. 20 secundum exspectationem, graece designatur vehemens ac sollicita exspectatio, τὴν βεβαίαν ἐλπίδα καὶ ἀμετάθετόν φησι (*Thph.*); sed quod quis vehementi desiderio exspectat, huic etiam intensam curam impendit, ut illud assequatur *et spem meam*, laetam fiduciam, qua confidit *quia in nullo confundar*, nulla in re, quidquid tandem contingat, pudore afficiar. Hoc solum fieret, si iam non libere et intrepide evangelium praedicaret, vel si cuiuspiam culpae sibi conscius esset. Sperat itaque se eadem constantia ac fortitudine in opere evangelii permansurum esse, qua eousque fuerat; nam si ab ea deficeret, haec esset confusio eius et ignominia, imo et salutis periculum. Ad maiorem etiam spem assurgit : non solum non confundetur seu deficiet in ulla re, *sed in omni fiducia* ἐν πάσῃ παρρησίᾳ, i. e. σαφῶς, φανερῶς, ἀναντιρρήτως, perspicue, aperte, irrefragabiliter, palam i. e. in omni

1. LXX Iob 13, 16 καὶ τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν.

manifestatione, *sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo*, ut antea ita nunc quoque, apostolo vinculis alligato, Christi gloria promovebitur, *sive per vitam*, *sive per mortem*, id est, in corpore meo; si vivo, vires corporis et vitam impendam in obsequium et gloriam Christi; si mortem infert persecutor, corpus meum exhibebo hostiam Christo (*Est. Nat.*) et morte pro confessione Christi fortiter tolerata exsurgit gloria Christi. Notat *Lap.* modestiam apostoli, dum non dicat : magnificabo Christum, sed magnificabitur Christus, ne scil. hoc sibi vel suis viribus adscribere videatur.

Quomodo autem in nulla re, ne in morte quidem confundatur, imo ipsam mortem desideret, explicat de se cum emphasi affirmans v. 21 *mihi enim vivere Christus est*, τὸ ζῆν Χριστός *et mori lucrum;* bene dicit *Chrys.* « si meam vitam velis vestigare, ille est; et mori lucrum; cur? quoniam maior mihi illius notitia erit et cum ipso versabor. » Vim dictionis haud immerito declarant exemplis vulgaris modi loquendi. *Thom. Cai.* : « sicut dediti delectationibus venatoriis dicunt quod delectatio venatoria est eis vivere, et dediti gulae dicunt quod cibus et potus est eis vivere, et sic de similibus, ita Paulus dicit quod Christus est sibi vivere » ; et *Ephr.* : « si quidem vita mea non est ista corporis mei quam inimici mei intendunt mihi eripere; sed vita mea Christus est, a quo nequeunt me segregare » ; Christus est mihi omnia καὶ πνοὴ καὶ ζωὴ καὶ φῶς (*Thph.*). Vitae notionem novam apostolus sibi vindicat : pro me τὸ ζῆν nihil aliud est et nihil aliud significat, nisi Christus; unde mori mihi est lucrum, quia maxime intime me cum Christo coniungit. « Nihil mihi durum facient qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam et ab hac vita mihi non apta me liberantes » (*Chrys.*). Et apostolum τὸ ζῆν hoc loco nova usurpare significatione, apparet etiam ex v. 22, ubi addit in carne.

Iam a consideratione *mori lucrum* apostolus animum advertit ad alterum : sive per vitam (v. 20) v. 22 *quodsi vivere in carne* mihi contingat, *hic mihi fructus operis est*, τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, hoc (vivere in carne) mihi fructus operis; haec vita terrestris erit occasio fructum maiorem afferendi ecclesiae et evangelio ministerio meo; hoc vivere in carne cedet mihi ad fructum operis seu laboris. Ergo videt apostolus se posse ulteriorem fructum afferre evangelio et plures ad Christum adducere; unde oritur pro apostolo dubitatio, animus eius manet suspensus inter duo : *et quid eligam, ignoro;* perspexit enim et mortem sibi maximo commodo fore et vitam ulteriorem sibi praebere opportunitatem cum fructu laborandi in evangelio. Inde simul comprobatur quod dixerat : hoc mihi proveniet ad salutem (v. 19); quidquid evenerit, sive mors sive vita, in utraque conditione reperitur commodum et utilitas.

Verum si utrumque apud se perpendat, ex utraque parte retinetur, id quod latius prosequitur et pluribus declarat (cui inservit particula δέ) v. 23 *coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius*, εἰς τὸ ἀναλῦσαι, desiderium tendit ad mortem quacum intime connectitur *esse cum Christo*, et hoc magna emphasi declaratur omni comparatione esse melius, breviter et concise πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον (quare γὰρ melius deest); εἰς τὸ ἀναλῦσαι, partes permanentes, corpus et animam, dissolvere et separare; verum cum hoc multo magis meliore pugnat alterum, v. 24 *permanere autem in carne necessarium* ἀναγκαιότερον magis necessarium *propter vos;* haeret quasi anceps : prodesse fidelibus, Christo perfecte frui; in utramque partem trahitur desiderio. Monent ex v. 23 sequi animas sanctorum post mortem vivere cum Christo et excludi errorem de somno animarum usque ad resurrectionem; vid. 1 Thess. 5,10; 2 Tim. 2,12.

De constructione sententiae in v. 22 aliqua notanda sunt. Graeci et etiam recentiores complures sententiam conditionalem seu protasin extendunt usque ad καρπὸς ἔργου, et apodosin incipiunt : καὶ τί. Id fieri posse, vel καὶ posse incipere apodosin, concedendum erit; sed tum praestaret, καὶ τί αἱρήσομαι; sententiam interrogationis directam ponere, cui addatur responsum οὐ γνωρίζω. Eo enim modo solet καὶ poni ante interrogationem post protasin (2 Cor. 2,2; Mrc. 10,26; Ioan. 9,36; cf. *Blass* 65,1; 77,6; *Hpt.*). Quae tamen constructio εἰ δὲ... ἔργου, propter positum τοῦτο vix commendari potest; τοῦτο incipit apodosin et ictus ponitur in καρπὸς ἔργου, nam quod vita in carne potest afferre *fructum operis*, hoc praeprimis effertur, et hoc declaratur apodosi τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου. In protasi utique habetur ellipsis, quae tamen non adeo difficile suppletur : si vivere in carne est sors mea, etc.; *Est.* supplet : si contingat, *Cai.* videtur supplere : lucrum est. *Hpt.* : si vivere in carne ζῆν ἐστιν, id quod nimis subtiliter dictum est et fere putidum, cum sane nunquam apostolo in mentem venerit negare, vivere in carne esse revera vivere. Aliis placuit, εἰ δὲ ... ἔργου per interrogationem pronuntiare : sed quid si vivere in carne mihi fructum operis affert? vides negligi τοῦτο, unde novo argumento constat, a τοῦτο incipiendam esse apodosin. Vertit *Dib.* gilts aber Leben im Fleisch — das bedeutet mir Frucht (meiner Arbeit); et *Ew.* similiter.

In sequentibus certam videtur apostolus affirmare persuasionem se mansurum apud fideles v. 25 *et hoc confidens scio* πεποιθώς firma animi confisione scio; *hoc* refertur ad id quod sequitur : *quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei*, duo videtur enuntiare : *manebo* scil. in vita, ideoque etiam *permanebo omnibus vobis*, et veteres iam bene explicant id dici et valere de fidelibus generatim, uti pariter illud : magis necessarium propter vos (v. 24). Sed nonne mirum videtur, quod nunc apostolus tanta asseveratione enuntiet se mansurum; modo enim rem in dubio reliquit : sive per vitam, sive per mortem v. 20; item de se affirmavit : quid eligam

ignoro; iam vero si scit se propter necessitatem fidelium Deo volente mansurum esse, iam scire debet quid eligendum sibi sit. Et si nunc affirmat se permansurum esse, quomodo mox iterum rem dubiam, incertam proponit 2,17 sed et si immolor, gaudeo? Vel si nunc certo scit (uti plerique explicant, imo oraculo divino : cf. *Oec.*) se mansurum, quomodo scribere potest ea quae antea et postea litteris consignat?

Quaestionem ponit *Est.* et respondet haec dici ex humana, sed probabili coniectura, quae moralem certitudinem faceret, quam moralem certitudinem mox iterum de coniecturali scientia et fiducia explicat; insuper censet *Est.* vocem graecam generalem valere persuasionem et infallibilem et probabilem (cf. 1,6). Nescio an ea explicatione nodus ille solvatur. Aliam acceptionem, qua tota res plana fit, saltem semel indicavit *Chrys.* scribens : ἔδειξεν, ὅτι κἂν μένῃ, διὰ τοῦτο μένει, δι' ἐκείνους, ostendit se, si maneat, ideo manere ut illis prosit. Sententia ex contextu totius loci est intelligenda conditionate; nam ex v. 18 seq. id unum praeprimis spectatur, nihil accidere posse quod non sit ad gaudium apostoli, ad salutem eius et ad Christi gloriam; quoad externam conditionem expenditur utrumque : sive per vitam, sive per mortem, et ostenditur in utroque esse commodum ; morte fruitur Christo, per vitam fructus exsistet evangelii et utilitas fidelium. Haec utilitas etiam asseritur et magna persuasione affirmatur v. 25 εἰς τὴν ὑμῶν προκοπήν etc. et v. 26 ἵνα etc., quae utilitas eveniet manente in vita apostolo. Ergo exponit quid eventurum sit suppositione facta mortis et vitae; sed utra suppositio eventu rerum futura sit, non indicat, in medio relinquit. Hanc acceptionem indicat *Chrys.* et eam *Hpt. Ew.* pluribus commendant. Ex contextu itaque explicare oportet : certa fiducia scio, quod, si manebo, manebo ad vestrum profectum etc. Aliam praeterea rationem et viam indicat *Ew.*, proponit scil. ut legatur non ὅτι sed pronomen ὅ τι i. e. quidquid manebo, id permanebo ad vestrum profectum.

Exponitur itaque in v. 25 quid eventurum sit « sive per vitam » si hoc scil. contingat; vita apostoli continuata erit (et de ea re profitetur perfectam certitudinem) εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίστεως *et gaudium fidei*, cum graece duo nomina uno coniungantur articulo, τῆς πίστεως potest pertinere ad utrumque nomen, neque tamen debet; si ad utrumque retuleris, eadem notione explicabis, quomodo profectus et gaudium pertineant ad fidem vel ex ea oriantur et promoveantur. Sed simplicius est ad solum gaudium adiungere vocem; gaudium fidei explicat *Oec.* gaudium spirituale, *Est.* gaudium ex fide profectum, gaudium, cuius fons et causa sit fides. Optat itaque ut cognitione ac bonis moribus proficiant et animis ex fide laetis degant; quodsi contingat, etiam ulterius attingetur, *ut gratulatio vestra*, ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν, ut vestra materies gloriandi

abundet in Christo Iesu: materies gloriandi est profectus et gaudium fidei, aliis verbis, cognitio et vita christiana. Ulterior effectus, si Paulus in vita permanet, erit, ut haec *abundet*, crescat et plurimum proficiat, fundata in Christo, in Christo habens firmas radices et fontem gratiae ad maius incrementum. Atque tale incrementum per ministerium apostoli effectum iri indicat *in me*, etiam in me aliquatenus fundatur, scil. *per meum adventum iterum ad vos*, ergo in laboribus apostoli, quos illis impendet ad profectum eorum augendum.

Quod vulg. habet *gratulatio*, explica de materia gratulationis seu gloriandi. Haec est enim notio vocis καύχημα, ipse actus gloriandi dicitur καύχησις. Quaenam sit materies gloriandi semel bene explicat *Chrys.* τὸ ἐστηρίχθαι ἐν τῇ πίστει, τὸ ὀρθῶς βιοῦν, corroborari in fide, recte vivere (et *Oec.*). In v. 26 videtur materies gloriandi satis determinata in antecedentibus scil. in ipso profectu et gaudio fidei. Id enim apostolus apud eos sua praesentia efficere vult; haec autem materia gloriandi tandem quo magis abundat, eo magis confert ad glorificationem Christi et cum per praesentiam et laborem apostoli exstiterit, denuo ostenditur apostolum in nullo confundi (v. 20). Si autem profectus eorum dicitur materies gloriandi eorum, simul indicatur maxima illorum aestimatio et existimatio quam habent de cognitione Christi et de doctrina fidei; nam si haec est illis materia gloriandi, de eius possessione gloriabuntur apud alios, sese beatos praedicabunt et eius excellentiam magna commendatione encomiisque annuntiabunt. Explicat simili modo *Dib.* (damit euer Ruhm in Christus gross werde).

Aliter tamen sententia concipitur. Praeter explicationem materiae gloriandi modo ex *Chrys.* datam idem doctor mox alteram subdit: materia gloriandi de vobis (ὑμῶν, ergo genit. obiect.); inde oritur sensus: ut ego habeam ampliorem materiam gloriandi de vobis secundum Christum; et eodem modo concipiunt *ThdM. Oec. Thph. Nat.* Neque desunt qui materiam gloriandi Philippensium quidem intelligant, at eam illorum gloriationem fieri et praedicari velint de ipso Paulo, de tanto magistro; id quidem *in Christo*, ut tandem tota haec gloriandi materia abundans quam habent et praedicant in Paulo ἐν ἐμοί, tandem cum gratiarum actione Christo accepta feratur (cf. *Cai. Est.*). Eodem modo *Hpt.* quoque materiam gloriandi reponit in continuato opere apostolico Pauli, ad cuius praesentiam cuilibet coetui fidelium detur ampla materia gloriandi, ita ut tandem omnes de Paulo possint gloriari tamquam fautore rei religiosae apud se florentis; incrementum hoc religionis per Pauli ministerium ultimatim reponi in Christo. Quam acceptionem admitti non posse, iam ex eo patet, quia apostolus talem pro se gloriam non postulat; pro se expetit, ut in nullo confundatur

(v. 20); dein unice id spectat, ut Christus glorificetur; et demum ei maxime cordi est profectus fidelium. Cur autem huius profectus abundantiam ex sua praesentia fore speret et exoptet, facile concluseris; nam dixerat mori et esse cum Christo esse multo magis melius v. 23; si itaque mansurus est in vita, saltem eximia quaedam utilitas et abundantia profectus debebit ei contingere, ut aliquo modo compensetur illud πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, quod ei nondum datur.

Animos assumant fortes et humiles, edocti exemplo Christi 1,27-2,11.

1,27. *Tantum digne evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero, et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei evangelii,* 28. *et in nullo terreamini ab adversariis, quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo,* 29. *quia vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini,* 30. *idem certamen habentes quale et vidistis in me et nunc audistis de me.*

2,1. *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis,* 2. *implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,* 3. *nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,* 4. *non quae sua sunt singuli considerantes sed ea quae aliorum.* 5. *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu,* 6. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus, est, esse se aequalem Deo,* 7. *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.* 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen,* 10. *ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum,* 11. *et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

1,27. Μόνον ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε, ἵνα εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς εἴτε ἀπὼν ἀκούω τὰ περὶ ὑμῶν, ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου, 28. καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων, ἥτις ἐστὶν αὐτοῖς ἔνδειξις ἀπωλείας, ὑμῶν δὲ σωτηρίας καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ, 29. ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν, 30. τὸν αὐτὸν ἀγῶνα ἔχοντες, οἷον εἴδετε ἐν ἐμοὶ καὶ νῦν ἀκούετε ἐν ἐμοί.

2,1. Εἴ τις οὖν παράκλησις ἐν Χριστῷ, εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης, εἴ τις κοινωνία πνεύματος, εἴ τις σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, 2. πληρώσατέ μου τὴν χαράν, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύνψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες, 3. μηδὲν κατ' ἐριθείαν, μηδὲ κατὰ κενοδοξίαν, ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. 4. μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστοι σκοποῦντες, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστοι. 5. τοῦτο φρονεῖτε ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, 6. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, 7. ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσεν μορφὴν δούλου λαβών, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος· 8. ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· 9. διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, 10. ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, 11. καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός.

Cum haec de se ita narrasset, convertit sermonem ad exhortationem; ita *Theod.* nexum adstruit; exponit, ut *Thom.* dicit, quid requiratur ex

parte eorum ; quid ex sua parte futurum sit, apostolus debuit in medio relinquere ; unde effert quid omnino et sub omni conditione praestandum sit v. 27 *tantum digne evangelio Christi conversamini* : de usu ac notione μόνον vide 1 Cor, 7,39; Gal. 2,10; 2 Thess. 2,7. Graeci explicant : τί ἐστι τὸ μόνον; τοῦτό ἐστι τὸ ζητούμενον μόνον, καὶ οὐδὲν ἄλλο· ἂν τοῦτο ᾖ, οὐδὲν λυπηρὸν ἡμῖν συμβήσεται (*Chrys.*), hoc solum requiritur, nil aliud; si hoc adsit, nihil molesti nobis obtinget: vel hoc solum a vobis quaero (*Thph.*). Longius repetitur nexus, si *Est.* supplet : de me, inquit, ne sitis solliciti, tantum hoc curate; vel si *Ilpt.* regreditur ad 18 χαίρω καὶ χαρήσομαι, quidquid mihi obtingit, non turbabit gaudium meum; unum solum me affligeret, si de vobis deteriora audirem. Primo monet, ut *digne evangelio* conversentur, res omnes gerant, vitam instituant pro dignitate evangelii (*Cai.*), uti pro dignitate doctrinae requiritur, ne ipsi evangelio ignominiam apud alios inferant, sed ut maxime ei honorem concilient; cf. Eph. 4,1. Bene dicitur πολιτεύεσθε, quod apud scriptores significat utrumque : cives estote, rempublicam administrate; quare optime transfertur ad civitatem Dei seu regnum Christi, cuius cives esse et cuius res ac negotia, uti decet et dignum est tanto honore, administrare debent; vide 3,20.

Hoc loco apostolus aliquam rationem eos incitandi ad digne agendum ex sua ipsius de eis existimatione repetit, *ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis* τὰ περὶ ὑμῶν, res vestras, totum statum vestrum; attende quomodo iterum in dubio relinquat utrum ad eos venturus sit necne, id quod ad v. 25 recte intelligendum advertendum est. Quod dicit *audiam*, pertinet ad eius absentiam ; ergo ad eius praesentiam εἴτε ἐλθὼν καὶ ἰδὼν ὑμᾶς. Deest verbum, et per modum zeugmatis (uti loquuntur) supplendum est : cognoscam τὰ περὶ ὑμῶν, et quaenam sint illa quae praesens cognoscere, videre velit, vel absens audire, explicat ὅτι στήκετε, *quia statis* etc., ita ut simul admonitionem generalem : digne evangelio conversamini, per particularia quaedam monita declaret et applicet : *quia statis in uno spiritu*, ἐν ἑνὶ χαρίσματι ἀγάπης καὶ ὁμονοίας (*Oec.* sim. *Chrys. Thph.*) in gratia et dono Spiritus sancti qui est spiritus caritatis, unionis, pacis; cf. Eph. 4,3; Spiritus sanctus est unus; hic admonentur, ut firmiter stent et sese conservent in una illa diligendi ac sentiendi ratione sive gratia quam Spiritus sanctus in animis fidelium producere solet. Ita scil. per Spiritum animati revera *unanimes*, μιᾷ ψυχῇ ἐπὶ ὁμονοίας εἴρηται (*Chrys.*) de concordia dicitur, unam voluntatem et animum habentes (*Thom.*); cf. Act. 4,32 credentium erat cor unum et anima una; uno communi omnium studio et nisu *collaborantes fidei evangelii* συναθλοῦντες coniunctim pugnantes pro fide, in commodum fidei qua evangelio creditur; vos scil. mutuo adiuvantes

in certamine quod pro fide suscipitur ἐν τῇ ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀθλήσει (*Thph.* sim. *Chrys. Dam. Oec.*).

Et quale certamen intelligatur, elucet ex v. 28 *et in nullo terreamini ab adversariis*, pugna est contra adversarios evangelii, qui impugnant evangelium vel sophismatis, vel calumniis, vel persecutione et oppressione; quidquid igitur fit et obtenditur, *in nullo* μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενί, in nulla re vel conditione expavescentes et retrocedentes, seu declinantes pavidi; verbum dicitur de equis re insolita subito pavidis (cf. *Wetsten.*; explicat Hesychius : φρίσσειν, σείεσθαι, κλᾶσθαι). Quales adversarios intelligat Paulus, concludere possumus; nam clare dicit, Philippensibus datum esse pati pro Christo, dein v. 30 alludit ad persecutionem quam ipse Philippis expertus est (Act. 16,22 virgis caesus missus est in carcerem) et ad adversitates quas Romae sustinere debet (1,15 propter invidiam et contentionem); dein 3,2 loquitur de malis operariis, de arrogantia iudaizantium, de multis inimicis crucis Christi et helluonibus 3,18. Unde varia genera adversitatum et adversariorum facile colliguntur et apparet quam necessario moneat apostolus, ut in nullo terreantur, sed firmiter consistant : στήκετε συναθλοῦντες.

Haec autem eorum firmitas et constantia ipsis adversariis erit Deo ita disponente argumentum, eorum conatus fore irritos, causam autem vestram optimam et salvam : *quae illis est causa perditionis*, ἥτις ἐστὶν αὐτοῖς ἔνδειξις ἀπωλείας, ἥτις dicitur per attractionem, sed refertur ad antecedens : quod vos in nulla re ab adversariis perterremini, sed constanter tanta animorum consensione et omnium conspiratione collaboratis, est adversariis demonstratio ἔνδειξις, causam suam esse perditam, et proinde ipsos quoque perditum iri; « quando enim perspexerint se post innumera quae tentarunt, ne territare quidem vos posse, nonne evidens illis hoc indicium erit, quod sua quidem peribunt, vestra vero fortia sunt et salutem protinus habentia » (*Thph.* sim. *Chrys. Oec.*); *vobis autem salutis* si legitur cum aliquibus testibus ὑμῖν, sensus est : sicut vestra constantia adversariis est indicium perditionis, ita vobis est indicium salutis; sed testes meliores et longe plures praebent ὑμῶν δὲ σωτηρίας, id quod etiam meliorem exhibet sensum, scil. ipsi adversarii ex vestra fortitudine cognoscent eam esse demonstrationem vestrae salutis, vestram causam esse bonam, vos non perditum iri sed salvatum; adhibetur ἀπώλεια et σωτηρία sensu quodam generali, sicut de clade et victoria, causam perdere et causam obtinere, interire et servari, ex mente scil. adversariorum, quibus ipsa fidelium constantia, probitate, patientia iniicitur suspicio de sua iniustitia et numinis vindicta et de illorum integritate et protectione divina. Quod habet vulg. *quae illis est causa perditionis* etc., statim declarat, qualem sortem demum utrique habi-

turi sint. Et ad ideam, ipsos adversarios sentire malam suam causam et bonam fidelium, aptatur *et hoc a Deo*, Deo disponente fit, ut illis eiusmodi ἔνδειξις oriatur.

Ita quidem haud pauci explicant et *Hpt.* v. g. adversarios constantia christianorum ita percelli censet ut in sensus prorumpant similes illi : vicisti Galilaee (sim. *Dib.*). At ex altera parte tamen merito quaeri potest num simpliciter certum sit persecutores constantia fidelium sentire malam suam causam et suam praesagire perditionem? Id quandoque fieri *posse* et nonnunquam fieri, nemo negabit. At verbis textus non enuntiatur, id posse evenire, verum id ita esse. Iam bene admonuit *Lap.* « nec illi hoc indicio credebant se perdendos et damnandos, imo putabant se bene facere et gratiam mercedemque a diis accepturos ». Quare satius erit ἔνδειξις ita accipere, ut non ad persecutores referatur, sed potius ad eos quibus epistolam scribit. Id iam bene indicavit *Ambrst.* scribens : « ut in nullo paventes custodiant fidem, scientes quia eis qui pro Christo tribulantur ad salutem proficit, illis vero qui tribulant, ad perditionem » ; vel etiam ut ἔνδειξις generatim et obiective explicetur argumentum, quo per se, ex rei natura, ex divina providentia, ex doctrina Christi etc. demonstretur perditio persecutorum et salus afflictorum. Eo sensu accepit *Theod.* : « hoc enim illis exitium, vobis autem salutem conciliat » ; et eodem modo sententiam concipiunt *Cai. Est.* « quod vobis adversantur, quod vos persequuntur propter fidem, id argumentum est et indicium aeternae perditionis ipsorum » et *Iust. Lap. Ew.* Hunc sensum (obiectivum) exprimit vulg. : quae illis est *causa* perditionis, quamvis verum sit, quod *Cai.* monet : non causa sed ostensio significatur. Sed propterea versio vulg. non est carpenda; nam si persecutio verum est argumentum seu indicium perditionis ratione habita persecutorum (αὐτοῖς, Dativ der Beziehung), in ipsa persecutione etiam aliquid inesse debet quo perditio revera causatur vero aliquo sensu; agitur enim de re gesta, quae non potest esse nudum indicium alicuius eventus futuri, neque hic tamquam merum indicium proponitur (cf. ἔνδειγμα 2 Thess. 1,5).

Cur autem constanter pugnantes minime terreantur, ratio affertur ex eo quia illis divino beneficio praeclarum illud contingit pro Christo pati v. 29 *quia vobis donatum est: quia* erit referendum ad sententiam principalem, non ad ὑμῶν τὴν σωτηρίαν, quia hoc non dicitur ex mente eorum. Deum autem dare per persecutiones indicium quoddam salutis, vel fideles posse in illis tale indicium agnoscere, non per se ad v. 29 spectat. Pro Christo pati effertur cum emphasi maius beneficium divinum, quam gratia illa qua ad fidem in Christum adducti sunt : ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ favore quodam concessum est, *non solum ut in eum cre-*

datis, quanta iam gratia est fides, radix et fundamentum iustitiae coram Deo ! *sed etiam ut pro illo patiamini*, multo maior favor declaratur pati pro Christo. Monent *Chrys. Dam. Thph.* afflictiones pro Christo toleratas designari gratiam, charisma, donum, ne scil. pudefiant neve succumbant, dum patiuntur ; et ex altera parte eos admoneri modestiae, ut de se demisse sentiant, omnia Deo adscribentes. Prius illud *pro Christo* esse hyperbaton et referri ad verbum extremum *patiamini*, ibique ob insertam sententiam repeti *pro illo*, iam clare exponunt *Est. Lap.* : « cum enim vellet apostolus tantum dicere : vobis donatum est pro Christo pati, subiit mentem eius, quod etiam donatum esset eis credere, illudque inserit et mox ad id quod primo intenderat, redit, subdens, sed etiam, etc. » (*Lap.*). Quod hyperbaton etiam recentiores assumunt. Nullo modo autem licet cum *Cai. Iust. Nat.* unam praepositionem ὑπέρ, *pro* notione varia accipere ; explicant enim : vobis datum est ratione Christi et meritis eius, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini ; neque ullo pacto necesse est.

Praeterea eos etiam suo exemplo adhortatur (*ThdM.*) v. 30 *idem certamen habentes quale et vidistis in me*, vide Act. 16,22.23 (commotio plebis in eum, virgis caesus, in carcerem missus) *et nunc audistis de me*, καὶ νῦν ἀκούετε ἐν ἐμοί et nunc auditis in me scil. fieri ; Philippensibus varios nuntios de conditione Pauli romana esse perlatos indicatur ; aliqua ipse modo in epistola exposuit v. 15-17. Quomodo hoc suo exemplo eos animet, exponit *Chrys.* : « rursus hoc loco eos extollit ; ubique enim eos ostendit in iisdem secum certaminibus versari, eosdem impetus ferre, privatim etiam atque apud seipsos, eo quod easdem atque ipse tolerent tentationes ». Ex hoc loco apparet Philippenses evangelii causa post discessum Pauli varie fuisse vexatos et afflictos, sed simul elucet eos fortiter in hoc agone christiano et in hac palaestra suas egisse partes.

Admonitionem generalem : digne evangelio conversamini, primo determinavit adhortatione ad concordiam, unanimitatem, quam exhibeant in communi agone intrepidi magni aestimantes donum divinum patiendi pro Christo (1,27-30). Adhortationem hanc nunc denuo assumit 2,1. quare οὖν, *ergo* notione et usu communi ponitur. Mirum est quanta emphasi eam adhortationem vestiat apostolus ; quattuor sententiis et quasi per modum adiurationis (*Cai. Iust.*) et obsecrationis utitur ad fideles commovendos, ipsa verbi seu copulae omissione instanter ac vehementer effert singula membra, ac si rem quam maxime urgere et animis imprimere exoptet. Erit itaque concludendum apostolo allatos esse nuntios de defectu quodam concordiae et unionis, qui exortus sit ex aemulatione, superbia, cupiditate proprii commodi ; quare exemplum

Christi eis proponit; idem sequitur ex monitionibus passim per epistolam datis : 2,14-16; 3,16; 4,2.7.9.

In ipsa explicatione quattuor sententiarum cernitur varietas. Et graeci quidem in quattuor istis ea vident, quibus Philippenses apostolo consolationem et levamen afferant : si vultis mihi quampiam consolationem dare, si quod solatium, quale caritas generat, si monstraturi estis quod communicationem quandam habeatis mecum in spiritualibus et secundum Dominum, si affectu miserationis erga me movemini; et eodem modo etiam *Thom. Est. Iust. Nat. Lap.* sententias concipiunt. Apostolus itaque eos adiuraret et obsecraret per amorem quem ipsi in apostolum gerunt : si quid solatii, amoris etc. mihi afferre vultis et hisce rationibus eos urgeret, ut concordiae studerent. Quae tamen explicatio non videtur probanda. Apostolus dicit v. 2 *implete gaudium meum*, ergo iam habet gaudium ex illis, proinde non est censendus ab illis petere quidquam consolationis et levaminis, seu solatii. Neque satis congruit, ut apostolus admonitiones ad concordiam fulciat suis commodis in medium prolatis, et quod in tertio membro dicitur *si qua societas spiritus* cum reliqua explicatione nequit componi et certe maius quidquam ac sublimius indicat, quod consolationem Pauli a fidelibus praestandam longe superet.

Melius est quod *Victorinus Cai.* proponunt : si qua inter nos est consolatio, si qua mutua inter nos dilectio, si qua communio inter nos est spiritualis gratiae, si quis inter nos affectus ad condolendum — exhibentur enim bona utrisque communia quae vere sint bona non uni proficua, sed quorum commoda in totum coetum extenduntur et ab omnibus magni aestimantur. Adiuratio et obtestatio per talia bona communia facta sane maiorem habet vim et dignitatem, quam quae fit per commoda ad unum pertinentia. Verum in hac explicatione infertur illud *inter nos*, cuius in textu nullum apparet indicium. Unde praestare videtur quod alii obsecrationem illam fieri exhibent commemoratione bonorum, ita ut adiuratio fiat simpliciter per bona illa; ita *Ambrst. :* si est vera exhortatio in Christo apud vos, si solatium caritatis communis, si participatio Spiritus sancti; similiter *Pelagius* (qui tamen aliter quoque adiungit : si qua mihi a vobis consolatio exhibetur), *Hervaeus* in priore explicatione habet : si me consolari vultis, uti *Petrus lombardus* in secunda; in altera autem habet idem quod *Petrus lomb.* in priore : si vultis habere consolationem in Christo. Hanc acceptionem *Damascenus* quoque dilucide proponit : « priusquam eos adhortatur ad unam fidem et unum animum habendum, velut sacramento, ὅρκῳ, mentes eorum occupat; per consolationem qua Christus nos consolatus est, per caritatem et communicationem Spiritus, per ipsamet viscera et miserationes Dei vos adiuro ὑμᾶς ὁρκίζω.

Textus traditus est εἴ τις οὖν παράκλησις, εἴ τις κοινωνία, imo εἴ τις σπλάγχνα (*Chrys. Theod. Thph. Oec.* εἴ τινα), si qua ergo consolatio, si quod solatium, si qua societas ; uti textus effertur, nihil potest suppleri, nisi *est ;* quam rationem supplendi semel indicat *Chrys.* explanans : εἴ τινα ἔχετε παράκλησιν. Sed si solum suppletur, si qua consolatio est, vel si qua adhortatio est in Christo, haec sententia non satis congruit cum sequentibus monitis ; potius erat dicendum : si adhortatio in Christo aliquid valet apud vos, et ita in sequentibus membris. Unde recentiores coniectant legi oportere εἴ τι παράκλησις si quid valet adhortatio etc. (cf. *Blass* § 31,6; *Hpt.*). Et eodem modo in subsequentibus. Mirus soloecismus est εἴ τις σπλάγχνα, nisi assumere volueris cum *Dib.* τὶς considerari indeclinabile (sicut D* L 17 praebent εἴ τις παραμύθιον). Aliam sententiarum constructionem et acceptionem ob 2 (implete gaudium meum) necessario assumendam esse, *Ew.* censet : sententias esse grammatice explicandas ad modum Rom. 12,6 seq.; si qua adhortatio (danda est, fiat) in Christo; si quod solatium (originem habeat, nascatur) ex caritate; si qua societas (ineatur) spiritu (regatur), si qua societas (εἴ τις κοινωνία scil. exsistit), visceribus misericordiae (regatur). Si tota apodosis esset : implete gaudium meum, utique quadruplex illa obtestatio quam maxime mira esset et plane non ad rem ; at considerari debet, quae apostolus ab iis requirat ad gaudii sui impletionem et quomodo ea sententia iucundo quodam modo praecepta maximi momenti introducat. Apostolus neutiquam adhibet obsecrationes illas ad suum privatum commodum promovendum, sed ad procuranda emolumenta spiritualia et ad profectum Philippensium urgendum. Et in hoc contextu pondus earum recte consistit, neque ullo pacto opus est fingere sententias illas abruptas, vel potius seriem verborum sine nexu, quibus mente et cogitatione demum sensus adiungatur.

Magna emphasi per quattuor quasi obtestationes et obsecrationes eos urget ad monita fideliter excipienda et opere implenda. Merito exclamat *Chrys.* ὅρα πῶς λιπαρῶς, πῶς σφοδρῶς, πῶς μετὰ συμπαθείας πολλῆς, vide quam copiose, quam vehementer, quanto cum affectu; v. 1 *si qua ergo consolatio in Christo*, παράκλησις, bene *Ambrst.* adhortatio, nam agitur in subsequentibus de monitis, ergo : si qua adhortatio in Christo facta exsistit, si qua adhortatio nomine Christi et in causa Christi facta vim habet apud vos ; *si quod solatium caritatis*, εἴ τι παραμύθιον ἀγάπης, si quod alloquium caritatis (genit. qualitatis), plenum caritate et benevolentia, quidquam valet; apostolus itaque monita sua primo inducit tamquam in Christo facta, in unione cum Christo; dein tamquam alloquium ex caritate profectum et magna benevolentia quasi conditum ; *si qua societas spiritus*, communicatio Spiritus sancti: tertium per quod eos quasi

adiurat, est participatio Spiritus sancti, quem acceperunt, cuius consortio, inhabitatione, donis potiuntur (cf. Eph. 1,13.14; 4,30); quanti igitur consortium Spiritus sancti aestimant, tanto studio monita illa opere exsequi nitantur. Quantum quod adhibet ad roboranda monita est affectio amoris et commiserationis, *si qua viscera miserationis*, σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί, si quid valet apud vos amor erga me et commiseratio mihi vincto exhibita. Perpende quot et quales rationes in medium afferat : adhortatio est in Christo, fit ex caritate, corroboratur per Spiritum sanctum, demum ipsi apostolo exhibeant amorem, commiserationem. Ex omni parte animos eorum aggreditur, pulsat, excitat; causas divinas humanasque iungit.

Ultimo membro adnectit aliud incitamentum aeque potens pro amicis apostoli v. 2 *implete gaudium meum*, non dicit : facite mihi gaudium, sed *implete* gaudium, quod iam concepi ex praeclaris documentis fidei vestrae, maius facite, cumulate (cf. *Chrys. Thph.*). Et quale gaudium ab eis expetit? « quid desideras? dic mihi! ut te a periculis liberemus? ut tibi quidquam suppeditemus? nihil huiusmodi, inquit, sed *ut idem sapiatis* » (*Chrys.*); agnoscit conditionem fidelium esse bonam et sibi esse gaudio; quid autem ulterius praestandum sit et ad quid tendat quadruplex illa adiuratio et obsecratio, declaratur sententia ἵνα inducta, qua particula utuntur post verba praecipiendi, desiderandi (*Blass* § 69,4); notio praecipiendi includitur : implete gaudium meum. Praecipit τὸ αὐτὸ φρονεῖν, ut eodem sensu, eadem opinandi ratione, eodem studio ducantur (4,2); pertinet enim verbum ad intellectum et voluntatem (*Lap.*) ; quae animorum consensio apostolo valde cordi est ; eam saepius commendat Rom. 12,16 ; 15,5; 2 Cor. 13,11. Ad eam habendam et retinendam affert adiumenta, in sequentibus describens modum ad eam perveniendi, *eandem caritatem habentes*, ex una eademque radice fidei procreatam et ex amore Dei provenientem. Ut verum est quod, ut ait *Chrys.*, possumus et idem sapere et caritatem non habere, ita non minus constat, quantopere caritas valeat ad diversitatem sentiendi mitigandam et tollendam; τὴν αὐτὴν, τουτέστιν, ὁμοίως καὶ φιλεῖν καὶ φιλεῖσθαι, noli tu fruens magna caritate minorem aliis praestare, ut etiam hac in re plus aequo appetas, ἵνα ᾖς πλεονέκτης (*Chrys.* imo *Thph.* ama tu eadem mensura, ἴσῳ τῷ μέτρῳ). Mutua praecipitur caritas (cf. Col. 1,4; 1 Thess. 3,12), quae est mater concordiae (*Est. Nat. Lap. Iust. M.*).

Quod sequitur *unanimes* σύμψυχοι refertur quandoque ad caritatem; ita *Iust.* censet esse iungendum; « est enim id amantium proprium, ut unó velut animo ac spiritu vivant et spirent idemque omnino velint atque appetant, neque male veteres dixerunt esse amicorum animum duo veluti corpora informantem ». At plerumque iungunt cum sequenti

membro ; ita iam *Chrys.* τί ἐστι σύμψυχοι ; ἐδήλωσεν εἰπὼν τὸ ἓν φρονοῦντες, ἓν ἔστω τὸ φρόνημα„ ὥσπερ μιᾶς ψυχῆς, unicum vult esse omnium sensum quasi ex una anima omnia proficiscantur ac pendeant ; *idipsum sentientes*, unanimes sunt qui unum idemque sentiunt, credunt, amant, volunt, nolunt. Sed ita oritur idem sensus iam expressus : ut idem sapiatis, utrimque legitur φρονεῖν. Neque eiusmodi tautologiam refugit *Chrys.* exclamans : βαβαί, ποσάκις τὸ αὐτὸ λέγει ἀπὸ διαθέσεως πολλῆς! papae, quoties idem repetit ex magno affectu! neque interpretes generatim aliter sentire videntur ; immo cum graece habeatur τὸ ἓν φρονοῦντες provocant ad sententias apud Polybium λέγοντες ἓν καὶ ταὐτὸ πάντες (5,441) et apud Aristidem ἓν καὶ ταὐτὸ φρονοῦντες (de concord. Rhodior. p. 569 *Wetsten. Vinc.*).

Verum merito monet *Hpt.* τὸ ἓν non esse idem ac ἓν φρονεῖν, τὸ ἓν φρονεῖν solum posse significare, illud unum quod Philippenses sciunt quid sit, notam illam rem studio prosequi ; illud unum autem esse vel causam Christi vel eorum salutem (das Eine κατ' ἐξοχήν, das wahrhaft Notwendige, *Ew.*). Exoritur itaque sensus : consensione animorum (σύμψυχοι) unam illam metam (notam omnibus) studio prosequentes seu affectu appetentes ; in qua unitate finis seu scopi habetur simul magnum caritatis fulcrum. Hunc finem, causam seu opus Christi, suam salutem, si ob oculos habuerint, facile in casibus particularibus quoque τὸ αὐτό idem sentient. Ita τὸ ἓν φρονεῖν efficax est adiumentum ad τὸ αὐτὸ φρονεῖν, eodem modo sicut *eandem caritatem habentes* etiam iuvantur ad idem sentiendum. Adducuntur itaque duo adiumenta seu duo modi ad illam animorum consensionem efficiendam, seu ad idem sapiendum : caritas et studium unius illius finis qui omnibus est propositus. Interpretatio vulg. *idipsum* certe non est apta ; nam idipsum exprimit τὸ αὐτό (Matth. 27,44 ; Rom. 12,16 ; Hebr. 4,11 ; ita in Psalmis in idipsum ἐπὶ τὸ αὐτό 4,9 ; 33,4 ; 40,8 ; 61,10 ; 73,6 ; 121,3 et Act. 2,47 ; 1 Cor. 7,5) ; ergo verti debuit τὸ ἓν unum vel (uti saepius in vulg. τό redditur) id unum sentientes.

Iam tanguntur impedimenta et obstacula huius consensionis animorum v. 3 *nihil per contentionem* μηδὲν κατ' ἐριθείαν, κατά secundum, ad normam, nihil vel in nulla re secundum normam contentionis ; vocem explicat *Thph.* » μηδὲν κατὰ ζῆλον ἢ ἔριν ποιοῦντες quod solemus dicere : danda est mihi opera, ne ille me vincat, hoc est ἐριθεία » ; est igitur quaedam aemulatio et studium excellendi prae aliis. Dein matrem illius adducit *neque per inanem gloriam* μηδὲ κατὰ κενοδοξίαν, ex hac enim illa nascitur (*Thph.*), neque quidquam fiat ad normam vanae gloriae, qua quis laudem et gloriam appetit, quae nihil valeat, vel superbit seu gloriatur de inanibus rebus, vacuis omni praestantia. Quantum damnum hisce inferatur, audi *Chrys.* : hoc ipsum semper dico malorum omnium

esse causam ; hinc pugnae et lites, hinc invidia et vincendi studium, hinc caritatis refrigeratio ; cum hominum gloriam amamus, cum honoris a multis capiendi servi sumus, tunc omnia haec accidunt. Et *Cai.* notat : tam contentio exterior quam appetitus inanis gloriae interior consuevit vel unitatem impedire conclusionis communis. Vide Gal. 5,26 μὴ γινώμεθα κενόδοξοι vanae enim gloriae cupidus facile alios irritat et provocat superbia et arrogantia, iis vero a quibus se videt superari, invidet, eos despicit, odio habet.

Contra haec obstacula concordiae, quibus homo nimia sui ipsius aestimatione et exquisitione proprii commodi ducitur, affertur remedium et efficax simul causa concordiae : *sed in humilitate* τῇ ταπεινοφροσύνῃ animo demisso, modesto, qui submisse ac verecunde de se ipso sentiat, ea igitur humilitate ducti *superiores sibi invicem arbitrantes*, alius alium arbitretur esse se superiorem, praestantiorem, non praestantia graduum et honorum, sed hoc est ingenium humilitatis, intueri in se ipso ea quae habet homo a se, defectus scil. et vitia ; in aliis vero considerare bona et dona quae habent a Deo ; potest aliquis etiam reputare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest ei subiicere ex humilitate (ita *Thom.* 2,2 qu. 161,3, ubi hanc quaestionem tractat : utrum homo debeat se omnibus per humilitatem subiicere). Alii monent : in quolibet est aliquid vel ingenii vel virtutis quo mihi praestat carenti illo bono (cf. *Cai.* et varia apud *Iust. Est. Lap. M.*). Eam animi dispositionem parabola explicat Christus : recumbe in novissimo loco (Luc. 14,10) ; varios modos induendi istum animum docet *Augustinus*, de div. quaest. 83, qu. 71,5 ; de sancta virgin. 44.47 (*M.* 40,82.422.424).

Praeparatur haec de humilitate doctrina aliquo modo Rom. 12,10 : honore invicem praevenientes et Eph. 5,21 subiecti invicem in timore Christi.

Alterum adiumentum et documentum de modo caritatem et unionem fraternam exercendi et fovendi et obstacula removendi in medium affert v. 4 *non quae sua sint singuli considerantes, sed ea quae aliorum*, non sua quisque spectantes sed etiam aliorum ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστοι, suis quisque rebus ita curam impendat, ut etiam aliorum commodum et utilitatem ob oculos habeat : imo plus postulatur, ut quis non sua commoda prosequatur, verum etiam aliorum ; sed cum dicatur *etiam* aliorum, sequitur in priore membro intelligi, ut quis *non unice* sua commoda ob oculos habeat, et videtur ulterius sequi fieri posse, ut in casibus particularibus quis sua debeat seponere commoda, ut aliorum necessitatibus provideat. Si quis non suis rebus, opinionibus, iudiciis infixus haeret, sed paratus est sese accommodare utilitati seu sententiis

aliorum in rebus licitis, facile servatur concordia, quam disturbat pertinacia et nimius amor seu cupiditas rerum propriarum.

Codices optimi vulg. am. fu. habent *quae et aliorum* ; ita etiam August. Basil. versiones go. cop., syr., et καί praebent editiones criticae, neque dici potest cum *Est. et* coniunctionem esse redundantem. Nam talem amorem commodorum privatorum commendandum esse apparet, quo etiam amor proximi iuremerito consistere possit ac debeat. Hoc versu induci monitum novum, distinctum ab illo de humilitate, plerumque agnoscitur. Simile documentum Paulus proponit etiam Rom. 15,2.3; 1 Cor. 8,13; 2 Cor. 8,9. Per se quidem possent verba referri ad proxime praecedentia de humilitate, ut quisque alium se superiorem ὑπερέχοντα arbitretur, considerans non sua bona, sed aliorum bona et dona ; vel ut aliis placuit, ea simul possent referri ad id quod dictum est de contentione et vana gloria (cf. *Iust.*). At eousque singula membra novam quandam rationem exhibuerunt, ergo id de v. 4 quoque praesumendum erit, idque eo magis, quia neque ipsa sententia neque conformatione sententiae seu modo enuntiationis indicatur dependentia a superioribus vel subordinatio, qua antecedentia magis declarentur. Insuper quod v. 5 sequitur quam maxime illustrare videtur exemplo Christi monitionem : non sua singuli spectantes.

Quaeritur, cur apostolus apud Philippenses adeo commendet et urgeat animorum concordiam, cur moneat cavendum esse a contentione, vana gloria. Recentiores complures (imo teste *Hpt.* plerique), etiam *M.*, monita haec necessaria fuisse volunt ob litigationes partium, vel quae iam adfuerint vel quarum periculum proxime immineat. Qua in opinione pronum erat cogitare de disceptationibus inter iudaeochristianos et ethnicochristianos. Ex epistolis aliis (Rom. Cor. Gal.) de eiusmodi docemur. Illi iactare poterant suae nationis iura et privilegia (Rom. 2,17-20; 3,1.2; 9,4; Eph. 2,12) et hos deprimere quasi essent solum hospites et advenae (Eph. 2,19), non veri filii Abraham (cf. Gal. 3,29). Hi e contra poterant incredulitatem et reiectionem gentis olim electae et suam prae illis vocationem in medium proferre : fracti sunt rami, ut ego inserar (11,19), nos sumus Israel Dei (Gal. 6,16) ; gentes apprehenderunt iustitiam Dei, Israel in legem iustitiae non pervenit (Rom. 9,30; 10,3). Ex eiusmodi explicari contentionem et vanam gloriam utique facile patet, si supponantur talia iactata esse inter duas illas partes apud Philippenses. At sintne eiusmodi supponenda, id primo loco quaeri oportet. Quaenam sunt indicia istarum litigationum ? nam duo illa verba ἐριθεία et κενοδοξία certe non sufficiunt ad talem tragoediam componendam. Alia non adsunt ; de tali discrimine inter duas partes nullibi in epistola ne minimum quidem indicium reperitur ; nullatenus 3,2 seq. neque 2,4 de iuribus praecipuis Iudaeorum sermo instituitur. Unum apparet vestigium discordiae 4,2 inter Evodiam et Syntychen. Unde ad monita haec explicanda nihil aliud erit supponendum, nisi quod inter homines contingere facile solet, nisi quod ex conditionibus vitae, ex administratione negotiorum, ex varietate officiorum, ingeniorum, commodorum quasi sua sponte enascitur. Insuper cogita indolem graecam mobilem, alacrem, concitatam.

Quod sequitur v. 5-11 arcte cohaerere cum admonitionibus antecedentibus, apparet et consentiunt omnes; neque multum refert, utrum legatur γάρ, *enim*, an cum optimis codicibus (ℵ ABC, verss cop arm aeth) et editionibus criticis omittatur. Solum quaeri potest ad quid speciatim referatur. Proxime adiacere videtur, ut ad v. 4 adiungatur. Certe ad priorem partem : non quae sua sunt singuli considerantes, valde convenit exemplum Christi v. 5-8; sed quid ad alteram partem: sed ea quae (et) aliorum? Christus quidem quam maxime, imo unice pro nostris commodis, pro nostra redemptione egit et passus est; at haec pars hoc loco ab apostolo ne uno quidem verbulo tangitur. Unde non videtur consultum partem hanc adeo arcte ad v. 4 referre. Alii praeter v. 4 assumunt ex v. 3 sed in humilitate, et in eo cernunt nexum, quia revera in v. 8 exemplum humilitatis proponitur. At specialis illa ratio humilitatis in v. 3 exhibita — superiores sibi invicem arbitrantes — in exemplo Christi non proponitur, sicut neque concordia neque caritas v. 2. Quare fatendum est exemplum Christi quo apostolus utitur directe et per se ad nullum monitum referri. Verum quod apostolus vult, clare indicatur, dum dicit v. 5 *hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu* τοῦτο φρονεῖτε. Verbum pertinet tum ad mentem tum ad appetendi facultatem; cum aliqua emphasi dicitur *in vobis*, quod redundare videri posset, nam φρονεῖν non potest non fieri nisi in nobis, sed apostolus monet, ut talem affectionem, affectum et dispositionem cogitandi et appetendi sibi, animis suis, fortiter imprimant in omnibus conditionibus et impressam sedulo in se conservent. Talis esto sensus animorum vestrorum, qualis in Christo erat. Unde apostolus eam animorum dispositionem commendat, ex qua si adsit ea omnia quae v. 2-4 postulavit quasi ex fecunda radice exoriantur; eam in exemplo Christi affectionem iis ob oculos ponit, quae una sufficit, sed quae necessario etiam requiritur, ut illa in opus deducantur. Habemus hic insigne exemplum, quomodo apostolus praecepta de moribus formandis ex sublimi doctrina illustret et commendet; simile advertere potes Rom. 14,9; 15,3. 2 Cor. 8,9. Eph. 4,32. Quaerendum adhuc est, quid in sententia relativa *quod et in Christo Iesu* supplendum sit. Cum in priore sententia lectio longe communior sit φρονεῖτε (vel, etsi raro, φρονείτω ἕκαστος ἐν ὑμῖν), videri potest supplendum esse : quod et in Christo Iesu φρονεῖτε vel tamquam indicativo modo sentitis, advertitis, vel per imperativum : quod et in Christo Iesu considerate. Etiam *Lap.* supplet sentitis, et *Iust.* date operam, ut idem sensus in animis vestris deprehendatur quem in Christi mente et animo fuisse non ignoratis. At *Lap.* tamen supplere mavult : quod in Christo sensum est; id quod congruit non quidem ad φρονεῖτε, sed ad lectionem aliam graecorum φρονείσθω; at quod et in Christo

sentiebatur, videtur locutio mira pro simplici hac : quod et Christus sensit; et insuper notandum est, in subsequentibus non tam de sensu Christi sermonem inferri, quam de re gesta. Apostolus ipsum Christi exemplum vult illis proponere in iis quae revera fecit. Ad id vero minus convenire videtur, ut dicat : quod et in Christo sentitis, vel sentite; quae esset solum adhortatio, ut sentiant utpote tales qui sint etiam in Christo Iesu, cum eo iam coniuncti, et complantati; et v. 5 tandem solummodo reduceretur ad hoc : sentite sicut vos christianos decet. Cui acceptioni etiam recentissimus interpres, *Dib.* acquiescit. At tum valde supervacanee poneretur ὃ καὶ ἐν Χριστῷ : si καὶ non plane negligitur, sensus debet esse ut sentiant quod *etiam* Christus sensit; profecto non, ut sentiant quod etiam ut membra Christi sentiunt. Si autem *Zahn* explicat : ut id solum sentiant quod etiam ut christiani sentire et appetere possint, ea verba in textum infert quae abesse non possent, si haec esset verborum sententia. Idem valet de explicatione : id sentite, quod etiam in Christo sentire debetis (cf. *Ew.*). Quare simpliciter supplendum est quod veteres, *Thom. Cai. Est.* suppleverunt : quod et in Christo fuit, vel est; res enim a Christo gesta eis quasi praesens sistitur.

Christum Iesum autem describit in triplici statu : 1) in eius vita divina aeterna seu in eius praeexsistentia v. 6; 2) in eius vita terrena v. 7.8; 3) in eius exaltatione v.9-11. Ex statu primo et secundo colligitur ὃ καὶ ἐν Χριστῷ, ex tertio apparet praemium Christo homini propter eiusmodi sensum collatum. Totum autem proponitur, ut in animis fidelium ille sensus gignatur qui ad monita illa congruat et necessarius sit. Quidquid igitur doctrinae his verbis continetur, inservit exhortationi eamque fulcit et ei vim et efficaciam addit. Unde doctrina fidelibus nota supponitur; quomodo enim ex ignotis rationibus admonitio vim seu effectum hauriret? Quare ipsa haec doctrina, quae veluti per occasionem, ut fulcrum et stimulus adhortationi praebeatur, fidelibus in memoriam revocatur, eo maioris pro nobis esse debet ponderis ac momenti ad persuasionem gignendam, quanta luce et claritate illa tunc iam mentibus fidelium infulserit. Prius breviter sententiae textus proponetur; variae quaestiones post brevem declarationem opportune tractabuntur.

Incepit apostolus loqui de Christo Iesu v. 5; de eius persona nunc edicit v. 6 *qui cum in forma Dei esset* ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων ipso participio in habitudine ad verba finita subsequentia iam clare indicatur praeexsistentia saltem aliqua. Nam antequam quis agere quidquam possit, debet exsistere, vel lege Gal. 2,14 εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων ἐθνικῶς ζῇς, vel 1 Cor. 11,7 vir non debet velare caput suum εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων, vel 2 Cor. 8,17. Quae vero praeexsistentia significetur, apparet ex verbis ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, quibus Christi divinitatem enuntiari

veteres Patres graeci et latini et Doctores ecclesiastici recte censent. Apud graecos quidem in usu est positum explicare μορφὴν per οὐσίαν, φύσιν; vel sicut dicitur « formam servi accipiens » de natura humana, ita arguunt formam Dei naturam seu essentiam Dei designare. Omnino vere potest *Iust.* scribere : » veteres omnes de naturae aequalitate cum Patre interpretantur, et maxime utuntur prisci theologi ad Christi divinitatem contra Arium confirmandam; hinc enim probant Filium esse imaginem Patris eiusdemque cum Patre naturae ac divinitatis participem ». Vox μορφή, forma, si de Deo dicitur, etsi quis velit explicare de modo exsistendi, iterum significaret ipsam naturam seu essentiam Dei. Nam modus exsistendi Dei est ipsa eius natura; neque enim habet modum aliquem praeter naturam.

Christus igitur, persona divina, Deus verus *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Iam τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ esse dicit par, aequale Deo et videtur afferri ab apostolo ad ipsam μορφὴν declarandam; est enim haec dictio sane magis ad populi captum quam μορφή. Neque obstat ἴσα per modum adverbii adhiberi : pari, aequali modo esse sicut numen divinum. Quare hac quoque locutione natura divina Christo attribuitur. Illud autem οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο potest explicari cum graecis, Origene, Theodoreto, Theod. *M.*, Θεὸς γὰρ ὢν καὶ φύσει Θεὸς καὶ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα ἰσότητα ἔχων, οὐ μέγα τοῦτο ὑπέλαβε (*Theod.*); similiter *ThdM.* : « non magnam, inquit, reputavit illam quae ad Deum est aequalitatem, et elatus in sua permansit dignitate; sed magis pro aliorum utilitate praeelegit humiliora sustinere » (Swete, p. 216). Vox quippe ἁρπαγμός significat vel saltem potest significare rem quae avide retinetur, vel quae avide capitur. Exprimitur itaque, quomodo Verbum divinum hanc suam dignitatem divinam et aequalitatem cum Deo non reputavit tanti esse aestimandam, ut sit impedimentum Incarnationis. Proponitur nobis modo quodam humano Verbum divinum quasi deliberans et expendens ex una parte suam cum Deo aequalitatem, possessionem maxime pretiosam et ex altera parte κένωσιν evacuationem futuram, assumpta forma servi, et in sua aeternitate non reputavit magnum seu retinendum τὸ aequale Deo, sed semetipsum exinanivit — ita ἀλλὰ effertur optima oppositione. Idem indicat *Isidorus* pelusiota : εἰ ἔρμαιον ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, οὐκ ἂν ἑαυτὸν ἐταπείνωσεν si reputasset lucrum suam cum Deo aequalitatem, non se ipsum humiliasset, qua sententia clare ἁρπαγμός sensu explicato accipitur (cf. Isid., ep. 4,22; *M.* 78,1072).

Inter alia haec explicatio legitur etiam apud Rabanum : non magnam reputavit illam quae ad Deum est aequalitatem, etc. (uti supra apud *ThdM.*) et ex recentioribus hanc graecorum explicationem merito acce-

perunt *Nisius* (Zeitschrift f. katholische Theologie, 1897, p. 304; 1899, p. 110, 112) et *Labourt* (Revue bibl., 1898, p. 409). Longiore inquisitione de voce instituta d'Alès tandem ad hanc versionem pervenit: « il n'a pas joui comme d'une bonne fortune, de l'égalité avec Dieu » (Recherches des Sc. relig., 1910, n. 3, p. 263).

Notionem verbi in v. 7 ἑαυτὸν ἐκένωσε merito urget *ThdM.* : κένωσιν ἡ θεία γραφὴ φησιν τὸ μηδέν, ὡς τὸ κεκένωται ἡ πίστις, ἀντὶ τοῦ οὐδὲν ἀποπέφανται, καὶ κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, ἀντὶ τοῦ οὐδὲν καὶ εἰκαῖον, et legitur in antiqua latina versione (et apud Rabanum) : exinanitum divina scriptura pro nihilo vocat, sicut alibi scriptum est : evacuata est fides, hoc est : nulla esse ostensa est; evacuata est ergo praedicatio nostra, hoc est nulla est et vana. Cum dicatur v. 7 *sed semetipsum exinanivit*, iam mysterium Incarnationis supponitur : Verbum caro factum est; ipse autem modus exinanitionis vel in qua re consistat κένωσις, describitur participiis tribus : λαβών, γενόμενος, εὑρεθείς. *Formam servi accipiens*, naturam servi i. e. creaturae : in oppositione ad Deum omnis creatura est serva, angeli quoque sunt servi. In ordine servorum fit descensus ad hominem : *in similitudinem hominum factus*, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, graeci explicant : οὐκ ἦν ψιλὸς ἄνθρωπος, διὰ τοῦτό φησιν ἐν ὁμοιώματι, erat homo, sed non solum homo, unde *in similitudinem* est additum, uti Rom. 8,3 simili modo dicitur : Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Sed monent recentiores ὁμοίωμα non habere significationem abstractam similitudinis, sed concretam similis figurae; factus igitur in figura aequali hominum. Declaratur igitur forma μορφὴ seu natura servi per figuram hominis. Iste servus est homo et ulterius *habitu inventus ut homo* σχήματι, toto habitu externo et modo sese gerendi, « in exteriore conversatione, quia esuriit ut homo, fatigatus fuit et huiusmodi » (*Thom.*) i. e. in tota agendi ratione et specie externa ab omnibus non potuit non agnosci homo i. e. tamquam unus sicut alii homines.

Nunc aliqua ratione potest fortasse attingi ἑαυτὸν ἐκένωσε, seipsum evacuavit. Nam persona divina plane non apparet : oculis enim et considerationi hominum non exponitur persona divina, sed homo natus ex prosapia humili, educatus in Nazareth, filius fabri et ipse faber, homo pauper, qui quidem se a Deo missum dicit, sed qui nihil agit propria voluntate, sed solum voluntate mittentis, qui suam conditionem inferiorem fatetur, qui esurit, dormit, iniuriis afficitur. Ita enim Verbum incarnatum seipsum hominibus sistebat; unde vero sensu sese evacuavit, nec enim ipsis Verbum seu persona divina adesse videbatur. Et propterea dicit Hilarius evacuavit se a Dei forma (in Ps. 68, n. 23,4). In natura ista quam assumpsit et in qua hominibus apparet, nulla cernitur

aequalitas cum Deo; unde intelligitur illud οὐχ ἡγήσατο ἁρπαγμόν non arbitrabatur rem omnino retinendam τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ita scil. pretiosam et retinendam, ut ubique et semper deberet manifesta fieri et oculis omnium exponi aequalitas cum Deo. Ergo, ut *Thom.* dicit, exinanivit se, « hoc est intelligendum secundum assumptionem eius quod non habuit; sicut enim descendit de coelo, non quod desineret esse in coelo, sed quia incepit novo modo esse in terra, sic etiam se exinanivit, non deponendo divinam naturam, sed assumendo naturam humanam ». Propter unam personam divinam (ex communicatione idiomatum) vere et recte dicitur : Deus esurit, Deus fatigatur, Deus patitur, Deus moritur etc. ; numquid hoc non videtur evacuatio quaedam aequalitatis cum Deo? exinanisse se dicitur, tamquam se propria virtute evacuarit (Leo M. serm. 25,2; cf. *Nisius*, l. c. 1897, p. 289; 1899, p. 92 sq. 103).

In momento Incarnationis impletum est illud ἑαυτὸν ἐκένωσε, λαβών, γενόμενος. Vox graeca apud Tertullianum redditur : exhausit semetipsum (c. Marc. 5,20; *M.* 2,522), semel legitur apud S. Augustinum ; semetipsum evacuavit (*M.* 40,185). Vario modo haec notio describitur : tu ad liberandum susceпturus hominem non horruisti Virginis uterum (orat. eccl.), *Ambrst.* : potestatem suam ab opere retraxit, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur; *Vict.* omni se exuit maiestate, ad sordida quaeque sese humiliavit, ad postrema officia descendens; cum haec implevit, se et potentiam suam exinanivit; *Pelag.* honorem declinans, quod erat humilitatis, celavit maiestatem; *Haimo :* Verbum, quando in parva forma hominis dignatus est apparere, quasi semetipsum exinanivit ; *Hervaeus*, non in ea forma apparuit hominibus, in qua aequalis est Patri; *Petrus lomb.* : quasi dignitate se exuit ; *Iust.* : in humana natura suscepta, quod attinet ad illa quae citra peccatum naturam comitantur, perinde se gessit ac si Deus non esset; *Est.* : se ad imum usque deiecit, ac divinitatem quodammodo exuit ; *Lap.* : se inanem et vacuum effecit, ut qui erat plenus maiestate, gloria, robore adeoque plenitudo totius entis, ea se evacuarit et ex omni quasi ad nihilum se redegerit factusque sit ex domino servus, ex Deo homo, ex creatore creatura; nomen creatoris est : ego sum qui sum, sive τὸ ens et oceanus ipsius esse, ita creaturae nomen : non-sum ; ex se enim creatura nihil est etc.

Exinanitio, κένωσις igitur tribus momentis describitur : λαβών, γενόμενος, εὑρεθείς : verum in ipsa natura assumpta, ut homo, quantum potuit, ad ima descendit v. 8 *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quam maxime nunc apparet natura servi : servus enim se debet subiicere, se deprimere, eius est obedire, voluntati heri se plane committere ; fastigium obedientiae est, ut ipsa vita profundatur, ut ex obedientia mors subeatur, neque solum mors, verum

δέ mors crucis, supplicium servile et quidem servitutis extremum summumque supplicium, « infame genus supplicii, infame personis vilibus supplicium » a veteribus nuncupatum (cf. comm. in Luc. ad 23,33). Divisio et interpunctio vulg. est omnino bona et retinenda, ut scil. v. 8 incipiatur *humiliavit* etc., tamquam sententia propria, non iam dependens a sententia relativa, sed ei sine coniunctione iuxtaposita ad declarandum ulterius novum hoc momentum exinanitionis usque ad teterrimum servi supplicium. Unum hoc apostolus ex v. 5 ob oculos habet: qui sensus fuerit in Christo, quae animi dispositio seu habitudo; hoc unum exhibet rebus gestis v. 6 in aeternitate ante Incarnationem, v. 7 in Incarnatione, v. 8 in humili vita, obedientia, summa obedientia. Nihil hoc loco innuit de expiatione, de redemptione et salute nostra. Ad admonitiones fulciendas apostolus vult, ut fideles unice respiciant et discant suam ipsorum derelictionem et plenam abnegationem, quae in exemplo Christi iis proponitur.

Ad pleniorem confirmationem eorum quae dicta sunt aliqua addere utile erit. Et primo quidem advertendum est, doctrinam quam hoc loco apostolus ut notam supponit, ea sc. utens ad exhortationem fulciendam, iam satis clare enuntiari Gal. 1,1 et 4,4; item simili modo 2 Cor. 8,9 cum esset dives, propter vos egenus factus est, et Rom. 1,2.3 et 9,5. Quibus in locis et praeexsistentia exprimitur et iam tales adhibentur designationes (ex oppositione Gal. 1,1), filius Dei, Deus, quibus notio « hominis coelestis » (quam quidam acatholici inducere volunt) iam satis excluditur. Perfectissime autem assignantur in Christo duae naturae, divina et humana, in una persona hoc nostro loco. Ad hoc plenius demonstrandum agere oportet de notione μορφή. Quae a latinis exprimitur vocibus forma, effigies, figura; a syro : dmuta (hebr. דמות); etiam apud LXX μορφή ponitur eadem significatione Iud. 8,18; Iob 4,16 (תמונה), Is. 44,13 (תבנית), Dan. 4,33; 5,6, etc. Unde certum est vocem primo et per se denotare figuram, seu ut loquuntur formam exsistendi. Atque in hac significatione vocem etiam hoc loco esse retinendam aliqui censent; ita *Lingens* (Zeitschrift f. kath. Theologie 1896, p. 452), *Hpt.*; at nihilominus concedit *Lingens*, si non statim notione, tamen re ipsa et per consequentiam plane necessariam hic μορφήν notionem induere naturae et essentiae; idque aperte elucere, quia statim sequatur μορφὴ δούλου, ergo debere includi ἐν μορφῇ Θεοῦ naturam divinam. Neque aliter potest *Hpt.* sentire, si sibi voluerit constare; nam asserit voce exprimi essentialem exsistendi formam (die wesentliche Seinsform); iam vero quae est haec forma Dei, nisi ipsa Dei natura et essentia? porro etsi per se μορφή sit forma exsistendi sensu latissimo, tamen si de Deo agitur, cum Deus sit suum esse, non potest esse nisi ipsa natura. Neque sufficit

vocem restringere ad gloriam, δόξα, uti *Hpt.* vult sequens *Nestle;* δόξα est gloria Dei externa, qua se in manifestatione externa exhibet in nube lucida. Iam hoc loco μορφή ad eam notionem non potest reduci, nisi quis omnem sermonis concinnitatem negare voluerit; nam μορφὴ δούλου certe non est δόξα δούλου. Singularem notionem excogitavit *M.*, μορφὴν Θεοῦ esse imaginem Dei quam homines ex operibus Dei sibi efformaverint (Geistesbild von Gott)!!

Alii tamen non dubitant vindicare voci μορφή directe notionem naturae seu essentiae; eam esse vocis notionem apud philosophos graecos usque ad Plutarchum et Neoplatonicos et Philonem, demonstravit *Lightfoot* (Ep. to the Philipp. 1903, p. 128 sq.). Inde autem facile explicatur, cur graeci in nostro loco statim sine ulteriore argumentatione μορφὴν explicent οὐσίαν, φύσιν. Ita *Theod.*: si Dei formam dicunt non esse Dei substantiam οὐσίαν, interrogentur quid intelligant per servi formam;... si ergo servi forma et servi natura οὐσία, ergo Dei quoque forma est Dei natura, οὐσία ἄρα τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, et iterum ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ οὐσία τοῦ Θεοῦ, neque aliter *Chrys.*; « cur non dixit, ait, in forma Dei γενόμενος, sed ὑπάρχων? idem est ac si diceret: ego sum ὁ ὤν· τὸ ἀπαράλλακτον ἡ μορφὴ δείκνυσι, καθώς ἐστι μορφή· οὐκ ἔστι δὲ ἄλλης οὐσίας ὄντα τὴν ἄλλης μορφὴν ἔχειν, sensum recte exprimit versio latina: forma, quatenus forma est, eandem esse naturam demonstrat (verbotenus: τὸ immutabile ostendit forma), nec fieri potest ut, quod alterius naturae (essentiae) est, formam habeat alterius, ut nemo hominum formam habet angeli nec brutum animal formam hominis ». Eodem modo loquitur *Gregorius* nyss.: ἡ δὲ μορφὴ τοῦ Θεοῦ ταὐτὸν τῇ οὐσίᾳ πάντως ἐστίν, forma Dei idem plane est cum natura (c. Eunom. 4 lib. *M.* 45,672) et *Cyrillus* alex. » μορφὴν δὲ καλεῖ πᾶσαν τὴν ἀνθρώπου φύσιν· ὥσπερ γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ μορφὴ τοῦ Θεοῦ τὴν οὐσίαν σημαίνει, οὕτως ἡ τοῦ δούλου μορφὴ οὐ τὸ ὁρώμενον τοῦτο μόνον, ἀλλὰ πᾶσαν τοῦ ἀνθρώπου δηλοῖ τὴν οὐσίαν, et mox iterum ἡ τοῦ Θεοῦ μορφὴ τὴν οὐσίαν δηλοῖ τοῦ Θεοῦ (de Incarn. 8,10; *M.* 75,1425. 1428).

Transitus notionis a forma quae rei sit propria ad notionem naturae seu essentiae haud difficile explicatur. Sed quaeri potest, adhibueritne apostolus vocem in ea notione apud philosophos in usu posita? sunt qui affirment, uti apud Ioannem Λόγος, ita apud apostolum εἰκών, πρωτότοκος, μορφή et similia ex sermone philosophico satis iam pervulgato esse assumpta (cf. *Lightfoot*, l. c.). Sufficit advertere cum graecis, apostolum scribentem λαβὼν μορφὴν δούλου certe intellexisse naturam, οὐσίαν, et ex eo concludi debere ad eandem vocis notionem in priore effato. Addi potest quod *Nisius* (l. c. 1899, p. 84) monet, voces derivatas μεταμορφόω, σύμμορφος minime referri ad externam speciem, sed internam quandam transmutationem in statum sublimiorem designare, cf. Rom. 8,29 οὓς

προέγνω. καὶ προώρισεν συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ib. 12,2 μεταμορφοῦσθε τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοός, 2 Cor. 3,18 τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, et Gal. 4,19 οὓς πάλιν ὠδίνω, μέχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν et Phil. 3,10 συμμορφούμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ.

Neque valet quod *Beelen* obiicit, μορφὴν δούλου statum seu conditionem servi dicere, non naturam; sed quid est: exsistens in statu seu conditione Dei? Dein monet Patres graecos μορφὴν etiam aliter explicare: S. Maximus dicit per illud ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων significari τὸ ἀπαράλλακτον πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα i. e. Filium per omnia aequalem esse Patri; S. Athanasius, ἡ μορφὴ τοῦ Θεοῦ, inquit, τὸ πλήρωμα τῆς τοῦ Λόγου θεότητος νοεῖται; S. Chrysostomo ὁ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων est ὁ μηδὲν ἔλαττον ἔχων τοῦ Πατρός, ὁ ἴσος αὐτῷ, qui nihil minus Patre habet; qui ei aequalis est (p. 60). In hisce utique non habetur etymologica explicatio; sed quod multo efficacius est, explicatio rei ipsius i. e. aequalitatis cum Deo, plenitudo divinitatis. Ipse *Beelen* locum nostrum vertendum esse censet: qui dum speciem Dei prae se ferebat (p. 61). Neque obstat, si Patres quandoque μορφὴν Θεοῦ circumlocutione declarant gloriam, maiestatem, magnitudinem Dei.

Vix mentione digna est opinatio quam *Resch* proposuit (Texte und Untersuchungen 5,4 p. 367), qui locum hunc refert ad baptismum Christi, in quo Christus in forma Dei sit exhibitus. Ex veteribus unus *Ambrstr.* censet « qui cum in forma Dei esset » solum referri ad Dei Filium hominem factum, « qui scil. inter homines conversatus verbis et operibus apparuit esse Deus; Dei enim Filius cum homo natus est, in forma Dei erat, quia cum homo videretur, opera Dei faciebat, ut in gestis rebus appareret Deus esse, qui tantum homo esse putabatur. Opera enim formam significant, ut, quia opera eius non utique hominis opera sunt, hic qui in opere vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid est nisi exemplum quo Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat et alia? » Cf. *M.* 17,408, 409. Simili modo postea Erasmus scripsit: ipsis factis se Deum esse declaravit, et hoc dicitur in forma Dei esse; ac lutherani quidam Lutherum sequentes explicant: Christum se potuisse gerere tamquam Deum (cf. apud Lightfoot et Haupt). At necessario ὑπάρχων innuit tempus ante λαβών, γενόμενος et solum potest concipi de tempore ante Incarnationem, unde enuntiatur eius personae praeexsistentia in forma Dei.

Quid significat τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ? ἴσα dicitur per modum adverbii; ergo ad literam: esse aequaliter Deo, et *Chrys.* dictionem hanc simpliciter explicat τὴν θεότητα, scribit enim οὐ γὰρ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὴν θεότητα, et generatim concedunt interpretes, dictionem hanc re idem significare quod μορφὴ Θεοῦ, imo aliquibus videtur ipso articulo τό designari εἶναι

ἴσα Θεῷ ut notionem iam commemoratam. Et *Theod.* pro ea dictione ponit simpliciter ἴσος. Ceterum ipsa locutione : esse (seu exsistere) pari ratione ac Deus nihil aliud significatur nisi natura Dei, nisi quis sibi fingat nescio quem modum τοῦ esse apud Deum.

Aliqui tamen putant dictionem explicari posse non de aequalitate in natura, sed de externa gloria, de conditione aliqua gloriosa, quam Christus in vita sua habere potuisset, qua tamen in humanitate voluerit esse exspoliatus (ita Velasquez in Commentario ; Corluy, Spicilegium dogmatico-bibl. 2 p. 76 ; Lingens, Zeitschrift f. kath. Theologie, 1896, p. 454 et 1897, p. 277). Quo sensu loqui videtur Victorinus : non hoc sibi vindicavit, ut forma Dei esset ; et S. Leo : velamine corporis splendorem maiestatis suae, quem visus hominum non ferebat, obtexit (serm. 25,2) ; eiusmodi locutionibus Patres saepius utuntur, Christum occultasse, celasse suam divinitatem, deposuisse maiestatem suam, gloriam suam evacuasse, dignitatem (ἀξίωμα) deposuisse, etc. Sed iidem tamen τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ exponunt de aequalitate in natura ; ergo immerito pro altera explicatione testes invocantur (cf. *Nisius*, l. c. 287). Neque istis locutionibus exprimitur : Christum renuntiasse gloriae naturae humanae, quae ei naturae ob unionem cum Verbo congruebat, et quae in transfiguratione, in patratione miraculorum aliqua ratione elucebat (cf. Ioan. 1,14).

Varie exponitur etiam οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. Graeci vocem ita explicant quasi legeretur ἅρπαγμα, non actionem rapiendi seu usurpandi, sed praedam ; ita quoque *Dib.* exponit bonam praedam : non tamquam bonam praedam existimavit esse parem Deo. Iam quo sensu dicitur : *non rapinam arbitratus est?* nam cum esset in forma Dei, mirum videtur nunc dici, ab eo aequalitatem cum Deo non esse existimatam rapinam vel usurpationem ; nam id per se patet, quod enim quis per se a natura habet, hoc non arbitrabitur raptum. Neque satisfit explicatione, quam *Est.* affert : « non existimavit aequalitatem Dei sibi esse rapinam, rem alienam et ex rapto usurpatam, ut propter hoc tantopere semet humiliaverit velut agnoscens usurpasse se aliquid non suum, quod humiliando se deponere voluerit, quasi dicat : non haec est causa humilitatis Christi ; quippe qui non usurpative, sed vere Deus esset ». Si hoc voluit apostolus dicere, certe scripsisset : vos nolite arbitrari Christum usurpasse aequalitatem Dei ! quid hoc de Christo dicere necesse erat? Quod Augustinus inter alia dicit : neque enim usurpationis erat, ut rapina diceretur, sed naturae inerat, ut esset aequalis (*M.* 33,543), clarum est, at obscurum manet, cur Christus dicatur id quod naturae inerat, non habuisse pro usurpatione? cur talis cogitatio Christo impingitur, se non rapuisse sibi aequalitatem cum Deo? Miram paraphrasin exhibet

Iust. : qui cum vere Deus esset, sciebat quidem sibi ius fasque esse neque in humili carne apparere et magnificentiam illam Deo dignam non retinere modo (quod nunquam non fecit) sed et prae se ferre, idque citra ullius iniuriam, exinanivit tamen ipse se ; ecce iam non quadrat illud in v. 7 ἀλλά, *sed;* proin haec explicatione ipsa refutantur. Ad emolliendam dictionem, Christum non existimasse rapinam, monent angelum apostatam, primum parentem aliosque esse conatos rapere sibi dignitatem seu aequalitatem quandam divinam ; sed non video, quid hoc valeat ad nostram rem declarandam.

Explicatio a *Chrys.* aliisque haec proponitur: quod quis rapuit, metuit deponere, ne amittat quod suum non est ; at qui naturalem aliquam dignitatem habet, is non veretur ab illa etiam descendere ; scit enim se nihil huiusmodi passurum esse. Dei itaque Filius non veritus est descendere de gradu dignitatis suae, quia non est arbitratus rapinam ipsam deitatem; non timuit ne quis sibi naturalem dignitatem eriperet ; quare illam etiam deposuit (non dubitans se eam recepturum) atque abscondit, non ideo se minorem fieri arbitratus. — Inde etiam facile elucet, cur aliqui τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ de externa quadam gloria et maiestate Deo in humana natura apparente digna voluerint explicare. Conceptu scil. sat difficile est, Christum sese exspoliasse aequalitate cum Deo, quam tamen necessario habuit ac retinuit ; sed facile intelligitur, Christum noluisse apparere in externa magnificentia Deo digna, in statu et conditione transfigurationis v. g. At uti vere dicitur : descendit de coelo, ubi tamen semper mansit, ita vere dicitur : exspoliavit se aequalitate divina. Ceterum adverti debet οὐχ ἁρπ. ἡγήσατο referri ad tempus ante Incarnationem.

Recentiore tempore ἁρπαγμός non res rapta, sed res rapienda explicabatur ; aequalitatem cum Deo non existimavit Christus rem rapiendam ; aequalitas divina tum concipitur modus exsistendi in humana natura gloriosus, Deo dignus; talem exsistendi modum Christus non sibi usurpandum esse existimavit, eum a se deposuit (cf. *Lingens* l. c. p. 460 ; alios vide apud *Hpt.*). Ad eam acceptionem accedit ea quam adoptavit *M.* : subsidium ad se vi quadam locupletandum; Christus non consideravit suam aequalitatem cum Deo (suum exsistendi modum Deo aequalem) tanquam subsidium ad se violenter locupletandum. — Per formam suam ἁρπαγμός primo et per se est nomen actionis sensu activo, τὸ ἁρπάζειν, raptio, das Rauben ; eo sensu explicat *Ew.* : esse parem Deo non reposuit in raptione, scil. ita ut omnem honorem et gloriam utpote sibi debitam sibi arriperet — (er sah das Gottgleichsein nicht in einem An-sich-raffen) —, sed *semetipsum* exinanivit ; non existimavit paritatem cum Deo id exigere, ut sibi sumeret omnem illam excellentiam, quam paritas

cum Deo necessario videbatur postulare, saltem tanquam conditionem sibi convenientem. — Plerumque tamen vox accipitur passive, quasi ἅρπαγμα res rapta, praeda lucrum, res avide capta (ἅρπαγμα ποιεῖσθαι, λάφυρον, ἕρμαιον, ubi nota ἁρπάζειν habere saepe notionem : avide capere, ὅπλα ἁρπάζειν arma celeriter capere, arripere); dein fortasse, sicut δεσμός non actionem ligandi dicit, sed rem qua ligatur : vinculum, ita ἁρπασμός poterit esse res seu subsidium (Mittel) ad se locupletandum vi et violentia ?

In huius vocis notionem novo modo, uti supra iam indicavi, inquisivit *D'Alès* (Recherches de sciences religieuses, 3 p. 260-269). Primo monet ἅρπαγμα optime notum esse et in textu τῶν LXX non minus quam septemdecim vicibus reperiri. Cur itaque apostolus vocem omnino notam relinquens inusitatum vocabulum ἁρπαγμός (quod apud graecos vix inveniri potest) selegit? Vox tandem reperitur apud Plutarchum (de puerorum educ. 15) in notione plane singulari; ibi enim scribit fugiendos esse amores, quales in usu sint Thebis et in Elide et fugiendum pariter τὸν ἐν Κρήτῃ καλούμενον ἁρπαγμόν, quo in loco ἁρπαγμός certam notionem habet raptus amoris causa; sensum similem apud Plutarchum habet ἁρπασμός (Quaest. conviv. 2,10,2) et apud Phrynichum lexicographum explicatur ἁρπαγματίας ὁ γὰρ δι'ἔρωτα ἢ δι'ἄλλην τινὰ πρόφασιν ἁρπασθείς. Haec notio apostolo qui in Creta insula fuerat cognita esse poterat et cum apud Plutarchum tamquam res nota proponitur, immerito supponitur Philippensibus seu graecis incognita. Sed nonne allusio ad amorem furtivum nimis audax est ? eam emollit explicatione : il n'a pas joui, comme d'une bonne fortune, de l'égalité avec Dieu, et insuper advertit : il semble bien que nous sommes en présence d'une de ces expressions violentes devant lesquelles l'Apôtre ne reculait pas quand il éprouvait le besoin de donner un tour énergique à sa pensée. Quoad sensum haec explicatio non est aliena ab ea quam graeci (Orig. Theod. ThdM. etc.) proposuerunt; sed indicio illo de usu vocis ἁρπαγμός pervenitur ad interpretationem; non iudicavit fruitionem iucundam τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, vel verbis aliis : loin de goûter l'ivresse de cette fête divine, au point d'oublier les hommes, le Fils de Dieu s'anéantit par l'Incarnation (l. c. p. 269. — Contra hanc sententiam cfr. Revue biblique 1911, p. 550 sqq.

Exaltatio Christi describitur tamquam praemium pro eo quod adeo se humiliaverit obediens factus usque ad mortem, imo mortem crucis. — Audivimus quomodo Christus sese humiliaverit, obediens Deo; iam quid Deus ei rependerit exponitur v. 9 *propter quod et Deus* καὶ ὁ Θεός, Deus ex sua parte *exaltavit illum* ὑπερύψωσεν, en praemium illius humiliavit semetipsum; superexaltavit eum, in summam extulit sublimitatem (*Est.*); verbum ὑπερυψοῦν legitur LXX Ps. 36,35; 96,9; Dan. cantic. trium puerorum Dan. 4.34. Particula διό clare indicatur merces et praemium, Christum itaque sibi meruisse gloriam, uti ipse indicat : nonne oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam (Luc. 24,26) et cf. Hebr. 2,9 videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum et vide Is. 53,11.12; Apoc. 5,12. In ipso Iesu impletum est

quod ipse dixit : qui se humiliat exaltabitur (Matth. 23,12. Luc. 14,11 ; 18,14). Et huius exaltationis traditur signum quoddam et documentum *et donavit illi nomen quod est super omne nomen*, vide Eph. 1,21 Christus constitutus supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo sed etiam in futuro. Nomine saepe designatur persona et id quo persona innotescit, unde nomen ponitur pro fama, celebritate, gloria, maiestate : Deus fecit sibi nomen sempiternum Is. 63,12 ; nomine designatur dignitas, potentia : secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae (Ps. 47,11), feci tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra (2 Reg. 7,9).

Est itaque nomen super omne nomen dignitas quaedam ac maiestas longe super omnem aliam dignitatem ac maiestatem quae infra Deum exsistat aut cogitari possit. Bene monet *Est.* : nemo existimet apostolum loqui de nomine Christo proprio quod est *Iesus ;* nam hoc nomen multo ante exaltationem et impositum ei fuit et ab hominibus agnitum ; idemque multis aliis commune. Alii, memores Hebr. 1,4, intelligunt nomen Filii Dei (*Theod. Est. Nat.*) vel ex sermone angeli Luc. 1,35 (*Thph.*) ; sed etiam hoc nomen iam antea erat datum et impositum. Quomodo autem recte intelligi possit, ostendit *Thom.* : Pater dedit illi homini nomen, ut Deus esset per gratiam unionis ; hoc utique iam factum est in momento Incarnationis, neque (uti patet) Incarnatio est praemium ; « sed dicendum est quod in s. Scriptura dicitur aliquid fieri, quando innotescit ; donavit ergo, id est fecit manifestum mundo quod hoc nomen haberet ; nam antea non erat sic nota divinitas Christi, et huic concordat textus sequens, quasi non donaverit quod non haberet, sed ut hoc omnes venerentur. » Nomen itaque expressio est ac designatio personae, eius dignitatis, muneris, meriti ; qui nomen habet sermone hominum et fama celebre, veneratione est apud homines. Iam Christus tale habet nomen, ut vi nominis omnis plane creatura coelestis et terrestris eum vero adorationis cultu veneretur.

Quale enim sit hoc nomen super omne nomen, declaratur v. 10 *ut in nomine Iesu*, ut vi dignitatis Iesu collatae et manifestatae, scil. celebritate eius nota facta, *omne genu flectatur*, cultus summus verae adorationis ei exhibeatur ; de locutione vide Is. 45,24 mihi curvabitur omne genu ; Rom. 14,11 ; Eph. 3,14 ; Christus homo, humana eius natura, utpote Verbo hypostatice coniuncta eodem cultu adorari debet quo ipsa Verbi divinitas ; unde *Theod.* dicit : « accepit ut homo quae habebat ut Deus ; hic ergo hoc etiam dicit quod cum seipsum humiliavit, non solum non perdiderit quod habebat ut Deus, sed hoc etiam acceperit ut homo ». Et quanto ambitu ista adoratio Christo homini deferenda sit, exponitur :

omne genu flectatur *coelestium*, angelorum omnium ordinum; cf. Eph. 1,21; Col. 2,10; *terrestrium*, hominum in terra degentium, et *infernorum* καταχθονίων, cf. Rom. 14,9 Christus surrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur : καταχθόνιοι qui infra terram versantur, incolae oroi; orcus enim seu hades, scheol in Scriptura describitur tamquam regio subterranea, Num. 16,31 dirupta est terra sub pedibus eorum et aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque in infernum; Ps. 62,10 introibunt in inferiora terrae; Ps. 85,13; 87,7 in lacu inferiori; cf. Iob 11,8; 17,16. Is. 38,10. Ez. 32,18 seq. Prov. 9,18. Sap. 16,13 etc. Num etiam intelliguntur daemones, qui v. g. Luc. 8,31 petunt a Domino ne imperaret illis, ut in abyssum irent (cf. Apoc. 9,11; 20,2) ? De daemonibus (et damnatis) qui coacte Christo subduntur explicant *Chrys. Oec. Thph.* inviti inflectentur, qui ante tempus illud dicebant : novimus te qui sis; ita *Thom. Iust. Nat. Lap. Beelen*, et *Est.* ait hanc acceptionem esse communem pene omnium interpretum.

De mortuis explicant *Theod.* et *ThdM.*; cum apostolus regionem daemonum assignet aerem et τὰ ἐπουράνια (Eph. 2,2; 6,12), merito potest dubitari, num ipse καταχθονίους dicens voluerit etiam daemones comprehendere; ceterum ad nostrum locum illustrandum poterit inservire quod legitur Apoc. 5,12 : et omnem creaturam quae in coelo est et super terram et sub terra, omnes audivi dicentes : sedenti in throno et Agno benedictio et honor etc. Ex altera parte verum est : daemones credunt et contremiscunt (Iac. 2,19). Hic igitur homo qui dicitur Iesus Christus adorandus est; in huius rei protestationem quandam vetere more Christianorum soli nomini Iesu quando nominatur, reverentia fit (*Est.*). Quam reverentiam praescripsit Papa Gregorius X in Constitutionibus in concilio Lugdunensi generali sancitis, Constitutione XXV de immunitate ecclesiarum, ubi haec leguntur : « nomen illud quod est super omne nomen, nomen videlicet Iesu Christi exhibitione reverentiae specialis attollant (convenientes in ecclesiam) et quod generaliter scribitur, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsis implentes, praecipue dum aguntur missarum sacra ministeria gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur » (*Mansi*, Concil. coll. t. 24, p. 98). — Compluribus placuit nomen Christo datum esse Κύριος, Dominus, quia statim in v. 11, id nomen efferatur ita ut quaevis lingua debeat confiteri Iesum esse Dominum (*Dib.*). Verum id est solum consequens ex collatione nominis in v. 9 expressa et designata, vel ipsa nominis illius explicatio quaedam ponitur ex confessione fidei requisita.

Christus exaltatus est quoad notificationem suae divinitatis et quantum ad reverentiam totius creaturae, quae veneratio habetur in subiectione

operis (flexione genuum, adoratione) et in confessione oris (*Thom.*) v. 11 *et omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*, omnis lingua, omnes gentes (*Theod.*) omnes confitebuntur (graece, sententia iam non dependente) Iesum Christum tamquam *Dominum*, absolute, qui habeat dominationem et imperium omnis creaturae, qui habeat omnem potestatem in coelo et in terra (Matth. 28,18), ut scil. omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (Ioan. 5,23) et Dominum confiteantur, qui est in gloria Patris, qui habet eandem gloriam cum Patre (*Thom. Est. Nat. Lap.*) et hanc interpretationem vulgata nostra omnino postulat, ait *Beelen;* ergo declaratur impletum quod Christus oravit ad Patrem : et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui, prius quam mundus esset, apud te (Ioan. 17,5). Verum verba graeca hanc interpretationem non admittunt ; iam *Cai.* monuit deesse graece *est*; dein quod dicitur εἰς δόξαν Θεοῦ, ita solitarie nequit verti : est in gloria Dei. Nam quamquam εἰς quandoque videtur poni pro ἐν, hoc tamen loco id nequit supponi, quia non adest verbum quietis, quo tunc qui v. g. εἰς τὴν πόλιν habitat simul cogitatur venisse in urbem, seu habitationem suam transtulisse (cf. Matth. 2,23 ; 4,13. Luc. 21,37. Act. 12,19 ; cf. *Blass* § 39,3 ; ergo ἐστίν saltem deberet poni, uti lingua vulgari dicitur εἰς πόλιν ἐστίν, εἰς οἰκόν ἐστιν etc.).

Quod graece legitur ὅτι κύριος Ἰ. Χρ. εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρός explicat *Theod.* : si autem confiteri Christum Dominum Patrem gloria afficit, τὸν πατέρα δοξάζει, clarum est quod qui eum creaturam et servum (tantum) appellant, genitori eius inurant ignominiam. Unde εἰς δόξαν non refertur ad κύριος Ἰησοῦς Χριστός, quasi ipse Dominus, seu dominatio eius habeat ultimum finem ac terminum gloriam Patris. Id quidem per se verum est; nam omnia demum et etiam summa Christi dominatio et glorificatio tendunt ultimatim ad gloriam Dei; at aliud est, num hoc loco id directe enuntietur. Nam sermo est de exaltatione Christi et in eius descriptione totum quod dicitur versatur. Num ulterius quidquam exspectatur? certe non id quod *Cai.* vult, dominum Iesum non esse ad aemulationem aut denigrationem Dei Patris, sed ad eius gloriam. Est certe ad Dei Patris gloriam, ut *Thph.* dicit, talem habere Filium, cui omnia subdantur ; sed bene addit : praeconium Unigeniti est gloria Patris. Aliter explicat *Dam.* : ut eo modo honoretur, inquit, sicut et Pater (quia) aequalis et similis est illius ; igitur εἰς δόξαν intellexit Christum esse assumptum seu translatum ad gloriam Patris. Verum concipiendum est: id cedit in gloriam Patris quod omnis lingua confiteatur Iesum ut Dominum, quae confessio fit ad gloriam Patris (*Nat.*); et similiter loquitur *Est.* : dignitas Christi Domini et dignitatis agnitio cedit ad gloriam Dei. Quia hic cum emphasi effertur ὅτι κύριος Ἰησοῦς non desunt qui ipsum

hoc nomen Κύριος intelligant esse nomen illud super omne nomen. Quod nomen Κύριος vel sua notione retinent, scil. de domino omnium, de summa dominatione, cui omnia subiecta sint; vel accipiunt nomen Κύριος aequivalere nomini Deus. Imo cogitatum quoque est de nomine יהוה Iahve, quod plane sit τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν, et nomen שֵׁם, הַשֵּׁם ponitur apud rabbinos pro nomine Dei ineffabili; addi posset apud LXX Κύριος solere poni pro hebr. Iahve et apostolum eiusmodi locos ad Christum referre v. g. Rom. 10,13 (Ioel, 2,32).

Ceterum quod supra dictum est de notione et significatione nominis, confirmatur iis quae de nominis usu et efficacia variis in locis traduntur. Apostolis et iis qui crediderint promittuntur multa signa: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt (Marc. 16,17); in nomine Christi poenitentia et remissio peccatorum praedicanda est in omnes gentes (Luc. 24,47); hoc unum nomen est sub coelo datum, in quo oporteat nos salvos fieri (Act. 4,12); Paulus vas est electionis, ut portet nomen hoc coram gentibus et regibus et filiis Israel (Act. 9,15), complacet Deo sumere ex gentibus populum nomini suo (Act. 15, 14; cf. Act. 22,16; 26,9).

Non tam explicatione quam consideratione opus est, ut percipiatur, quanta vi, vere ineffabili, valeat exemplum Christi ab apostolo propositum ad ea quae tradita sunt monita; « non quae sua sunt considerantes » quantopere hoc elucet in decreto Incarnationis v. 6, in ipsa Incarnatione : semetipsum exinanivit, in ipsa vita et morte : humiliavit semetipsum. Apostolus non explicite effert, at omnes sciunt ea Christum subiisse, ut Ecclesia dicit, propter nos homines et propter nostram salutem; ergo quale exemplum : « sed ea considerantes quae aliorum ». Cavendum est a contentione, vana gloria; en perpendenda exhibetur Christi suiipsius quasi oblivio et neglectio, humilitas, obedientia. Atque ut haec abnegatio appetituum et concupiscentiarum, adeo necessaria ad salutem obtinendam, reddatur suavis et accepta, proponitur nobis Christus homo post mortem summopere exaltatus et gloria sublimatus; in eius gloria videmus pignus et exemplum praemii nostri post mortem futuri ad consolationem et confortationem in pugna terrestri; « Pater, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam » (Ioan. 17,24; 12,26).

Diligenter adnotant graeci, quot haereses hoc loco prosternantur. Ita v. g. ait *Chrys.* : « nam his ipsis verbis et Arii alexandrini sectatores et Pauli samosateni et Marcelli galatae et Sabellii lybici et Marcionis pontici et Valentini et Manetis et laodicensis Apollinarii et Photini et Sophronii, omnesque omnino haereses prostravit » (similiter *Oec. Thph.*). Eodem modo loquitur *Theod.* : « omnem haeresin paucis expugnavit divus apostolus, tum eos qui Unigeniti divinitatem blasphemant et qui eius humanitatem negant, tum eos praeterea, qui hypostases confundunt. Et Sabellium, Photinum, Marcellum, Paulum samosatenum impios esse convincit, duas ostendens personas : qui in forma Dei... aequalem Deo... nemo autem dicitur esse sibi ipse aequalis. Arium vero et Eunomium

iisdem verbis blasphemare ostendit » etc. Errores singulorum exponit *Chrys.* in homilia 6 in hanc epistolam (*M.* 62,219 seq.); eosdem errores etiam perstringit et textu hoc apostoli refutat *Cyrillus* alex. de Incarnatione Domini c. 9 seq. (*M.* 75,1427 seq.); aliqua ex iis tangit etiam *Isidorus* pelus. Epist. 4,22 (*M.* 78,1072).

Strenue operi salutis incumbant ad bonum exemplum 2,12-18.

2,12. *Itaque carissimi mei (sicut semper obedistis), non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini.* 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* 14. *Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus,* 15. *ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,* 16. *verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri neque in vacuum laboravi.* 17. *Sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestrae, gaudeo et congratulor omnibus vobis.* 18. *Idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi.*

2,12. Ὥστε, ἀγαπητοί μου, καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε, μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου, μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. 13. Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. 14. πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν παὶ διαλογισμῶν, 15. ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, τέκνα Θεοῦ ἄμωμα, μέσον γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ, 16. λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, εἰς καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ, ὅτι οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον, οὐδὲ εἰς κενὸν ἐκοπίασα. 17. ἀλλὰ εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, χαίρω καὶ συνχαίρω πᾶσιν ὑμῖν. 18. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὑμεῖς χαίρετε καὶ συνχαίρετέ μοι.

Contra defectus quibus unio et animorum concordia turbatur apostolus monuit, ut sensum Christi induerent, quem sensum in exemplo Christi discant et animis imprimant. Pergit nunc, uti 1,27 inceperat, in proponendis monitis particularibus, quae prioribus adnectit particula ὥστε, *itaque;* sed quis sit nexus, non satis constat; aliqui, ut iam *Thph.*, construunt nexum ex voce *obedistis* : ostendi vobis quod Filius Dei obediens factus sit, imitamini ergo illum. At nulla sequitur adhortatio ad obedientiam, imo laudantur quod semper obedierint. Propius adiacet, in exemplo Christi, in eius exinanitione, humilitate, obedientia usque ad mortem crucis, constitui adhortationem, ut propterea ipsi conatus adhibeant ad suam salutem in tuto collocandam. Opponit quidem *Hpt.*, ab apostolo non indicari ullo modo finem salutarem obedientiae Christi pro nobis; unde cum nihil dicatur in antecedentibus de salute, etiam ex adhortatione ad operandam salutem non posse repeti nexum (et similia monet *Ew.*). Sed contra hoc adverti debet quod v. 5 dicitur : hoc sentite in vobis etc., ubi aperte monentur ad exemplum Christi perpendendum, ad induendos sensus illos quos vident in Christo expressos v. 6-8; et si Christum adorant, si eum confitentur Dominum v. 9-11, nonne ex tali

sensu Christi et fide rite concludendum est, quod particula ὥστε concluditur? Aliis placet afferri ex omnibus 1,27 hucusque dictis quasi conclusionem v. 12 *itaque carissimi mei, sicut semper obedistis :* monent graeci adhortationes apte cum laude et praeconiis fieri, sic enim effici ut facilius recipiantur; quare apostolus eos laudat vocans dilectos suos magno cum affectu et obedientiam quam semper exhibuerint agnoscens.

Quaerunt, qualem obedientiam commemoret. Cum statim mentionem faciat suae apud eos praesentiae, intelligi potest obedientia ipsi apostolo praestita, sed cum monitis apostoli obedire nihil aliud sit, quam obedire Deo, praeceptis evangelii, alii hoc sensu obedientiam explicant (*Nat. Est. Beelen, Ew.*). Adhortatur eos, ut *Chrys.* ait, ut seipsos imitentur, non aliōs, et *ThdM.* annotat: « optime et memoria praeteritorum persuasit illis nihil indignum sibi sapere, sed talia facere qualia et primitus fiebant coram ipso. » Monitum autem in eo consistit, ut in eius absentia eo maiore studio operam dent negotio salutis, *non ut in praesentia mei tantum*, μὴ ὡς, hisce particulis apparet totum hoc pertinere ad subsequentia scil. tale studium *sicut* in mea praesentia exhibuistis, iam nunc non sufficit, *sed multo magis nunc in absentia mea cum metu et tremore vestram salutem operamini ;* nam apostolus quando praesens erat, vario modo potuit pericula indicare, remedia praescribere, auxilia praestare; simul modo loquendi eos stimulat, ut graeci notant: tunc forte videbamini bene agere propter reverentiam erga me : nunc autem si in absentia mea maiorem diligentiam ostenderitis, simul constabit, vos antea quoque propter Deum ad virtutem animos intendisse.

Iungitur ὥστε cum imperativo κατεργάζεσθε efficere studete *vestram salutem :* opera adhibita salutem sibi quaerere debent, labore salutem sibi acquirere. Quale *operari* intelligat apostolus, satis elucet ex monitis quae supra tradidit, ne terreantur ab adversariis, caveant contentionem, vanam gloriam etc. Unde iis ostendit, posse esse periculum excidendi a salute messiana, quam Christus attulit. Ostenderat v. 9 quomodo Christus acquisierit suam exaltationem, summa illa humilitate et obedientia: pariter ipsi allaborent ad suam salutem in tuto collocandam, idque *cum metu et tremore*, quae locutio familiaris est apostolo 1 Cor. 2,3; 2 Cor. 7,15; Eph. 6,5 ; φόβον referre solent ad affectum internum, τρόμον ad eius indicium seu effectum externum quo addito maior quidam timor significatur, ut *Chrys.* censet, secundum quem nihil praeclari sine timore perficitur. Qua locutione *Dib.* notionem humilitatis apud apostolum constanter significari (feste Wendung zur Bezeichung der Demut) existimat. Eadem iunguntur vocabula Ps. 2,11 servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore; Ps. 54,6. Magnam curam et sollicitudinem ut adhibeant, monet apostolus; ostendit pericu-

lum perdendi salutem, nam quod cum metu et tremore servandum est vel peragendum, nondum in tuto est collocatum. Ex qua adhortatione merito colligitur liberum arbitrium cum Dei gratia valere ad promerendam et efficiendam salutem; neminem tamen sibi plenam securitatem perseverantiae seu salutis adscribere posse; nam metus ille in opere salutis ponendus et magna illa sollicitudo periculum indigitant aberrandi a via salutis; cf. 1 Cor. 10,12 qui se existimat stare, videat ne cadat, et ipse apostolus de se profitetur: castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar (1 Cor. 9,27); ecce metus; pariter metus innuitur non attingendi metam et bravium: sic currite ut comprehendatis (1 Cor. 9,24).

Cur autem eo modo salutem operari debeant, causa subditur v. 13 *Deus est enim qui operatur et velle et perficere* ὁ ἐνεργῶν.. καὶ τὸ ἐνεργεῖν, qui operatur in vobis et velle et operari (ita vetus latina); perficere non est ad finem usque facere, sed simpliciter facere actum quem quis voluerit; velle actum et facere actum Deus in nobis operatur. Nexus itaque est, cum timore ac tremore operandum est, cum magna sollicitudine, quia operari salutem non consistit simpliciter in vestris viribus, nec velle nec agere simpliciter est a vobis, sed Deus est qui utrumque in vobis operatur. Ergo non negligenter, oscitanter, neque cum praesumptione quadam aut sui ipsius confidentia agendum est, in opere salutis, quia Deus superbis resistit, neque negligentibus remque parvi aestimantibus adiutor assistet. Omnia tandem, velle et facere, a Deo dependent et haec operatur *pro bona voluntate* ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας: ὑπὲρ refertur ad causam et rationem, εὐδοκία dicitur, uti Eph. 1,9, de benevolentia Dei, de gratuita eius bona voluntate erga nos, uti recte graeci et latini explicant. Docet itaque apostolus et velle et facere dependere a Dei erga nos benevolentia, vel a beneplacito Dei; haec autem est ratio, ut nos agamus cum metu et sollicitudine; nam ita versari solemus in eo, quod ab aliena gratia dependet, ne forte eam socordia vel ingratitudine nostra amittamus (*Est.*). Atque hunc nexum latini communiter adstruunt. Minus convenit quod *Ew.* vult: eos non opus *apostoli* operari sed opus *Dei*; unde multo magis illis esse insistendum in absentia apostoli.

Aliter nexum sibi efformarunt graeci; haec addi ad alacritatem et fiduciam excitandam. Verum hunc nexum solum invenerunt inserta aliqua cogitatione, cuius ne vestigium quidem in textu reperitur: quia dixit, *cum metu et terrore*, nunc ait: ne terreamini propter hoc; nam hoc non ideo dixit, ut desistas a bono vel deficias, sed ut sedulo agas quod agis; si enim adverteris, Deus omnia agit (*Thph.*); et eadem est sententia *Chrys.*: hoc non dictum est, ut desperes, vel virtutem difficilem putes,

sed ut animum applices, ne remisse agas; si solers es, Deus omnia operabitur; porro addit, Deum omnia operari, ne nos nimia anxietate premamur; ipse est ὁ ἐνεργῶν, ἐκλῦσαι τὴν ἀγωνίαν ὑμῶν βουλόμενος. Certitudo, Deum esse adiutorem, fiduciam affert et nimium metum arcet; hoc utique verum est. At adverti debet is modus loquendi et sententias iungendi, qui revera exhibetur, non qui interposita alia sententia effingi possit. Praecipit apostolus: cum metu et tremore operamini, et immediate pergit: Deus est enim etc.; ergo cur cum metu operandum? certe, quia Deus est ὁ ἐνεργῶν. Quae de nimio terrore vel de alacritate fovenda dicuntur, talia interponunt inter v. 12 et 13 quae apostolus nec scripsit neque ullo modo innuit. Potius attendendum quomodo apostolus et nostram postulet operationem et tamen et velle et facere ad Dei efficientiam (ἐνεργῶν) referat: ergo et nos operamur et in nobis Deus; cf. 1 Cor. 15,10 gratia Dei sum id quod sum; abundantius laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum; cf. 2 Cor. 4,7.

Quandoque adhibetur εὐδοκία pro hominis bona voluntate, pro animo benevolo, pro animi desiderio; vide Rom. 10,1; Phil. 1,15; et ita vocem hoc loco intellexit syrus: Deus operatur in vobis et velle et agere id quod vultis. At aliter accepit verbum *ThdM.* « sic enim alacritas vestra cooperariam invenerit sibi Dei gratiam, necessario eo cooperante vobis, ut cogitetis et agatis illa quae Deo sunt placita — sic enim dicit *pro bono placito* ». Similiter opinatur *Dib.* εὐδοκίαν posse concipi de eo quod Deus *optat* (Wunsch Gottes); et esse sensum: Deus in vobis operatur, sicut vult ut vos habeatis vosmetipsos. De hominis voluntate explicant *Ew. Zahn:* Deus efficit et velle et efficere, ut fiat quod vultis (ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας); sed tunc potius scribendum erat τὰ εὐδοκοῦντα (cf. *Hpt.*). Generatim εὐδοκία dicitur de Deo, de eius beneplacito, benevolentia, gratia: vide Luc. 2,14; 10,21; Matth. 11,26; Eph. 1,5.9. Etiam in veteri testamento, praesertim in Psalmis et in Eccli. εὐδοκία de Deo dicitur; vide Ps. 5,13; 18,15 (14); 68,13 (14); 88,18; 105,4 et Eccli. 1,24; 2,16; 11,15 etc. Et de voce εὐδοκία, quae apud profanos scriptores non reperitur, scribit Hieronymus: hunc autem sermonem de hebraico reson (רצון) septuaginta interpretes transtulerant, rebus novis nova verba fingentes (*M.* 26,449).

Qualiter Pelagius et sectatores eius, et postea Lutherani quoque hac Pauli sententia in malam partem abusi sint, non est huius loci pluribus persequi; iam *Chrys.* in commentario, *Augustinus* in variis libris de gratia, de libero arbitrio veteres haereses pariter ut recentiores ex verbis apostoli refutarunt.

Unum tamen addam. Constanter enim Augustinus nexum inter v. 12 et 13 ita explicat, ut afferat rationem, cur cum metu et tremore operandum sit: « ideo cum tremore, quia Deus operatur; quia ipse dedit; non ex te est quod habes; cum timore et tremore operaberis; nam si non tremueris eum, aufert quod dedit (in Ps. 103, c. 4 n. 16; Ps. 142: *M.* 37,1388. 1851) et in epistola 218 *M.* 33,990) hanc reddit causam, quoniam praeparatur voluntas a Domino, atque ab ipso gressus hominis diriguntur. Et de natura et gratia n. 31 (*M.* 44,262) aliam interpretationem explicite non admittit: quare ergo cum timore et tremore et non potius cum securitate, si Deus operatur? nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo huma-

no, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet et dicat : in abundantia mea non movebor in aeternum. Item habet de gratia et libero arbitrio cap. 9 (*M.* 44,894).

Contra hanc explicationem arguit *Hpt.*, v. 13 cum emphasi poni θεὸς γάρ ἐστιν, et in fine in εὐδοκία nos remitti ad Dei gratiam; unde infert, ne putent admonitione illa v. 12 illis proponi rem nimis difficilem, et locutione : cum metu et tremore animos necessario deprimi; quare apostolum consolationem afferre : debetis salutem operari, nam id potestis. Ergo etiam in tali explicatione interponitur sententia, quae in textu non indicatur; omittitur una illa notio : operari cum timore et tremore, et totus v. 13 solum refertur ad operari, et quidem eo sensu : operari redditur facile, nam Deus cooperatur; iam non cernitur cur apostolus apposuerit, non simpliciter operari, sed operari cum metu et tremore; num itaque cum metu et tremore abundat? aut plane negligitur ab apostolo in v. 13? Neutrum est probabile.

Nexum indicat *Thom.* : apostolus induxit ad facienda opera salutis, hic docet eos modum faciendi duplicem : v. 14 *omnia autem facite sine murmurationibus* ; opera enim possunt occurrere difficilia ; inde periculum adest, ne difficultates aegre ferant et praecepta Dei cum aliquo animi maerore, vel cum taedio et stomacho quasi inviti impleant; prompto e contra et alacri animo ferte labores, qui pro virtute suscipiuntur (*Theod.*). Eiusmodi γογγυσμοί eo facilius oriri poterant, quia neochristianis pronum erat auxilia divina extraordinaria sperare; de Christi potentia et amore in suos excelsas gerebant notiones; quomodo itaque fideles suos quasi expositos relinquit persecutionibus? Cur hostes suos non prosternit uti in vaticiniis et psalmis promittitur (Is. 11,4. Ps. 2,9; 109, 5.6)? cur tardat opem ferre? cf. 1,29. Tradidit quidem iis apostolus sublimem doctrinam de perpessionibus pro Christo subeundis (1,29); at quotus quisque est, qui statim reputet omne lucrum et gaudium in infestationibus et contradictionibus sustinendis? Alterum hoc caveant : *et haesitationibus*, χωρὶς διαλογισμῶν, sine disceptationibus, uti vox vertitur 1 Tim. 2,8; prohibet ne quae agenda iis imponuntur ad crisin quandam revocent, vel curiosius inquirant, cur talia praecipiantur; vel ne secum diu deliberent et discutiant : estne hoc bonum, utile, ad rem necessarium (cf. *Thph.*)? Talis disceptatio et crisis proxime adiacet murmurantibus ; nam qui murmurat, etiam ad argutandum et rem in quaestionem vocandam pronus est.

Eiusmodi vitanda sunt; alacriter et assidue officiis christianis est vacandum; ratio et fructus affertur v. 15 *ut sitis sine querela*, ἵνα γένησθε, ut efficiamini irreprehensi apud Deum, *et simplices*, ἀκέραιοι, proprie immixti, quibus nihil mali admixtum est; dicitur vox de vino mero, de metallis puris sine scoriis; ergo ut sint moribus integris, pro eorum dignitate, tamquam *filii Dei sine reprehensione*, τέκνα Θεοῦ ἄμωμα, filii Dei sine macula; tales esse debent qui ab ipsis gentibus agnoscuntur

filii Dei. Et quanto studio mores integros prae se ferre debeant, et quomodo ipsis quoque cavendum sit, ne maculentur, indicatur *in medio nationis pravae et perversae;* cf. Deut. 32,5, graece nationis tortuosae et distortae ; degunt inter eos qui pro morum depravatione etiam bene facta criminantur ; ergo eo magis inculpatos in conversatione se exhibere debebunt (*Est.*), et quia corrumpunt mores bonos colloquia mala (1 Cor. 15,33), ipsis quoque enitendum est ne conversatione infidelium perversorum quidquam labis contrahant.

Potius ita vitam et mores componant ut istis lumen evangelii ostendant et eos ad Christum alliciant : *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*, mediis in tenebris corruptionis et ignorantiae fideles apparent probitatem et scientiam rerum divinarum prae se ferentes [1] ; eorum gloriam in medio gentilium explicat ad similitudinem qua sol et luna apparent in mundo, « ut ex ipsa similitudine longe alienos (in excelso tamen) a gentibus describeret, quemadmodum luminaria mundi aliena sunt ab immunditiis mundi » (*Cai.*). Imperativum *lucete*, vel conspicui estote, legunt Cyprianus, Pelagius ; etiam *Thph.* dicit τὸ φαίνεσθε προσταχτικὸν δοκεῖ μοι : it. *Ew.* Sed a v. 14 potius describitur quae sit conditio fidelium et quis eorum status inter gentiles, neque haec adhortatio continuatur ; itaque ex duplici ratione *lucetis*, i. e. apparetis, erit retinendum. Simili modo Michaeas propheta describit conditionem populi messiani : et erunt reliquiae Iacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam (5,7). Merito recensetur sanctitas inter notas ecclesiae, quatenus scil. insigni probitate et virtutum exercitio fideles quasi quodam splendore lucent, ita ut infideles maiorem quandam vim divinam fateri cogantur.

Continuatur descriptio conditionis fidelium, et simul ratio redditur, cur vel quomodo appareant : v. 16 *verbum vitae continentes*, ἐπέχοντες. *Chrys.* explicat : semen vitae in vobis habentes ἔχοντες, i. e. pignora vitae habentes ἔχοντες, αὐτὴν κατέχοντες τὴν ζωήν ; item *Thph.* : semen vitae in vobis habentes et victuri posthac et arrabonem salutis iam nunc accipientes. Unde patet graecos ἐπέχοντες in notione ἔχοντες accepisse vel, ut *Theod.*, τῷ λόγῳ προσέχοντες attendentes verbo vitae. Posset ἐπέχοντες sensu proprio retineri, verbum vitae praebentes, seu : quippe qui evangelicae doctrinae lumen, vita vestra et moribus, ethnicismi tenebris adhibetis sive admovetis (*Beelen*, *Ew.*). Et quod ipsi sunt irreprehensi, verbum vitae retinentes, hoc erit *ad gloriam meam* εἰς καύχημα ἐμοὶ in materiam gloriationis mihi pro die adventus Christi *in die Christi* εἰς ἡμέραν Χριστοῦ : tanta est vestra virtus, ut non solum vobis salutem det, sed et

1. Bene enim notat *Lap.* φαίνεσθε non significare quovis modo lucere, sed in conspicuo esse. Et in vulg. recte vertitur Matth. 2,7 apparere et 24, 27 (fulgur) paret.

me clarum, λαμπρόν faciat (*Chrys.*) Calcaria addit Philippensibus ex proprio suo ipsius bono (*Cai.*). Simili modo scripsit Thessalonicensibus : quae est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum in adventu eius? vos enim estis gloria nostra et gaudium (1 Thess. 2,19.20); et 2 Cor. 1,14 gloria vestra sumus sicut et vos nostra in die Domini nostri Iesu Christi. Ex quibus locis etiam patet εἰς ἡμέραν non esse accipiendum usque in diem Domini, ita ut gloriandi materies Paulo exsistat apud homines usque ad adventum Domini ; nam εἰς non est usque ad, et Paulus non ab humano die iudicari vult, sed a Domino (1 Cor. 4,3-5). Nota, apostolum velle, ut sint « lucem afferentes » in mundo.

Cur autem Philippenses futuri sint καύχημα ἐμοὶ εἰς ἡμέραν Χριστοῦ probitate sua et fide, assignatur ratio, *quia non in vacuum cucurri*, non inanem operam adhibui : contigit ei, ut multos ad Christum adduceret; ad metaphoram cursus vide 1 Cor. 9,26; Gal. 2,2; 2 Tim. 4,7; *neque in vacuum laboravi,* neque in cassum, frustra, sine fructu laborem suscepi, ἐκοπίασα de labore operoso, difficili (cf. 1 Cor. 15,10; Gal. 4,11). De dictione vide Is. 49,4. Dixerat apostolus fidem et probitatem Philippensium sibi fore εἰς καύχημα εἰς ἡμέραν Χριστοῦ. Unde inferunt aliqui apostolum exspectasse fore ut superstes esset usque ad Christi adventum, sed nunc in v. 17 eum oculos convertere ad alteram conditionem, qua antea mortem obire debeat; quo nexu per se explicetur transitus : sed et si immolor. At hoc loco talem enuntiari exspectationem ab apostolo, nullatenus innuitur; εἰς τὴν ἡμέραν fore καύχημα apostolo, verum manet, quocumque tempore Christus venturus est, et bene advertit *Hpt.*, si haec exspectatio mentem apostoli occupasset, eum dicturum fuisse : sed et si antea immolor, vel simile quid. Alium nexum indicat *Beelen :* quod modo dixerat : fiet ut ex vobis nanciscar causam gloriandi, eo innuerat sperare se, fore ut non ita brevi vitae faceret finem, sed libertati restitutus satis diu vitam produceret, ut ipse superstes tales videre posset Philippenses quales eos desiderat ; sed cum ea spes non esset absque metu et facile accidere posset, ut brevi occideretur, hinc ponendo contrarium eius quod modo innuerat pergit dicere : sed et si immolor; unde ratio particulae adversariae patet ex serie orationis. At ista connexio nequit sustineri, id quod ex sequenti consideratione efficitur.

Supra quidem 1,27 utrumque fieri posse innuerat : sive cum venero, sive absens; at in nostro contextu non utrumque ob oculos habet, e contra in v. 12 explicite dicit: multo magis nunc in absentia mea, et in v. 16 loquitur pariter de tempore praeterito cucurri, laboravi, qua locutione certe non indicat se mox apud eos laboraturum esse; neque hoc significatur per καύχημα εἰς ἡμέραν, nam unica ratio causae gloriandi

est: quia non in vacuum cucurri. Itaque non potest inferri vel addi: quia etiam in posterum laborabo. Alium nexum assignant *ThdM.* et *Cai.;* et ille quidem : sciens quod non vane pro fide laboravi, sed iusta ratione omnia sustineo, licet pro vobis etiam mortem subire sim paratus; hic autem : particula adversativa refertur ad *non in vacuum laboravi.* Hunc nexum etiam *Hpt. Ew.* commendant: non frustra, sed fructus exsistit. Iste fructus autem enuntiatur, si cum graecis (etiam inter alia *Oec.*) et *Lap.* supra sacrificium etc. iungatur cum sequentibus χαίρω καὶ συγχαίρω πᾶσιν ὑμῖν. Etiam *Nat. Est.* saltem in explicatione trahunt has partes ad gaudeo etc. Sensus igitur est : *sed et si immolor*, ἀλλὰ εἰ καὶ σπένδομαι, sed et si cursus meus et labor finiendus est in mei ipsius libatione, *supra sacrificium et obsequium fidei vestrae* ἐπὶ τῇ θυσίᾳ propter sacrificium et ministerium sacrum fidei vestrae, *gaudeo et gratulor omnibus vobis.*

Apostolus martyrium suum, sanguinis effusionem, considerat ut libamen sacrum, cf. 2 Tim. 4,6 ego enim iam delibor; notio sacrificii saepius ab apostolo effertur ; ita Rom. 12,1 obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, θυσίαν ζῶσαν, sanctam, Deo placentem ; et Rom. 15,16 ut sim minister Christi λειτουργὸς Χριστοῦ, ut fiat oblatio gentium ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν accepta etc. Unde prope adiacebat sanguinis effusionem pro Christo tamquam sacrum libamen proponere, quo simul indicatur vitam libenter et pie pro Deo tradi, sicut sacerdos magna cum reverentia et promptitudine libamen offert. Sed et si apostolus cursum et laborem mox morte sua finire debebit, non in vacuum laboravit; imo de bono statu fidelium et ipse gaudere poterit et gratulari fidelibus. Neque pro se neque pro fidelibus aderit causa tristitiae, sed e contra gaudii. Et propter quid (ἐπί) utrique gaudeant, declaratur : est sacrificium fidei et λειτουργία τῆς πίστεως ὑμῶν, fides quae sacrificium nominatur et vita secundum normam fidei instituta, quae vita bene designatur ut sacrum ministerium, seu sacer cultus Dei per fidem Deo oblatus. Merito vocatur fides sacrificium ; fidelis enim prompta voluntate in Dei obsequium et gloriam offert Deo suum intellectum eumque Deo subiicit, quamvis intimas rationes non perspectas habeat; nam in captivitatem redigendus est omnis intellectus in obsequium Christi (2 Cor. 10,5). Bonus itaque status Philippensium describitur eorum fide, qua Deo sacrificium acceptum offerunt et norma vivendi ad regulam fidei exacta, qua Deo sacrum cultum exhibent. Haec est igitur ratio gaudendi pro apostolo et pro fidelibus, et hoc fructu ostenditur, apostolum non in vacuum laborasse.

Commode sacrificium fidei intelligitur quod Philippenses ipsi offerunt; ita intellexit *ThdM.* « ὑμῶν μὲν ὥσπερ τινὰ θυσίαν τὴν πίστιν τῷ Θεῷ

προσκομιζόντων, vobis quasi aliquod sacrificium fidem vestram Deo offerentibus, me autem ad instar libationis proprium sanguinem vobis infundente ». Sed graeci reliqui et latini sacrificium fidei Philippensium ab apostolo oblatum explicant; ipse scil. apostolus fidem Philippensium seu Philippenses credentes Deo in sacrificium offert. Ipsum apostolum offerre fidem eorum, in textu tamen nullatenus innuitur, neque satis intelligitur, quomodo ipse vitae rationem Philippensium ut cultum Deo sacrum offerat. Qua in re melius videt *Cai.*, secundum quem ipsimet fideles sacrificant et offerunt fidem suam. Si intime iungitur : si immolor supra sacrificium etc., facile perspicitur quomodo putari potuerit, libamen apostoli effundi ad ipsum sacrificium apostoli : quae ratio non valet, si ἐπὶ τῇ θυσίᾳ etc. consideratur tamquam causa gaudii.

Bonus status Philippensium gaudium est pro apostolo et pro ipsis, ita ut apostolus particeps sit gaudii eorum. Nunc postulat, ut sibi quoque vicem reddant; nam si contingat ut ipse immoletur, hoc ei gaudio erit; cupit enim dissolvi et esse cum Christo; verum vult, ut ipsi quoque de eius martyrio gaudeant : v. 18 *idipsum* τὸ αὐτό eodem modo *et vos gaudete et congratulamini mihi* καὶ συγχάρετέ μοι, de bono meo quod exspecto. Sic enim praemunit eos quos de sua morte contristandos esse sciebat et consolatur eos, postulans, ut sibi vicem gaudii reddant, et iam in antecessum miro quodam caritatis affectu eos erigit et confortat (cf. *Lap. Est. Beelen* etc.); cf. 1,7 habeo vos in corde, socios gaudii mei omnes vos esse. Verbum συγχαίρειν habet notionem duplicem, congaudere scil. et gratulari; hac notione gratulandi effertur in vulg. Luc. 1,58; 15,6.9 (congratulamini mihi); alias redditur congaudere; v. g. 1 Cor. 12,26 et 13,6. Ergo dispiciendum erit, utra significatio magis consentanea singulis locis esse videatur.

Plerumque tamen verba : super sacrificium et obsequium fidei vestrae, iunguntur cum antecedentibus; sed et si immolor; σπένδομαι exhibet notionem libaminis; unde sensus est : ad sacrificium et obsequium fidei vestrae ego ut libamen effundor, i. e. sanguis apostoli est libamen ad sacrificium (*Dib.*). Quis offert sacrificium? aliqui putant ipsum apostolum offerre fidem Philippensium, seu suum laborem pro fide eorum tamquam sacrificium (*Euth. Iust. Est.*); sed obstare videtur σπένδομαι, ipse est non sacrificans, sed libamen quod effunditur; insuper labor apostoli ad fidem Philippensium efficiendam iam diu praeteriit; quare in morte apostoli iam non ut sacrificium posset considerari. Unde fides ipsa Philippensium est sacrificium et Philippenses fide sua hoc offerunt sacrificium. Libamen fieri ad sacrificium, utique intelligitur; sed hic praeterea additur καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως et obsequium fidei. Num fit libamen etiam ad obsequium? num sacrificium ad quod libamen fit

opus habet ulteriore determinatione per obsequium? Inde concluseris, partem illam supra sacrificium etc. melius separari a σπένδομαι et coniungi cum *gaudeo* etc. Dein simul habes, non mortem violentam, sed fidem et profectum fidelium assignari rationem et materiam (obiectum) gaudii (et consequenter ad hoc interpunctionem textus aliter esse exhibendam quam assolet in editionibus).

Narrat de sociis suis 2,19-30.

2,19. *Spero autem in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim cognitis quae circa vos sunt.* 20. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.* 21. *Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi.* 22. *Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in evangelio.* 23. *Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quae circa me sunt.* 24. *Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.* 25. *Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meae mittere ad vos;* 26. *quoniam quidem omnes vos desiderabat, et moestus erat propterea quod audieratis illum infirmatum.* 27. *Nam et infirmatus est usque ad mortem; sed Deus misertus est eius, non solum autem eius, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.* 28. *Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim.* 29. *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino et eiusmodi cum honore habetote,* 30. *quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.*

2,19. Ἐλπίζω δὲ ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ Τιμόθεον ταχέως πέμψαι ὑμῖν, ἵνα κἀγὼ εὐψυχῶ γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν. 20. οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει· 21. οἱ πάντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ. 22. τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ γινώσκετε, ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον, σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν εἰς τὸ εὐαγγέλιον. 23. τοῦτον μὲν οὖν ἐλπίζω πέμψαι ὡς ἂν ἀφίδω τὰ περὶ ἐμὲ ἐξαυτῆς. 24. πέποιθα δὲ ἐν κυρίῳ ὅτι καὶ, αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι. 25. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον τὸν ἀδελφὸν καὶ συνεργὸν καὶ συνστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ ἀπόστολον καὶ λειτουργὸν τῆς χρείας μου πέμψαι πρὸς ὑμᾶς, 26. ἐπειδὴ ἐπιποθῶν ἦν πάντας ὑμᾶς, καὶ ἀδημονῶν, διότι ἠκούσατε ὅτι ἠσθένησεν. 27. καὶ γὰρ ἠσθένησεν παραπλήσιον θανάτου, ἀλλὰ ὁ Θεὸς ἠλέησεν αὐτόν, οὐκ αὐτὸν δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐμέ, ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπην σχῶ. 28. σπουδαιοτέρως οὖν ἔπεμψα αὐτόν, ἵνα ἰδόντες αὐτὸν πάλιν χαρῆτε κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ. 29. προσδέχεσθε οὖν αὐτὸν ἐν κυρίῳ μετὰ πάσης χαρᾶς, καὶ τοὺς τοιούτους ἐντίμους ἔχετε, 30. ὅτι διὰ τὸ ἔργον Χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισεν παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας.

In sequentibus aliqua iis scribit de duobus quos ad eos mittet: de Timotheo et Epaphrodito v. 19-30. Nexus nec cum antecedentibus nec cum sequentibus adstrui posse videtur; qui enim adstructi sunt non habent fundamentum in textu: mitti Timotheum, quamvis nil certi de sua sorte cum eis possit communicare; mitti eum non obstante suo ipsius periculo, vel mitti eum, ut animi eorum in laetitia conserventur; sed nihil de hisce rationibus in textu ipso indicatur. Satis artificiosum est et ab ipsius textus simplicitate alienum quod *M.* excogitavit: 2,19-4,9 constitui tertiam epistolae partem, in qua exponantur officia Philippensium

erga eos qui cum auctoritate eos adierint. Verum de istis officiis neque erga Timotheum neque erga Epaphroditum equidem in textu ullam invenio doctrinam exponi. Nexus alius quaerendus non est, nisi is qui in epistola familiari se sua sponte offert; dedit monita, scripsit de se, de sua sorte, quid speret, timeat; nunc cum iis communicat quos ad eos mittere intendat; v. 19 *spero autem* (δέ saepe transitum ad aliam rem inducit, metabaticum grammatici vocant) *in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos*: notat *Thom.* apostolum sic habuisse fiduciam in Deo, quod etiam minima attribueret Deo. Spes eius de itinere Timothei fundatur in Domino; quemadmodum omnia, ita et missionem Timothei Domino committit (*Thph.*); Christo adiuvante et favente se missurum Timotheum confidit (*Nat.*). Apostolus enim iam saepius expertus est suas itinerum dispositiones non semper Deo probari; vide Rom. 1,13 et 15,24.28; 1 Cor. 16,8; 2 Cor. 1,8; 2,1; Act. 16,6. Timotheus iam saepius in eiusmodi expeditionibus et missionibus se probum legatum probavit; vide Act. 19,22. 1 Thess. 3,2. 1 Cor. 4,17; 16,10.

Quem fructum exspectet apostolus ab eius missione, declarat, *ut et ego bono animo sim* εὐψυχῶ animo forti et erecto (cf. 1 Mach. 9,14; 2 Mach. 7,20); in *et ego* κἀγώ satis indicatur apostolum pro Philippensibus quoque ex missione Timothei exspectare novam quandam animorum confortationem; nunc autem praeprimis suam de eorum rebus curam ac sollicitudinem demonstrare vult, *cognitis quae circa vos sunt* γνοὺς τὰ περὶ ὑμῶν, quando Timotheus redux suae missionis rationem reddet. Cur Timotheum mittat, ita exponitur, ut in maximam eius laudem ac commendationem vergat; optimum quem habeo vobis mitto, neque reperiri poterit melior quem mittam: v. 20 *neminem enim habeo tam unanimen* ἔχω ἰσόψυχον, neminem habeo qui pari animo praeditus sit; iam animi indoles singularis, qua pro tali missione prae omnibus Timotheus aptus efficitur, describitur: *qui* ὅστις quippe qui *sincera affectione* γνησίως genuine, vere et sincere, *pro vobis sollicitus sit*, qui scil. suis commodis sepositis τὰ περὶ ὑμῶν, res vestras diligenter curet. Laus Timothei in eo est, ut maximum habeat studium et curam rerum Philippensium; in ea re non habet aequalem sui. Multi volunt in ἰσόψυχος videre aliquem cum Paulo comparationem: qui pari cum Paulo animo parem cum eo curam habeat rerum illorum (*Thph. Est. Nat. Lap.* etc.). Attamen talis comparatio voce ipsa minime ostenditur; et si intenderetur, debuit aliquo modo declarari; nam cur neminem habeat ἰσόψυχον, pari animo instructum, sicut Timotheum, designatur sententia relativa. Unde per se de perfecta amicitia Timothei cum Paulo et de plena animorum consensione hic non est sermo.

Ulterius explicatur cur neminem habeat pari modo affectum v. 21

omnes enim οἱ πάντες circa Paulum, de quorum missione deliberari potuit, *quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Iesu Christi*, suis commodis et negotiis intenti eiusmodi iter suscipere renuunt vel aversantur ; eo sensu sua quaerunt et ea quae ad commoda fidelium, ad emolumentum evangelii spectant, negligunt, unde quae ad Iesu causam pertinent, non curare videntur. Sententiam generalem hanc minime esse sensu generali capiendam, sed ita ex itineris incommodis circumscribi, quibus nemo ex proximis Pauli sociis seu comitibus sese voluerit committere, monent (*Chrys. Oec. Thph. Beelen*). Nam cum laudibus quas fidelibus Romae degentibus tribuit (lege 1,13.15.16) talis reprehensio generalis gravis et accusatio nullatenus conciliari posset. At minus bene sententiam satis amplam ad incommoda itineris restrinxerunt. Nam cur tale iter rogati ab apostolo noluerint suscipere, variae rationes facile excogitari possunt, iam *Thom.* commemorat lucrum et gloriam ; eo negotio ab apostolo postulato nec lucrum acquiri potuit, potius damnum timeudum erat, nec res videbatur gloriosa ; quietem, securitatem, commoda sua sectabantur ; privatis suis rebus et occupationibus dediti suos circulos turbari minime volebant ; etiam *sua quaerunt* amplioris est significationis, quam ut ad sola itineris incommoda evitanda applicetur reprehensio ; causa Christi, quae procuranda erat illa missione, iis cordi minime est ; ergo deest in eis verum studium fidei et caritatis. Desunt qui promptis animis apostoli curis ac sollicitudini serviant ; cf. Col. 4,11 : 2 Tim. 4,9.

Ipsum vero Timotheum Philippenses iam habent optime cognitum v. 22 *experimentum autem eius cognoscite* τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ indolem eius spectatam, probatam cognoscitis, ita esse legendum, et explanatione graecorum patet : vos testes estis (*Thph.*) et latini intellexerunt (*Cai. Est. Iust. Beelen*) et res ipsa persuadet. Nam cum apostolus prima vice iis praedicaret, Timotheus erat eius socius (cf. Act. 16,3 ; 17,14.15). Et quanta sedulitate et devotione apostolo servierit in ministerio evangelii, magna cum eius commendatione apostolus grato animo effert, in praeconium et discipuli et magistri : *quia sicut patri filius*, amorem plane filialem apostolo et verbis et operibus exhibuit, *mecum servivit in evangelio*, cum fidelem agnoscit et laudat cooperatorem praedicationis ; servitium nostrum et obsequium ambo Domino devovimus et consecravimus εἰς τὸ εὐαγγέλιον in promotionem ac propagationem evangelii. Talem igitur nuntium, adeo sibi probatum et de re Christi optime meritum (cf. 1 Cor. 4,17 et 16,10) illis mittere proponit v. 23 *hunc igitur spero me mittere ad vos*, cito v. 19 eum mittere voluit ; id nunc a qua conditione dependant, clarius exprimit, *mox ut videro quae circa me sunt*, ὡς ἂν ἀφίδω τὰ περὶ ἐμέ simul ac videro res meas quonam in loco sint, quemnam

exitum habiturae sint ; si id cognovero, ἐξαυτῆς illico, statim, mittam.

Sed non solum vult Timotheum ad eos mittere, τοῦτον μὲν οὖν v. 23 ; accedit alterum v. 24 πέποιθα δὲ, *confido autem in Domino*, spes, firma fiducia collocatur in Domino, verum quantopere ex altera parte res apostoli versetur in ancipiti et incerto, modo dictum est ; *quoniam et ipse veniam ad vos cito*, ταχέως ἐλεύσομαι, longe plerique sine addito πρὸς ὑμᾶς. Quantum animus eius occupetur rebus Philippensium, ostenditur, quia mittet Timotheum, ut certior reddatur de eorum statu, et hac notitia accepta tamen iterum desiderat et proponit ad eos ipse venire. Curam dixeris et sollicitudinem vere maternam ; memor est constantis studii de se et fidelitatis Philippensium (1,5). Et quamvis conditio eius maneat incerta, tamen ubique ita fere loquitur, ut spes exitus prosperi praevalere videatur.

Quale nunc de ipsis capiat propositum, stilo epistolari tempore praeterito [1] iis scribit v. 25, *necessarium autem existimavi* ἡγησάμην pro tempore lectionis epistolae, pro tempore scriptionis : necessarium duco, *Epaphroditum fratrem, cooperatorem* συνεργὸν qui mecum in opere evangelico laborat, *et commilitonem meum*, cooperatore commilito maior est ; cooperatur enim aliquis in rebus etiam quae periculo carent, commilito autem omnino in periculis (*Thph.*) ; *vestrum autem apostolum*, vestrum ad me nuntium, qui a vobis deputatus et missus est ad me legatus ; adhibetur ἀπόστολος ea notione, qua legitur Ioan. 13,16 et 2 Cor. 8,23. Et hac sola significatione hoc loco dicitur Epaphroditus apostolus vester, uti graeci, *Cai. Est. M.* bene explicant. Neque simul dicendus est cum aliis episcopus, praedicator, doctor (cf. *Theod. Thom. Nat. Iust. Lap. Beelen*) ; nam ea omnia ex contextu excluduntur, frater simpliciter appellatur, ergo non est episcopus, ὑμῶν ἀπόστολον, i. e. a vobis missus vester legatus ; nam Philippensium unus apostolus et doctor est Paulus ipse et insuper, cur ab iis legatus sit ad Paulum, etiam clarius additur alio eius officio memorato, *et ministrum necessitatis meae* λειτουργὸν τῆς χρείας μου, a vobis nominatus est publicus minister, per quem nomine publico necessaria subministratis. Et tamquam publicus minister obsequio apostoli destinatus remanere Romae apud apostolum debuit. Philippenses saltem non videntur eius reditum exspectasse. Nam perpende quam sedulo apostolus rationes conquirat, cur eum mittat, et quomodo omni ex parte eum excusare videatur, et commendare Philippensibus, ne eius reditum aegre ferant. Aliqui putant ipsum Epaphroditum epistolam eis attulisse : at v. 29 nonne obstat ?

1. Ita iam videtur *Chrys.* concipere, quia explanat ἀποστέλλει, et stilum epistolarem agnoscunt *Lightfoot Hpt. Dib.* ; at *Ew.* aoristum ut vere tempus praeteritum (uti 1 Cor. 4, 17) explicandum esse censet.

Inde explicatur, cur tam explicite affirmet v. 25 *necessarium existimavi mittere ad vos ;* Epaphroditus quidem id instanter desiderabat, v. 26, *quoniam quidem omnes vos desiderabat* ἐπιποθῶν ἦν, magno vestro omnium desiderio continuo tenebatur ; ita scribit pro tempore quo lecturi erant epistolam ; et desiderium illud eo magis eum cruciabat, *et moestus erat* καὶ ἀδημονῶν aeger animo, plane conciderat animo, *quod audieratis illum infirmatum ;* ei magnae quoque curae erat, Philippenses esse de sua infirmitate sollicitos et anxios et ea sollicitudine etiam magis accendebatur ardens desiderium revisendi eos ; morbus eius gravis erat v. 27 *nam et infirmatus est usque ad mortem*, non inani quodam rumore Philippenses de eius aegrotatione decepti sunt, verum gravi aegritudine morti proximus laboravit παραπλήσιον θανάτῳ prope ad mortem ; *sed Deus misertus est eius* [1], quod periculum mortis evaserit, peculiari miserentis Dei auxilio adscribit apostolus et animo grato sibi quoque beneficium esse praestitum agnoscit, *verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam habeam ;* ad ceteras lugendi causas nova eaque gravior accessisset, si Epaphroditus, qui tot titulis apostolo erat carus et in ministerio evangelii et in privato obsequio apostolo socius erat utilis, morte fuisset abreptus ; nam « solatium eius et auxilium requirebat apostolus » (*Ambrst*).

Iam cum is convaluisset, non moras traxit apostolus, sed v. 28 *festinantius ergo misi illum* σπουδαιοτέρως maturius quam alias fecissem (*Beelen*), vel potius recordare in sermone vulgari comparativum induisse notionem superlativi (cf. *Blass*, 11,3 ; 44,3), valde sedulo misi illum, *ut viso eo iterum gaudeatis*, postquam scil. de morbo eius in tristitia fuistis v. 26 ; *et ego sine tristitia sim* ἀλυπότερος ὦ, nam cum Epaphroditus tanto desiderio revisendi suos conficeretur, eius commoratio romana pro apostolo potius causa erat alicuius curae ac sollicitudinis, qua cura nunc levatur, si ille iter ad suos instituit ; et si antea fortasse aliquid molestiae creavit apostolo per vehementius illud desiderium relinquendi Romam ac redeundi, nunc apostolus eius profectionem laeto animo prosequi potest. Unum restat, ut Philippenses eius exspectationi satisfaciant v. 29 *excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino* ; iunge : excipite illum in Domino i. e. ut ministrum Christi, qui in opere Domini laborat ; ratio vestrae in eum benevolentiae, qua eum suscipietis et fovetis, debet fundata esse in Domino, cuius ille membrum est et cuius vos estis fideles et devoti.

1. Quaerit *Chrys.* : si dissolvi et esse cum Christo est multo magis melius (1,23) quomodo nunc dicit, eum misericordiam consecutum esse? et respondet inter alia, apostolum multa ex communi audientium sensu proferre, neque ubique philosophari, homines generatim mortem timere etc.

Adnectit monitum generale de honore quo ministri Christi excipi debeant : *et eiusmodi cum honore habetote* καὶ τοὺς τοιούτους, qui tales sunt, qualis est Epaphroditus, hos honore afficite, magni aestimate ; cur monet, ut τοὺς τοιούτους honorent ? num tales non satis honorant ? num alios immerito honorant ? aut adnectitur solum ratio generalis quaedam ? seu novum incitamentum ? Iam quid in eiusmodi viris honorandum sit, exponit v. 30 *quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit*, ad opus Christi promovendum se periculo mortis exposuit ; Christi causam intrepide egit, et stipem quoque afferre apostolo erat pars haud exigua in hoc opere Christi ; talium enim subsidiorum adiumento tum Paulus tum amici eius alacrius curis de victu procurando amotis operi evangelico se totos impendere poterant ; *tradens animam suam*, cum audacia quadam se periculo exposuit ; magna est laus Epaphroditi, qui adeo sedulo munere suo apud apostolum fungi voluit, παραβολευσάμενος[1] τῇ ψυχῇ, audax, temerarius respectu vitae suae ; *ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium*, forti animo captivo apostolo adstitit et servivit, suum ipsius vitae periculum spernens, et ita se gessit, ut impleret quod a Philippensibus ipsi mandatum erat et ut id praestaret quod ipsi absentes apostolo nequibant praestare, τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας, λειτουργία publicum est caritatis officium seu ministerium, quod illi erga Paulum praestare communi ac publico consilio statuerunt ; unde Epaphroditus v. 25 appellatur λειτουργὸς τῆς χρείας μου, ὑστέρημα defectus ex parte Philippensium erat eorum absentia ; hunc defectum eorum nomine et mandato supplevit Epaphroditus. Quare hoc quoque titulo eum laetis animis suscipere et honorare debent ; similem locutionem vide 1 Cor. 16,17.

In quo sit genuinum studium perfectionis 3,1-16.

3,1. *De cetero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.* 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* 3. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu, et non in carne fiduciam habentes,* 4. *quamquam ego habeam confidentiam et in carne; si quis alius videtur confidere in carne, ego magis;* 5. *circumcisus octavo die, ex genere Israel,*

3,1. Τὸ λοιπόν, ἀδελφοί μου, χαίρετε ἐν κυρίῳ. τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. 2. βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν. 3. ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή, οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες καὶ καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες, 4. καίπερ ἐγὼ ἔχων πεποίθησιν καὶ ἐν σαρκί. εἴ τις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκί, ἐγὼ μᾶλλον, 5. περιτομῇ ὀκταήμερος, ἐκ

1. Significat παράβολος hominem audacem, periclitantem (Wagehals), qui facile rem in discrimen committit; inde formatur verbum παραβολεύεσθαι se gerere sicuti παράβολος solet; simili modo ἀσωτεύεσθαι vivere uti ἄσωτος solet, πονηρεύεσθαι uti πονηρός agit etc.

de tribu Beniamin, Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus, 6. *secundum aemulationem persequens ecclesiam Dei, secundum iustitiam quae in lege est, conversatus sine querela.*

7. *Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.* 8. *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,* 9. *et inveniar in illo non habens meam iustitiam quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu, quae ex Deo est iustitia in fide,* 10. *ad cognoscendum illum et virtutem resurrectionis eius et societatem passionum illius, configuratus morti eius;* 11. *si quo modo occurram ad resurrectionem quae est ex mortuis;* 12. *non quod iam acceperim aut iam perfectus sim; sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Iesu.* 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem; quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum,* 14. *ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.* 15. *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit.* 16. *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus et in eadem permaneamus regula.*

γένους Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμείν, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος, 6. κατὰ ζῆλος διώκων τὴν ἐκκλησίαν, κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος.

7. ἀλλὰ ἅτινα ἦν μοι κέρδη, ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν. 8. ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου μου, δι' ὃν τὰ πάντα ἐζημιώθην καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα, ἵνα Χριστὸν κερδήσω, 9. καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, 10. τοῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ καὶ κοινωνίαν παθημάτων αὐτοῦ, συνμορφιζόμενος τῷ θανάτῳ αὐτοῦ, 11. εἴ πως καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν. 12. οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον ἢ ἤδη τετελείωμαι, διώκω δὲ εἰ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήμφθην ὑπὸ Χριστοῦ Ἰησοῦ. 13. Ἀδελφοί, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὔπω λογίζομαι κατειληφέναι· ἓν δέ, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, 14. κατὰ σκοπὸν διώκω εἰς τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 15. ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν, καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει. 16. πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν (κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν).

Quae Philippensibus moerori esse poterant, epistola sua apostolus diluit : de se rebusque suis, de profectu evangelii, de Timotheo et Epaphrodito scripsit ; ergo omni causa tristitiae sublata reliquum est, ut gaudeatis in Domino. Hunc nexum adstruunt et ita τὸ λοιπόν concipiunt *Chrys. Oec. Thph. Nat. Lap. Iust.* Sed bene advertit *Beelen* τὸ λοιπόν plerumque formulam esse ad finem properantis ; vide 2 Cor. 13,13 ; Eph. 6,10. 1 Thess. 4,1, et eo modo vocem *Hpt. Ew. Dib.* explicant. Videtur itaque apostolus voluisse epistolam ad finem perducere, addita gratiarum actione ob donum Philippensium et brevi adhortatione ; eum voluisse finire, etiam inde patet quod ea quae de nuntiis dicenda erant, iam scripsit : talia autem ad calcem epistolae reservari solent. Commendat *gaudete in Domino*, ratio et fons gaudii fidelium quaeratur et hauriatur oportet *in Domino*, in unione cum Deo, in eius doctrina et promissis, in gratiis ac subsidiis ab eo in nos derivatis. Quod hoc loco monet, iterum reassumit verbis iisdem 4,4 ; unde iterum apparet, quae interponuntur esse digressionem quandam, quae ex brevi admonitione ob rei gravitatem in longiorem sermonem producta est.

Primum ad finem properans voluit iis in memoriam revocare de iactationibus iudaizantium ; *eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum* οὐκ ὀκνηρόν, communiter explicatur : me non piget, me non taedet (syrus) ; alii potius significatione ab ὀκνεῖν derivata interpretantur : non dubito, non cunctor eadem vobis scribere ; nam vobis est ἀσφαλές pro vobis est tutum, praebens securitatem, aptum ad vos tutandos. Ipse igitur non veretur eadem denuo scribere, pro illis talis repetitio affert securitatem (syr. ad verbum : quia vobis est monitum, cautio) ; unde sat patet *eadem scribere* non posse intelligi de adhortatione ad gaudendum ; talis admonitio in antecedentibus non continetur, neque in 2, 18 (quod *M.* contendit). Ergo refertur sententia ad subsequentia et fit manifestum, apostolum iam antea talia monita vel tales reprehensiones contra iudaizantes ad eos perscripsisse. Profecto, cum Philippenses a prima die usque nunc apostolo subsidia miserint (cf. 1,5 ; 4,15), mirum esset, si apostolus nunquam ad eos litteras dedisset. Eadem scribere etc. « quae praesens dixi et inculcavi » (cf. *Cai. Est.*), haec acceptio nimis recedit a verborum sensu plano ; nam illa locutione indicatur iam antea de eadem re esse quidpiam scriptum. Non posse id referri ad *gaudete*, patet ; id enim nondum scripserat ; nam 2,18 legitur in alio contextu, neque adhortatio ad gaudium esset pro apostolo ratio sese quasi excusandi, neque res adeo securitatem praebens (ἀσφαλός) pro Philippensibus. Verba autem ita conformantur, ut innuatur periculum, contra quod repetita monitio esset remedium tutum. Ita iam concipit Ephraem : « non cunctor, ait, scribere vobis quod cautionem meretur praeservare vos ab illis qui quotidie veniunt ad vos conturbandos ». Monet autem *Lightfoot*, explanationem verborum esse quaerendam non aliunde, sed in ipsa hac epistola ; unde ait tale periculum exstitisse in dissensionibus, et apostolum de discordiis iam saepius directe et indirecte mentionem fecisse et properantem ad finem voluisse adiungere repetitam admonitionem, sicuti 4,2.3 revera fiat. Proin *eadem* referri ad 1,27 ; 2,2.14. Sed 3,1 dicitur eadem scribere *vobis*, at 4,2 non omnes admonentur, sed solum duae mulieres. Dein valde improbabile est, apostolum scribentem *eadem* in mente habuisse 1,27 et 2,2 et nihilominus eodem quasi momento pergere : *videte canes*. Dicendum esset apostolum suae cogitationis subito oblitum, in media sententia ad plane alienum argumentum transisse et ita scripsisse, ut ex communi loquendi ratione nemo eius mentem assequi posset. Potius supponamus epistolam deperditam.

Bene iam intellexit *ThdM.* eadem scribere referri ad subsequentia ; scribit enim : « hinc incipit illos reprehendere qui erant ex circumcisione » ; at non censet apostolum scripsisse, verum solum « instantissime de his ipsis negotiis eos docuisse » et nunc eadem illis scribere, « eo

quod frequens commonitio cautelam vobis ampliorem praebere videtur ». Magna emphasi et indignatione in medias res ingreditur v. 2 *videte canes, videte malos operarios, videte concisionem ;* eosdem tribus istis designari certum est ; canes vocantur ob impudentiam ; ἴδιον τῶν κυνῶν ἡ ἀναίδεια (*Theod.* sim. *Chrys.*) ; vel vocari canes possunt, quia verbo Dei ab apostolo praedicato oblatrabant, apostolum quasi mordebant, calumniis lacerantes; canes monent antea vocatos esse gentiles, utpote alienos a Deo et Christo, exclusos a familia Dei ; iam in illorum sorte et loco haberi iudaizantes, contra quos apostolus agit etiam in epistola ad Galatas, ad Corinthios, ad Romanos; *videte* i. e. attendite, cavete, *malos operarios* ; cf. 2 Cor. 11,13, operantur quidem et praedicant et asseclas acquirere student, at non ad rem Christi et evangelium promovendum, sed ad pervertendum. Unde 2 Cor. 11,13 vocantur pseudoapostoli, operarii subdoli.

Et in qua re praesertim sese malos operarios exhibeant, videtur declarari tertia compellatione *videte concisionem :* qui Galatis ritus iudaicos et circumcisionem persuadere conabantur, de his scripsit : utinam et abscindantur, et « in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet » (Gal. 5,6.12) ; unde eiusmodi iudaizantes non sacrum aliquem ritum, antiquitate consecratum, praedicant vel promovere student, sed meram aliquam et plane inutilem carnis concisionem, quam qui assumunt, eo ipso evacuantur a Christo, a gratia excidunt (Gal. 5,4). Quare tales iudaizantes nullo modo iam ad populum Dei pertinent, iam non circumcisio nominandi sunt, sed concisio, laceratio quaedam carnis seu incisio, qualis lege ipsa prohibetur (Lev. 21,5) et solum in ritibus gentilium reperitur (3 Reg. 18,28). Circumcisio autem sacra quaedam est designatio, signum foederis inter Deum et populum suum (Gen. 17,11). Illos vero alienos esse a vero populo Dei, ostendit apostolus v. 3 *nos enim sumus circumcisio*, sacrum hoc nomen iam pertinet ad Christifideles, in quibus scil. spiritualis eius nominis significatio vere habetur : *qui spiritu servimus Deo ;* sed οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες est lectio longe plurimorum ; iam Augustinus testatur, etiam plures codices latinos habere spiritui Dei, graecos autem codices omnes aut paene omnes (de Trinit. 1,13) ; cultus noster regitur spiritu Dei ; spiritu Dei acti et impulsi verum exercemus cultum ; vide Ioan. 4,24 in spiritu et veritate oportet adorare. In qua lectione λατρεύειν absolute dicitur de colendo Deo, uti Luc. 2,37 et Act. 26,7 et Hebr. 9,9 (*Beelen*). Iam in vetere foedere sermo est de circumcisione cordis (Lev. 26,41 ; Deut. 10,16 ; 30,6) et admonentur : circumcidimini Domino et auferte praeputia cordium vestrorum, viri Iuda (Ier. 4,4 ; 9,26) ; unde apostolus iam intulit veram circumcisionem esse circumcisionem cordis in spiritu

(Rom. 2,29) ; ergo ex ipsa indole in vetere foedere iam expressa de circumcisione merito infert, eos tandem qui spiritu Dei cultum exercent esse circumcisionem (i. e. circumcisos) veri nominis.

Lectionem Θεῷ tuentur praeter aliquos codices *Chrys. Orig.* et versiones syr. go. vul. garm. aeth. De varietate codicum latinorum affert Augustinus has lectiones : qui spiritui Dei servimus : qui spiritu Deo servimus : qui spiritui Deo servimus. Ambrosius tenet lectionem qui spiritui Dei servimus, provocans ad graecam lectionem et utitur hoc textu ad probandam divinitatem Spiritus sancti (de Spir. s. 2,6). Si bene consideratur, in subsequentibus efferri tamquam indolem propriam iudaizantium confidere ἐν σαρκί, in carne confidere, quam maxime commendatur in oppositione ad ἐν σαρκί lectio vulg. et aliorum : qui *spiritu* servimus Deo, ita ut spiritu πνεύματι dicatur per modum instrumenti, animo scil. gratia Spiritus sancti imbuto cultum exhibeamus Deo ; eo sensu quo alias saepe πνεῦμα apud apostolum legitur. Hanc oppositionem ad carnem etiam *Chrys.* innuit : si circumcisio quaerenda est, inquit, apud nos eam invenietis, οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, τουτέστιν, οἱ πνευματικῶς λατρεύοντες.

Alterum quo patet solis Christi fidelibus convenire nomina illa quibus populus Dei designetur, est *et gloriamur in Christo Iesu* καὶ καυχώμενοι istud gloriari dicitur in oppositione ad confidere in carne καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες, indicatur ergo : nos totam spem salutis in uno Christo laeti collocamus, de eo unico auctore et largitore salutis, gratiarum gloriamur, iam nihil sperantes de ritibus iudaicis, nihil de iis quae apud Iudaeos et iudaizantes magni aestimantur. Quae omnia, uti ex sequentibus quoque elucet, nomine carnis designantur, utpote ritus res exteriores spectantes vel quae e carnali progenie derivantur. Populus enim Dei in vetere foedere apud prophetas is est, cui tandem exsurget David rex, et pastor bonus, qui stat in signum populorum, quem gentes deprecabuntur (cf. Is. 9,7 ; 11,10. Ier. 23,5 ; 33,14. Ez. 34,23). Hinc Messiae committitur regnum Dei, ei subduntur gentes omnes, ille affert pacem et salutem (cf. Os. 2,19. Am. 9,11 ; Mich. 5,4. Dan. 7,13 etc.). Si autem ille talis est, tota spes, seu gloriatio de opere Dei perficiendo, de salute et pace consequenda in eo est collocanda, *et non in carne fiduciam habentes*, in rebus carnalibus, in observantiis, quae solum ad tempus datae et praescriptae erant, donec veniret plenitudo temporis et mysterium vocationis gentium palam fieret (cf. Gal. 4,4. Eph. 1,9; 2,13; 3,5. Hebr. 9,8 seq.). Uti hic apostolus fidelibus nomen sacrum circumcisionis vindicat, ita alias ostendit solum fideles esse filios Abraham, esse Israel Dei, esse hereditatem Dei et Dei heredes (cf. Rom. 8,17. Gal. 3,7.18,29 ; 4,6.30; 6,16, Eph. 1,14 ; 2,19 etc.).

Repetitione illa *videte* per se posse designari tres ordines hominum

patet, sed aeque bene magna cum emphasi eosdem posse ita efferri et ex varia sua malitia designari certum est. Veteres generatim promiscue loquuntur de Iudaeis, iudaizantibus, pseudoapostolis. Aliqui recentiores canes nominari volunt vel gentiles, vel ethnico-christianos lascive viventes, malos operarios eos qui doctrinam Christi simul cum caerimoniis legalibus vel cum falsa philosophia proponere et commiscere conentur, concisionem autem Iudaeos incredulos. At in subsequentibus apostolus nullam affert explicationem de tribus ordinibus distinctis, neque ullo modo monet, quomodo cavendi sunt. Sed a v. 3 et deinceps unum illud de *concisione* assumit et ea refert de quibus iudaizantes gloriari solebant. Et si cum aliquibus putaveris, 3,18.19 describi *canes* (quod ipsum valde dubium est), nihil tamen explicatur de malis operariis. Ergo non de tribus hominum generibus fit sermo, sed de uno ordine triplici modo designato. Vox contumeliosa est canis; ita dicitur scortum virile (Deut. 23,19; Apoc. 22,15) et eo probro graeci et Iudaei inter se utebantur; propter legalem impuritatem ethnici appellabantur canes a Iudaeis (cf. Matth. 15,26. Marc. 7,27), et eodem probro graeci contemptum et abominationem adversus Iudaeos exprimebant (cf. *Lightfoot*), ipsum canis nomen apud graecos pro impudente sumitur. Unde apostolus opprobrium quo iudaizantes alienigenas afficiunt eis reddit, eos ait apud Deum in ethnicorum loco haberi, nihil sacri iam gerere, sed solum profanam quandam circumferre mutilationem probrosam, et mala et perversa perpetrare. Ob vocem κατατομή (ergo ad perditionem) mavult *Dib.* perturbatores Iudaeos intelligere.

Philippenses utique iis non possent confidere rebus carnalibus, quae iudaizantes tanti aestimant. At nunc apostolus suam rem quasi secernit a Philippensibus et respiciens ad gloriationem iudaizantium affirmat, se non loqui contra carnalia illa, quia sibi desint et quia talem materiam gloriandi non habeat; « solent enim saepe homines ea contemnere in aliis, quae ipsi nesciunt aut non habent » (*Est.*); at ego habeo quod in aliis contemno et possem multo ampliorem illis materiam gloriandi proferre; v. 4 *quamquam ego habeam confidentiam et in carne*, nos in carne non habemus fiduciam, quamquam ego etiam in carne habeo materiam confidentiae, uti *Cai. Est. Iust.* explicant confidentiam pro materia confidentiae seu gloriationis, quae cogitatio optime congruit menti apostoli, qui nunc non habet confidentiam et in carne, sed qui potest eiusmodi titulos contra iudaizantes proferre; nam *si quis alius videtur confidere in carne*, δοκεῖ, si quis censetur seu existimatur habere cur confidat in carne, *ego magis* habeo cur confidam in carne prae aliis. Dicit *si quis alius*, ostendens necessitatem et illorum causa haec a se dici; attende quomodo in arguendo vitet odium, dum non nominatim arguit

(*Chrys.*). Sciant ergo iudaizantes me non ex invidia hisce detrahere quasi iis inferior sim; sed sciant me hoc facere studio veritatis, fidei et salutis, ut a carne omnes traducam ad spiritum (*Lap.*). Sed quaerit *Est.*, quomodo dicere possit *ego magis*, cum essent inter Iudaeos nobiliores Paulo, ex tribu Iuda, ex genere regio, sacerdotali? Apostolus loquitur de iudaizantibus quos novit apud Philippenses.

Iam enumerat carnalia illa vel materiam confidendi in carne v. 5 *circumcisus octavo die* περιτομῇ ὀκταήμερος quoad circumcisionem octiduus, die a lege statuto (Gen. 17,12), ex antiquo genere Deo sacro, *ex genere Israel*, non ex aliquo parente proselyta, *de tribu Beniamin*, quae tribus tam regiae tribui quam sacerdotali perpetuo manserat unita, cum ceterae tribus et a legitimo suo rege et a vera religione defecissent (*Beelen*); in ea tribu erat Ierusalem, civitas regia et divini cultus (*Cai.*); Beniamin filius ex matre praeprimis dilecta a Iacob patriarcha natus erat, non ex matre serva; *Hebraeus ex Hebraeis*, ex familia in qua praeter strictam observantiam consuetudinum iudaicarum etiam servata sit ipsa lingua hebraea; ipse loquitur hebraice et maiores non permixti cum alienigenis etiam usum linguae sacrae retinuerunt. Ita recte explicant *Chrys. Oec. Thph. Nat. Est. Hpt.*: iam Act. 6,1 Hebraei ab Hellenistis, Iudaeis graeca lingua utentibus, distinguuntur; alias quoque ἑβραϊκός, ἑβραΐς de lingua hebraea dicitur (Luc. 23, 38. Ioan. 5,2; 19,20. Act. 21,40; 22,2). Intelligi dialectum aramaicam illa aetate in usu positam, qua Paulus revera ad plebem locutus erat, per se patet, non ipsam linguam veterem, quamvis qui aramaice loquebantur facilius quoque linguam proprie hebraeam addiscerent. Paulus eruditus ad pedes Gamaliel sine dubio in schola rabbinica etiam linguam veterem sacram didicerat.

Insuper gloriari potest quod fuerit *secundum legem Pharisaeus*, pharisaei quam maxime insistebant strictae observationi legis et propter hanc apud populum venerationi erant. Et inter ipsos hos zelatores legis, ipse Paulus eminebat zelo singulari, v. 6 *secundum aemulationem* κατὰ ζῆλος quod attinet zelum pro lege, *persequens ecclesiam Dei:* sensus non mutatur, si cum editionibus criticis omittitur Θεοῦ, zelum pro lege manifestavit persecutione haud mediocri (Act. 8,3 et 9,1), qua apud Iudaeos maximam sibi acquisivit aestimationem; et zelum pro lege etiam demonstravit et exhibuit integritate vitae, *secundum iustitiam quae in lege est conversatus sine querela*, ratione habita iustitiae legalis i. e. praeceptorum et observantiarum γενόμενος ἄμεμπτος effectus irreprehensibilis; apud omnes notus eram accurata legis observatione. Natura itaque et origine ipsa, dein sua ipsius industria, zelo legis, vitae incolumitate (nota ter κατὰ) ea possidebat, quibus prae multis aliis Iudaeis eminebat et fortissimus defensor iudaismi existimari debuit;

vide, similia de se narrat 2 Cor. 11,22 et Gal. 1,13.14 et Rom. 11,1.

Apostolus multa habuit emolumenta, quibus apud Iudaeos ei magna conciliabatur auctoritas et aestimatio, v. 7 *sed quae* ἅτινα quaecumque *mihi fuerunt lucra*, quae utilitatem et honorem mihi attulerunt, *haec arbitratus sum* ἥγημαι arbitratus sum et arbitror *propter Christum detrimenta*, ζημίαν damnum, iacturam. Res illas et conditiones non solum arbitratur indifferentes, nihil verae utilitatis afferentes, verum eas habet tamquam vere noxias, ita ut Christi esse non posset, si quid lucri vel emolumenti in iis poneret. Et pro vehementia affectus auget sermonem (ipsis particulis ἀλλὰ μενοῦνγε sed immo etiam) et non solum illa, verum omnia iam damnosa et noxia aestimat v. 8 *verumtamen existimo omnia detrimentum esse* πάντα scil. quaecumque pertinent ad illud confidere in carne, cuncta commoda quae ei obvenire possunt honoribus oblatis, *propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei* διὰ τὸ ὑπερέχον propter eminentiam scientiae : Christum nosse didicit et haec cognitio Christi tantae excellentiae est, ut longissime cuncta terrena emolumenta superet et excedat. Quaecumque igitur eum impedire aut retrahere possent a Christo, ab eius cognitione et amore, haec censet noxia et damnosa ; tota spes salutis in uno Christo collocatur; extra ipsum nihil reperitur nisi damnum.

Et non solum ita cogitat apostolus, verum ipsa re omnia lucra et emolumenta terrena perdidit propter Christum, *propter quem omnia detrimentum feci* ἐζημιώθην, eius causa omnium illorum lucrorum iactura affectus sum, iacturam feci omnium illorum; nam qui potuit esse antea apud contribules suos in honore et dignitate, iam a Iudaeis odio habetur, eum plagis affecerunt, vitae eius insidiantur, in captivitatem eum tradiderunt (cf. Act. 13,50; 14,5.18 ; 20,3; 22,22 etc. 2 Cor. 11,24. 1 Thess. 2,15 etc.) Iterum auget sermonem : non solum iacturam feci, verum *et arbitror (ut) stercora, ut Christum lucrifaciam* καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα existimo stercora (Suidas, veteres medici, alii scriptores, Iosephus, Bell. iud. 5,13,7 explicant de excrementis; cf. *Wetsten.*). Sed σκύβαλον in alia quoque notione reperitur variis in locis in Anthologia graeca et etiam apud Suidam, scil. de quisquiliis ciborum; ita legitur ὡς ἀποδειπνιδίου γευσόμενος σκυβάλου, vel δεῖπνον συχνὸν ἀπὸ σκυβάλων, et Suidas explicat τὸ τοῖς κυσὶ βαλλόμενον κυσίβαλόν τι ὄν. Haec notio hoc loco certe non est inepta. Iudaei exspectabant fore ut recumbant cum patriarchis in regno Dei in convivio (cf. Matth. 8,11) et gentes considerabant et nominabant canes; iam apostolus aliam iis conditionem proponit : iudaizantes appellat canes, et quae iudaizantes adeo magni aestimant, privilegia legalia, iam non sunt nisi quisquiliae ciborum, nutrimenta putrida, foeda (ita *Lightfoot*). En qualia iam sint in opinione apostoli « paternae

traditiones » (Gal. 1,14; *Vincent*). Quod apostolus Christi amore olim fecit, hoc etiamnunc mente et sententia retinet, imo contemptum plurimum auxit contra omnia quae possent eum impedire a Christo; ita animo affectus est, *ut Christum lucrifaciam ;* in id omnia directa sunt et diriguntur, ut Christus fiat et sit lucrum eius.

Et quomodo Christum lucrifaciat, exponitur v. 9 *et inveniar in illo*, ut sim in illo (*Est. Iust. Nat.* cf. Gal. 2,17 ; 2 Petr. 3,14) *non habens meam iustitiam quae ex lege est*, quae sit ex operibus legis et solis meis viribus sit acquisita; talem non habet neque habere potest, vel est solum iustitia existimata, *sed illam quae ex fide est Christi Iesu* διὰ πίστεως Χριστοῦ, quae per fidem in Christum, seu mediante fide acquiritur, hanc iustitiam habens est in Christo; huius autem iustitiae largitor est Deus et eam largitur propter fidem : *quae ex Deo est iustitia in fide* ἐπὶ τῇ πίστει propter fidem, ita ut fides sit quasi conditio et suppositum et causa, cur iustitia detur; fides est fundamentum iustitiae; iustitiam ex Deo alius simpliciter vocat iustitiam Dei, scil. cuius auctor et largitor est Deus (cf. Rom. 1,17; 3,21.22; 10,3). Explicite hoc loco apostolus loquitur contra illos Iudaeos qui iustitiam ex operibus legis unice sectantur, qui propterea suam quaerentes statuere iustitiam iustitiae Dei non sunt subiecti et hanc iustitiam Dei ignorant (cf. Rom. 10,3). Falsam illam iustitiam designat ex duobus : vocat eam meam, τὴν ἰδίαν (Rom. 10,3) et eam affirmat esse ex lege, gigni ex legis operibus. Huic opponitur vera iustitia, quae est ex Deo, donum Dei et ex parte hominis supponit fidem : unde iustitia Dei per fidem, super fidem.

Sequitur in v. 10 altera sententia finalis graeco infinitivo expressa τοῦ γνῶναι, *ad cognoscendum*, quaeritur quo referatur; graeci et latini plerumque videntur sententiam considerare explicationem et descriptionem praecedentis *in fide*, iustitiam esse ex fide, qua cognoscatur Christus. Sed iam *Est.* existimavit hanc partem altius esse referendam, neque probabile videtur sententiam finalem adiungi ad determinationem aliquam secundariam. Quare *Est.* sententiam finalem facit dependentem a sententia principali : se omnia detrimentum fecisse et arbitrari ut stercora. Quae tamen coniunctio immediata inde evadit improbabilis, quia iam antecessit prior sententia finalis, ut Christum lucrifaciam; quare vix poterit τοῦ γνῶναι immediate referri ad v. 8; nec id opus est; nam altera haec sententia finalis τοῦ γνῶναι potest dependere a priore, uti iam *Cai.* indicat scribens : inveniar iustus ex fide ad cognoscendum. Apte monet *Est.* : « docet et pluribus verbis inculcat apostolus rationem et fructum deserti a se et contempti Iudaismi, quodque breviter dixerat et obscure *propter eminentem scientiam Iesu Christi*, nunc partibus quibusdam explicat, ut sit sensus : ut cognoscam illum ». Habemus itaque

ad v. 8 priorem sententiam finalem : ut Christum lucrifaciam, ut inveniar in illo ; ad hanc sententiam finalem adiungitur alia scil. τοῦ γνῶναι etc. ad quod ἐπὶ τῇ πίστει trahi potest.

Finis itaque Christi a nobis lucrifacti et inventi assignatur triplex in v. 10 et primo quidem *ad cognoscendum illum* scil. duce fide quis et quantus sit, ut intimam eius cognitionem, Dei et hominis, acquiramus, ut crescamus in hac cognitione, bona cuncta et thesauros sapientiae in uno Christo contineri (cf. Eph. 1,21 ; 3,18.19). Alterum est *et virtutem resurrectionis eius*, quae pars varie concipitur ; « quae est virtus resurrectionis ? quoniam pro omnibus facta est ut et omnes similem adsequantur resurrectionem » (*ThdM.*) ; virtutem resurrectionis eius scopum τὸν σκοπόν resurrectionis appellavit (*Theod.*) ; potentiam scil. ad resuscitandos omnes secundum corpus, ad vivificandas animas, ad instauranda omnia coelestia et terrestria (*Cai.*). Alii explicationis gratia recurrunt ad Rom. 6,4, nos enim ad similitudinem eius ad novam vitam in baptismo regenerati in hac novitate vitae ambulare debemus (*Est. Lap.*), ita ut in vita iustorum vis et efficacia resurrectionis eius sit conspicua, uti dicitur Rom. 4,25 resurrexit propter iustificationem nostram (*Beelen*). At valde dubium est rectene ad explicandum nostrum textum recurri possit ad sententiam in Rom. 6,4 expressam ; nostro enim loco prius mentio fit resurrectionis, dein sermo infertur de passionum societate et configuratione cum morte eius. At Rom. 6,4 in mortem Christi baptizamur, dein ad similitudinem resurrectionis Christi in vitae novitate ambulamus. Unde cernitur ordinem in utroque loco non esse eundem, sed plane diversum.

Quare τὴν δύναμιν etc. intime iungendum erit cum antecedente, ut referatur ad ipsam illam cognitionem Christi per fidem, quatenus virtute resurrectionis Christus nunc vivit in gloria, vivit in vita immortali et coelesti ; Christum in gloria constitutum debemus in dies magis cognoscere, Christum in gloria constitutum tandem debemus lucrifacere et inveniri cum illo coniuncti, id quod in v. 11 clare indicatur ; cf. 1,21 mihi vivere Christus est et mori lucrum — dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius. Iam quae est via, ut tandem Christum in virtute resurrectionis constitutum possideamus ? vel quid requiritur, ut habeamus plenam Christi in gloria viventis cognitionem pro nobis practicam, frugiferam pro nostra vita terrestri ? Ad hoc respondetur membro sequenti ; *et societatem passionum eius*, vide Rom. 8,17 coheredes Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur ; nam nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam (Luc. 24,26) ? haec est via ad Christum in gloria viventem ; antequam ad eum in gloria regnantem virtute resurrectionis pertingamus, imaginem mortis eius exprimere oportet. *configuratus morti eius*, συμμορφιζόμενος dum conformis fio morti eius ;

cf. 1 Cor. 15,31 quotidie morior, 2 Cor. 4,10 semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Pendet participium συμμορφιζόμενος a subiecto quod intelligitur in infinitivo τοῦ γνῶναι, quasi apostolus scripsisset ἵνα γνῶ, est anacoluthon scriptoribus tam sacris quam profanis non infrequens (*Beelen*).

Hanc conformitatem declarant afflictiones et adversa; cum persecutionem patimur et affligimur, participes reddimur passionum Christi (*Thph.*); vexationes enim et calamitates reddunt imaginem quandam mortis (*Chrys.*). Haec alias vocat apostolus mortem : mundo ego crucifixus sum (Gal. 6,14), is qui foris est noster homo ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος corrumpitur (2 Cor. 4,16). Hanc autem societatem passionum Christi et hanc conformationem cum morte eius cognoscere, i. e. experiri, experimentaliter cognoscere, in se suscipere gestit apostolus, v. 11 *si quo modo occurram ad resurrectionem quae est ex mortuis*, εἴπως καταντήσω, si forte pertingam; hic est terminus, ad quem singula a v. 7 seq. tendunt et quo tandem perfectum attingitur lucrum Christi in gloriosa resurrectione corporis, in qua perfecta habetur beatitudo hominis quoad corpus et animam, quando rapientur obviam Christo, ut semper cum eo sint (1 Thess. 4,16). Et *Dam.* advertit de εἴπως καταντήσω : « ostendit qui donum cognitionis et passionum societatem acceperunt, multa vigilantia opus habere, ne amittant quae acceperunt ». Graviter monent veteres quam humiliter apostolus de se sentiat; « credidi in eum et me esse socium passionum eius configuratumque morti eius; verumtamen post haec omnia nondum penitus confido; quod alibi dixit : qui se existimat stare, videat ne cadat! et rursus : timeo ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » (*Chrys.*); cf. 1 Cor. 9,27; 10,12. Apostolus in se ipso ostendit quod monuit : cum metu et tremore vestram salutem operamini (2,12). Nam loquens veluti dubitans *si quo modo*, non solum insinuat difficultatem perveniendi ad eam beatitudinem, verum etiam securitatem et certitudinem consequendae salutis excludit, uti interpretes latini adnotant.

Novam explicationem tentaminis causa proposuit *Ew.*; monet singularem ibi cerni loquendi modum; apostolum enim si loquatur de futura generali resurrectione nunquam adhibere neque ἐξανάστασις (vel ἐξαναστῆναι) neque ἐκ νεκρῶν, sed tantum νεκρῶν; porro uno illo loco, in quo legatur ἀναστῆναι ἐκ τῶν νεκρῶν Eph. 5,14, sententiam efferri notione translata. Quare nostro quoque loco explicandum esse : si quo modo pertingam ad spiritualem ἐξανάστασιν exsurrectionem (illam quae fiat) ex spiritualiter mortuis; apostolum debere fieri « viventem ex mortuis » cf. Rom. 6,13 ὡσεὶ ἐκ νεκρῶν ζῶντες. Verum apostolum hoc loco nil aliud enuntiare, nisi : si quo modo pertingam ad spiritualem resurrectionem, neutiquam cogitari potest. Nam spiritualis illa resurrectio

iam fit secundum apostolum in baptismo ; vide Rom. 6,3-6 ; Col. 3,1. De prima hac iustificatione autem hoc loco sermo esse nequit; talis enim explicatio neque ad antecedentia consentanea est, in quibus iam fructus et effectus novae vitae delineantur, neque ad sequentia, in quibus statim enuntiat, se hanc resurrectionem nondum accepisse, verum se magno conatu ad eam tendere et tandem describitur tamquam bravium supernae vocationis. De locutione ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν vide Luc. 20,35 ; Act. 4,2 ; 1 Petr. 1,3 ; in quibus locis sermo est de resurrectione iustorum et Christi.

Praeclara de se dixerat : omnia existimo detrimenta esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, propter quem omnia abieci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam et inveniar in illo (v. 8.9) ; affirmaverat se habere veram iustitiam quae valeat apud Deum ; nunc autem praecavet, ne verba intelligantur ac si in re acquisita iam plane acquiescendum et sistendum esset ; v. 12 *non quod iam acceperim* οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, elliptice dicitur (cf. 2 Thess. 3,9. 2 Cor. 1,24 ; 3,5) i. e. non dico quod iam accepi, in hoc et in sequentibus non ponitur obiectum i. e. non ponitur res seu id quod nondum accepit ; indeterminate loquitur apostolus indicans multa adhuc deesse, conditionem terrestrem semper esse imperfectam, nunquam esse sistendum, quiescendum ; semper plura adhuc esse quae merito appetantur ; et talis rerum status optime locutione illa indeterminata designatur ; *aut iam perfectus sim*, nullo modo iis quae de se dixit innuere vult se iam virum esse τέλειον, in quo quasi nihil perfectionis desideretur aut desit. Nonne facile quis opinari posset satis perfectionis superque describi in v. 8.9 et qui talia praestiterit iam ad τελείωσιν pervenisse ?

Quam longe absit apostolus a cogitatione, se peregisse et absolvisse rem suam seu pensum laboris sibi a Christo attributum, declarat : *sequor autem*, διώκω δέ, serio studeo, vel cursu contendo, *si quo modo comprehendam*, εἰ καὶ καταλάβω, si etiam comprehendam, declaratur et modestia apostoli et desiderium eius ; illud καί videtur referri ad sententiam causalem, *in quo et comprehensus sum a Christo*, ἐφ' ᾧ quia (cf. 2 Cor. 5,4 ubi vulg ἐφ' ᾧ rite explicat : eo quod), quia apostolus iam a Christo comprehensus est (a Christo scil. iam est captus, captus in conversione et fortiter retentus), ideo ipse quoque serio studet, si etiam comprehendat ; scil. si tandem perveniat ut ipse quoque plene et perfecte apprehendat Christum. Sed eo ipso quia Christus iam forti manu eum apprehendit, ei datur spes et subsidium, ut ipse quoque ad terminum perveniat, ut apprehendat quaecumque tandem apprehendenda sunt. Verum ex gratia a Christo sibi facta apostolus infert conclusionem, sibi omni vi enitendum esse, ut fideliter huic gratiae respondeat ; quare eodem utitur verbo καταλάβω, κατελήμφθην. Admitti potest etiam altera significatio ἐφ' ᾧ *ob quod*, *propter quod* et comprehensus sum, uti *Oec.*

indicat, verum prior (*quia*) videtur magis ex usu apostoli (Rom. 5,12. 2 Cor. 5,4). Unde clare indicat, postquam Christum ipsum apprehenderit, etiam sibi ipsi adlaborandum esse, neque sufficere ad ultimum terminum, ut semel a Christo sit comprehensus. Plerique merito explicant κατελήμφθην de conversione Pauli, in qua Christus eum quasi manu iniecta apprehensum ad se adduxit. Ad ipsam vocem haec acceptio magis congruit, quam illa de praedestinatione, electione, vocatione. Bene *Theod.* dicit : ipse me prior comprehendens reti illigavit, καταλαβὼν ἐσαγήνευσεν, fugiebam enim illum et valde aversabar; ipse autem apprehendit fugientem.

Cur autem apostolus adeo explicite efferat, se nondum accepisse, sed studiose eniti, ut comprehendat, ratio nobis panditur ipsa hac ad Philippenses allocutione cum repetitione et ulteriore explicatione eiusdem rei et argumenti; v. 13 *·fratres, ego me non arbitror comprehendisse*, ἐγὼ ἐμαυτόν cum emphasi, quasi dicat : ego pro mea parte, ego de me ipso quidem ita iudico ; et est simul pathetica superioris declarationis confirmatio (*Beelen*). Recte explicat *Theod.* : haec dicit iis qui de suis recte factis gloriabantur, eorum fastum deprimens, et *Chrys.* : quodsi Paulus adhuc non comprehendit, neque securus est de resurrectione ac futuris rebus, multo igitur minus illis, qui nec minimam partem illius benafactorum assecuti fuerant, id faciendum erat ». Philippenses videt contentos esse quod fidem susceperint et vitam agant evangelio non indignam ; verum deficere in iis studium progrediendi; aliquam in iis deprehendit socordiam, ad quam excutiendam iam monuerat 2,12 et nunc suo ipsius exemplo et suo de se iudicio eos edocet : ego iam tot annos apostolus, tot pro Christo perfunctus laboribus et periculis (quorum enumerationem sat longam legere est 2 Cor. 11,23-29), ego quidem quod me spectat non indico me comprehendisse. Etiam ex sequentibus sat clare elucet apostolum velle calcaria addere torpescentibus. Hunc esse scopum apostoli, generatim veteres et recentiores agnoscunt Attamen Augustinus verba ita concipit quasi apostolus velit reprimere nimiam Philippensium de se ipso aestimationem : multa adhuc video mihi deesse; nolite, inquit, in me falli : plus me ipse novi, quam vos (serm. 169, 13; *M.* 38,925). Quae acceptio neque antecedentibus neque sequentibus consentanea est.

Loquitur iterum indefinite οὐ λογίζομαι κατειληφέναι, rem peregisse seu absolvisse ; *unum autem*, scil. agere contendo, in hoc uno totus sum : *quae quidem retro sunt obliviscens*, ex metaphora in cursu singula depromit apostolus, uti bene scribit *Lap.* : sicut stadiodromi, dum currunt in stadio, non respectant quantum spatii transmiserint, sed quantum supersit ad metam, eoque toto conatu et impetu ac cursu recto feruntur, ita et

ego praeteriti cursus mei obliviscor, totus in metam feror et non respecto quid egerim, sed quid supersit agendum ». Cum sermo sit de cursu ad metam, ad bravium (v. 14), ea quae retro sunt, non possunt intelligi de peccatis praeteritis neque de iis quae antea in iudaismo lucra reputaverat, sed solum de operibus laboribusque in fide Christi praestitis eousque. Et notat *Chrys.* apostolum non dicere : « non cogito, non memini, sed *obliviscens*, » ita nos attentiores reddens ; tunc enim valde vehementes sumus, σφοδροί, cum omnem animi impetum in id quod restat coniecimus, cum praeterita oblivioni mandavimus. » Et revera recordatio meritorum iam acquisitorum, laborum susceptorum et felici successu cum fructu peractorum facile posset aliquem reddere vel socordem vel superbum, quod utrumque longe abest a studio perfectionis christianae. In modo metaphorico loquendi τὰ μὲν ὀπίσω sunt spatium eousque ab eo emensum. Nemo autem medio in stadio sistit.

Pergitur in metaphora cursus : *ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum* τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, quae a fronte sunt (opposita a tergo), ad ea corporis inclinatione ac protensione enititur, ἐπεκτεινόμενος qui ita contendit ad metam, ut annisu ac protensione corporis pedum celeritatem antevertat ; significatur quasi conatus, ut antequam corpore quis perveniat ad metam, iam manibus bravium captare videatur (*Iust.*). Voce graeca cursor depingitur manibus colloque protensis et quasi praecipite corpore ad scopum ruens, qua imagine summum studium, summa sollicitudo in re salutis exprimitur (*Beelen*). Designatur studium continuum et indefessum praestandi quae in praesenti agere oportet simul cum magno desiderio proficiendi. Id unice spectat et spectandum esse docet, quod adhuc deest, quod adhuc attingi debet. Et in isto conatu et studio non currit in incertum (cf. 1. Cor. 9,26), sed *ad destinatum persequor*, κατὰ σκοπὸν διώκω versus scopum seu metam celeriter curro, eo animum oculosque intendens. Istud διώκειν includit studium illud quod in v. 10 descripsit, crescere scil. in cognitione Christi, in tolerantia laborum et afflictionum Christi causa, vel istud διώκειν idem est, quod in alia occasione apostolus de exercitio virtutum professus est : castigo corpus meum et in servitutem redigo (1 Cor. 9,27).

Meta autem ad quam cursus dirigitur est *ad bravium supernae vocationis Dei*, βραβεῖον praemium est quod victoribus in certaminibus gymnicis datur ; vide 1 Cor. 9,24 ; verum iis qui in stadio Christi currunt, proponitur praemium coeleste quod Deus distribuit, *supernae vocationis* τῆς ἄνω κλήσεως, vide Hebr. 3,1 κλήσεως ἐπουρανίου ; dicitur vocatio superna, coelestis, non quia coelitus ad nos pervenit — tunc enim certe legeretur ἄνωθεν — sed quia est vocatio ad vitam in coelo agendam ; unde tali genitivo ipsum praemium determinatur tamquam propositum

in vocatione Dei coelesti quae ipsa vocatio Dei suam habet rationem et quasi fundamentum *in Christo Iesu*, quatenus meritis Christi omnis gratia nobis concessa innititur; vocatio Dei autem prima quasi est gratia et fundamentum omnium. Vocatio Dei autem, sicut omnis gratia supernaturalis, tendit ad vitam coelestem tamquam ad suum terminum; unde merito vocatio superna seu coelestis dicitur. Nota quoties apostolus vitam fidelium comparat laboribus et certaminibus cursorum, athletarum, militum; cf. 1 Cor. 9,24. Gal. 2,2; 5,7. Eph. 6,13 sq. 1 Thess. 5,8; 1 Tim. 6,12; 2 Tim. 2, 5; 4,7. Hebr. 12,1. — Veteres, uti Tertullianus, Augustinus, Ambrst., pro bravio legunt palmam.

Ad bravium seu praemium vocationis coelestis pertingere apostolus magna contentione laborat. Iuvat itaque hoc loco advertere, quoties apostolus mentionem faciat meritorum et operum ad vitam aeternam et mercedem coelestem accipiendam: Deus reddet uniquique secundum opera eius; et reddet vitam aeternam iis qui secundum perseverantiam (καθ' ὑπομονήν) boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt (Rom. 2,7); si compatimur cum Christo, et conglorificabimur (Rom. 8,17); omnes stabimus ante tribunal Christi et unusquisque pro se rationem reddet Deo (Rom. 14,10,12); si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet (1 Cor. 3,14); id quod in praesenti est momentaneum et leve, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur (2 Cor. 4,17); omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum (2 Cor. 5,10); qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet (2 Cor. 9,6) quae seminaverit homo, haec et metet: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam; bonum facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes (Gal. 6,8,9); quodcumque fecerit homo, hoc recipiet a Domino (Eph. 6,8); quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis (Col. 3,23); mandat apostolus, ut divites fiant in bonis operibus et thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum (1 Tim. 6,19); si sustinebimus, et conregnabimus; reddet Dominus coronam iustitiae iis qui diligunt adventum eius (2 Tim. 2,11. 12 et 1,8); nolite ergo amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem (μισθαποδοσίαν, Hebr. 10,35). — Ita spe mercedis animos fidelium confortat in variis suis epistolis.

Patefactis itaque animi sui sensibus et studiis concludit apostolus breviter et nervose v. 15 ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν *quicumque ergo perfecti, hoc sentiamus*, hoc i. e. eam mentem et sensum et sententiam induere oportet, prout v. 11-14 propositum est. Supra v. 12 negavit

apostolus se esse perfectum, quomodo nunc loquitur et monet : quotquot perfecti, hoc sentiamus ? oxymorum videtur proponere ; ita concipit *Chrys.* : quid hoc est ? nimirum quae retro sunt obliviscenda sunt, ita ut perfecti hominis sit, non se existimare perfectum ; quomodo igitur dicis : ὅσοι τέλειοι ; dic enim mihi, hoccine vis sapiamus quod tu sapis? nam si non assecutus es, si non es perfectus, quomodo iubes perfectos hoc sapere quod tu sapis, qui nondum es perfectus ? Hoc enim, inquit, perfectio est ». Unde acute dictum est perfectionem in eo esse, ut quis non se existimans perfectum continuo tendat serio ad ulteriora, ut continuo proficiat. Interpretes latini ita rem concipiunt : quotquot intelligentia rerum divinarum ceteris praestamus, vel re ipsa, vel nostra vel aliorum opinione (*Est. Nat. Lap.*), et ita notionem τέλειοι imminuere student ; eam notionem quasi augendam esse censet *Cai.* : quantumvis perfecti sint, tamen hoc sentiant ; vel dici τέλειοι opinatur *Beelen*, qui ad aetatem adultam pervenerint et non amplius inter parvulos (νηπίους) sint recensendi, ergo de perfectione quadam relativa vocem esse capiendam. Meminit *Iust.* ex nonnullorum sententia dici τέλειοι per ironiam ; ipse quidem hanc opinionem merito repudiat ; at res ipsa omissa ironia non videtur a limine abiicienda. Nam in v. 14 ἐγὼ ἐμαυτόν loquitur ita, ut suam sententiam opponere videatur opinioni aliorum, qui se ipsos putent iam comprehendisse. Fortasse inter Philippenses erant qui se iactabant τελείους, vel ita sua conditione sibi satisfactum esse opinabantur, ut iam nihil ultra praestandum esset. Tales itaque leniter perstringere videtur apostolus dicens ὅσοι οὖν τέλειοι.

Si apud Philippenses eiusmodi τέλειοι erant, etiam aliquid luminis affunditur sententiae : et *si quid aliter sapitis* ἑτέρως vario, diverso modo, *et hoc vobis Deus revelabit*, si qui arbitrantur se iam bene profecisse, neque opus esse tanta contentione, spero et confido fore, ut Deus intellectum eorum illuminando eos edoceat? ita multi explicant (*Chrys. Dam. Thph. Est. Nat. Lap. Iust. Beelen*). Unde obiter significat Dei donum esse quod quis recte sapit et imperfectionem suam agnoscit (*Est.*). Illud aliter sentire nullo modo intelligi potest de iis, qui legalibus observationibus quidquam tribuendum putent. Nam inter Philippenses certe nemo erat, qui tale quid postularet ; contra iudaizantes autem apostolus multo acrius scripsisset. Inter Philippenses fortasse reperiri poterant, qui non omnia emolumenta mundana abiicienda et stercora existimanda esse opinarentur, quia talia quoque, uti origo, nobilitas, auctoritas, existimatio aliorum, rei evangelii utilia esse possunt. Hisce qui rebus mundanis partim essent addicti, diceret apostolus : Deus vos pro sua benignitate ita illuminabit, ut hoc sentiatis quod nos sentimus. Aliam sententiam proponit *Hpt ;* putat totum quod dictum est respicere iudaizantes ; qui aliter

sentiant, esse quosdam putantes apostolum nimis dure et acerbe iudicium ferre contra iudaizantes; iis nunc dicere apostolum, Deum effecturum esse ulteriore illustratione seu revelatione, ut agnoscant suum iudicium plane rei veritati esse conforme. Quidquid est[1], sententia manet obscura; neque id mirum; nam conditionem rerum et opinionum apud Philippenses parum novimus.

Concludit et effert, ut in hac quacumque diversitate, id retineatur quod cardo rei est v. 16 πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, *verumtamen ad quod pervenimus*, quantum ad id quod de rebus divinis iam assecuti sumus (*Est.*), vel ad quam vitae rationem provenimus τῷ αὐτῷ στοιχεῖν, idem prosequamur eodem vestigio incedamus; haec lectio a criticis genuina habetur; eam Augustinus quoque tuetur: verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus, et explicat: in quod pervenimus, non in eo remaneamus, sed in eo ambulemus; ambulare autem est proficere (serm. 196, 13; *M.* 38,926). Reliqua κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν explicationis causa addita sunt, scil. τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι eadem regula seu norma incedere; dein ulterius haec eadem norma explicata est secundum monitum 2,2 τὸ αὐτὸ φρονεῖν, quas explicationes vulg habet; *ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula*, in eadem regula fidei et doctrinae. Graeci explicant πλὴν, τέως, φησὶν, ὃ κατωρθώσαμεν, κατέχωμεν, interim, quod consecuti sumus, teneamus, caritatem, concordiam, pacem; hoc nobis statutum est (*Chrys. Thph. Oec.*); regulam appellavit praedicationem evangelii (*Theod.*) et quidem regulam *ThdM.* et *Theod.* intelligunt, ne eos tolerent qui legalia evangelio admisceant. At nullum adest indicium Philippenses voluisse legalia amplecti, neque tales conatus iudaizantium pertrahendi eos ad observanda legalia ullibi in epistola notantur. Quae 3,2 sq. dicuntnr, id unum enuntiare videntur, iudaizantes sese iactasse quasi in superiore gradu quodam prae aliis Christifidelibus constitutos; contra hanc arrogantiam et vanam superbiam apostolus aperte agit 3,3-8.

Coelestia appetant, concordiam et gaudium in Domino sectentur 3,17-4,7.

3,17. *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* 18. *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis*

3,17. Συνμιμηταί μου γίνεσθε, ἀδελφοί, καὶ σκοπεῖτε τοὺς οὕτως περιπατοῦντας καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς. 18. πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν, οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω, τοὺς ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ

1. Comparari potest Hermas vis. 3, 13 ἐάν τι δὲ δέῃ, ἀποκαλυφθήσεταί σοι. Sententiam v. 16, 17 ita construit *Ew.*, ut ad sententiam: si quid aliter sapitis, pertineat apodosis: πλὴν εἰς ὅ ἐφθάσαμεν, etc. et membrum illud: et hoc Deus vobis revelabit, per modum parenthesis in medio collocatum sit. Apud *Ephr.* haec leguntur: et si quis aliter praeter haec sapiat, quae ego valde prodesse vobis dixi, et hoc vobis Deus revelabit.

Christi, 19. *quorum finis interitus, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* 20. *Nostra autem conversatio in coelis est, unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum*, 21. *qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae secundum operationem qua etiam possit subiicere sibi omnia.*

4,1. *Itaque, fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, carissimi.*

2. *Evodiam rogo et Syntychen deprecor id ipsum sapere in Domino.* 3. *Etiam rogo et te, germane compar, adiuva illas, quae mecum laboraverunt in evangelio cum Clemente et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae.* 4. *Gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete.* 5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est.* 6. *Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* 7. *Et pax Dei quae exsuperat omnem sensum custodiat corde vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu.*

Χριστοῦ, 19. ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. 20. ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, 21. ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δύνασθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ πάντα.

4,1. Ὥστε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, χαρὰ καὶ στέφανός μου, οὕτως στήκετε ἐν κυρίῳ, ἀγαπητοί.

2. Εὐοδίαν παρακαλῶ καὶ Συντύχην παρακαλῶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν κυρίῳ. 3. ναὶ ἐρωτῶ καὶ σέ, γνήσιε σύνζυγε, συνλαμβάνου αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι μετὰ καὶ Κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου, ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς. 4. Χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε· πάλιν ἐρῶ, χαίρετε. 5. τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις· ὁ κύριος ἐγγύς. 6. μηδὲν μεριμνᾶτε, ἀλλ' ἐν παντὶ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει μετὰ εὐχαριστίας τὰ αἰτήματα ὑμῶν γνωριζέσθω πρὸς τὸν Θεόν. 7. καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Complura dixit apostolus de sua sentiendi agendique ratione: neque enim solum verbis docebat, sed etiam factis; cur ea proposuerit et quomodo possint τῷ αὐτῷ στοιχεῖν, nunc iis ob oculos ponit: *imitatores mei estote* γίνεσθε, studete ut fiatis συμμιμηταί μου co-imitatores, exigit ut concorditer imitentur ipsum (*Cai.*), ut omnes una mente evadant imitatores, vel: estote mei imitatores una cum aliis qui me imitantur (*Est. Lap. Beelen*). Suum exemplum alias quoque fidelibus imitandum exhibet: 2 Thess. 3,7 ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos; 1 Cor. 4,16; 11,1 imitatores mei estote. Ipse quidem abest; at eius exemplum cernere possunt in iis qui revera imitatores apostoli sunt; *et observate eos qui ita ambulant* σκοπεῖτε, intuemini eos qui ita, scil. ut ego, vitam instituunt, in illis habetis formam nostram καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς: siquidem habetis nos tamquam formam, exemplar vitae (cf. 2 Thess. 3,9 ut nosmetipsos formam τύπον daremus vobis ad imitandum nos). Dicit ἡμᾶς, formam *nostram*, quia sese comprehendit cum iis qui ambulant sicut ipse; unde καθώς i. e. ea ratione plures habent quos imitentur, dummodo attente considerent eos qui exemplum Pauli sequuntur.

Et profecto est, cur talem iis commendet imitationem v. 18 *multi enim ambulant quos saepe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos*

crucis Christi ; non desunt mala exempla ; etiam hic sermonem fieri de iudaizantibus censent *Theod. ThdM. Ephr. Thom. Ambrst. Cai.* (qui malos operarios designari putat 3,2) *Est. Iust. Nat. Ew.* qui scil. legalia docentes et observantes inimicos se exhibeant crucis Christi (nam si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est Gal. 2,21) et qui quidquam spei ponentes in illis, virtutem crucis Christi evacuent. Graeci, *Chrys. Oec. Thph.*, et recentiores autem interpretantur apostolum non de iudaizantibus loqui, sed de malis christianis « qui christianismum quidem simulabant, sed in otio ac deliciis vivebant ; id vero adversatur cruci » (*Chrys.*). Quomodo ambulent, seu qualem vitam agant, apostolus eo indirecte declarat quod eos vocat inimicos crucis Christi ; ergo directe erat dicendum : multi ambulant ut inimici crucis Christi. Tales autem sunt qui vitam agunt voluptatibus et luxuriae deditam ; Christus postulat : si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam (Matth. 16,24) et apostolus scripsit : qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis (Gal. 5, 24) ; « nonne in crucem est actus Dominus tuus? si illius modum non potes, imitare alia ratione Dominum tuum ; ipse te crucifige, prout Paulus dicebat : mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (*Chrys.* Gal. 6,14).

Agi de malis christianis, potest suaderi ex ipsa hac appellatione, qua inimici crucis Christi nominantur; nam fidelis debet inire societatem passionum eius, configurari morti eius (3,10); si autem voluptatibus se dederit, odio habet crucem Christi, quia contrarium eius prosequitur, quod societate passionum Christi exigitur. Ita facile intelligitur, cur inimici crucis Christi vocentur christiani voluptuose viventes ; iudaizantes autem inimici Christi merito dicuntur, quia meritum eius, doctrinam, voluntatem spernunt ac pervertunt ; cur autem speciali ratione *crucis* inimicos se ostendant, non ita apparet, nisi dixeris eos esse primarios inimicos et persecutores apostoli, qui glorietur in cruce Christi (Gal. 6,14) et Christum annuntiet crucifixum (1 Cor. 1,23). Sed notandum est, quanto affectu apostolus commoveatur : *nunc autem et flens dico*, tanto dolore corripitur recordatione, ut lacrimas fundat. Intelligitur dolor de corruptione nomine christiano indignissima et de turpi libidine quae adeo contraria sit cruci Domini. Praeterea tantus apostoli dolor de iis potius concipitur qui perfecte antea erant fratres apostoli in eadem fide, quam de iudaizantibus, qui nunquam fide integra Christo adhaeserunt neque vero sensu fratres fidelium seu Pauli existimari poterant. Quare *Dib.* dicit ex κλαίων colligendum esse sermonem fieri de Christianis.

Dolor apostoli inde quoque augetur, quia interitus eiusmodi prolapsis imminet v. 19 *quorum finis interitus*, ἀπώλεια 1,28; apud tales enim valet

illud : impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt donum coeleste, bonum Dei verbum, participes facti Spiritus sancti et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam (Hebr. 6,4; 10,26). Insuper Paulus peccatoribus impuris denuntiare solet : qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (Gal. 5,21), neque fornicarii, neque molles, neque ebriosi regnum Dei possidebunt (1 Cor. 6,10); hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus non habet hereditatem in regno Christi et Dei (Eph. 5,5). Unde cum dolore eandem praevidet et deflet sortem eorum, quos olim fratres in Christo, nunc a Christo alienos et inimicos crucis Christi cognoscit. Horum autem mores ulterius pandit : *quorum deus venter est*, quorum quasi summum bonum, cui serviunt et cui omnem adhibent curam et cuius gratia omnia agunt, est venter, gula et libido; qui sibi quasi deum et finem constituunt delicias cibi et potus et reliqua quae ventris sunt; cf. Rom. 16,18. Patet similem reprehensionem iudaizantibus quoque posse impingi, quia cum observatione legalium, in qua hi suum studium ponebant, luxuria consistere potest. Conatur *ThdM.* hanc partem ad iudaizantes applicare, sed parum feliciter : « hoc manduca, illud noli manducare; et circa studia sua se vertunt, quasi deo ventri suo intendentes et idipsum pietatem esse existimant, quod alia quidem illi offerre, alia minime offerre studeant » (cf. cat. Cramer p. 279; Swete l. c. 242). Applicatio haec est satis coacta nec talis agendi modus apte describeretur reprehensione : quorum deus venter. Unice quadrat quod in cat. Cr. loco illi ex *ThdM.* statim subiungitur formula ἢ καὶ οὕτως, vel etiam sic : vides quantum malum sint deliciae, ἔσον ἡ τρυφὴ κακόν; aliis quidem pecunia, aliis vero venter deus est : nonne hi etiam sunt idololatrae et illis quidem etiam nequiores? (quae scil. leguntur apud *Chrys.* hom. 13 in ep. ad Philip. *M.* 62,277); sed haec ad iudaizantes quoque applicari possunt.

Et si isti peccatores deum habent ventrem, fere consequens est, ut gloriam suam in istis rebus turpibus ponant : *et gloria in confusione ipsorum* ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, in ignominia eorum; notat *Chrys.* : quidam circumcisionem per hoc significari dicunt; ego autem hoc non dico, sed ita res est : ob quae oportebat sese occultare, in his efferuntur, σεμνύνονται. » Sese igitur iactant et gloriantur in gula et luxuria; altior gradus improbitatis describitur, scil. in illis ipsis quae ignominiosa αἰσχύνῃ sunt gloriam suam collocare; vide Is. 3,9 peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt nec absconderunt, vae animae eorum. Etiam haec pars potest congruere iudaizantibus, uti veteres graeci ab aliquibus fieri commemorant, et *Ambrst.* simpliciter explicat : gloriantes in pudendis circumcisis. Quam interpretationem *Est.* non admittit, quia Paulus de

moribus agat, non de doctrina. Tandem ultimo loco describit apostolus animorum illorum indolem et naturam, *qui terrena sapiunt* οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, eorum mens, cogitandi et appetendi ratio tota affixa est rebus terrenis, in iis solum versatur, extra terrena et supra terrena mens et appetitus non extollitur; quae itaque terrenis superiora sunt vel iis opposita et contraria, haec φρονεῖν, sapere, appetere minime possunt, potius horum evadunt inimici. Quae appellatio τὰ ἐπίγεια ad legalia congrua est; quando agitur de pravis concupiscentiis, appellatio σάρξ etc. occurrit (Rom. 8,7; Gal. 5,17 etc.).

Isti itaque ambulant tamquam inimici Christi, quia et quatenus τὰ ἐπίγεια appetunt, in quantum scil. tota cogitandi appetendique ratio versatur et continetur in terrenis. Et horum omnium ratio ex graeco affertur v. 20 ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα, nostra enim, scil. Christifidelium civitas, respublica, patria, in coelis est; nostra igitur ratio vitae non rebus terrenis, legalium institutioni, affixa esse debet, sed ad exemplum apostoli conformanda est, qui nos docuit v. 11-15 quomodo ad coelestia aspirare oporteret. In vulg. designatur oppositio ad terrena sapientes v. 20 *nostra autem conversatio in coelis est*, bene notat Tertullianus : politeuma nostrum i. e. municipatus est in civitate coelesti, est Ierusalem, mater nostra; tu peregrinus mundi huius, civis es supernae urbis Ierusalem; et saepius locum hunc legit : municipatus noster (de corona milit. 13; c. Marc. 3,24; de resurr. carnis 47; *M.* 2,96. 355. 863); item legitur apud Cassianum (collatio 3,6.7; *M.* 49,566.567). Unde municipes, seu cives sumus coelestis reipublicae, coelestis Ierusalem, dum qui legalibus serviunt, servi sunt terrestris urbis (cf. Gal. 4,25.26); patria nostra in coelis est (graeci); etiam eo sensu, quia non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus (Hebr. 13.14), sicuti veteres patriarchae confitebantur, quia peregrini et hospites sunt super terram, exspectantes fundamentum habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus, et inquirentes patriam (Hebr. 11,9-16) coelestem Ierusalem, civitatem Dei viventis, ad quam Christi fideles iam accesserunt (cf. Hebr. 12,22). Idem hoc loco enuntiatur quod Eph. 2,19 : estis cives sanctorum et domestici Dei. Ex variis inscriptionibus ostendit *Dib.* πολιτεύματα vocari colonias externorum, quae in administratione rerum et in modo gubernandi πολιτείαν regionis patriae imitentur. Qua notione speciali supposita existere sensum : nos regnum patrium habemus in coelo et in terra sumus colonia civium coelorum (Kolonie von Himmelsbürgern, deren Heimatsreich im Himmel ist). Lectione vulg. *nostra conversatio* per se dicitur : nostra vivendi ratio in coelis est (anima magis est ibi ubi amat, quam ubi animat, *Lap.*); at interpretes latini rite explicant πολίτευμα, municipatum, regimen, rempublicam, civitatem (*Nat. Est.*

Lap. Iust.). Opponuntur regiones, ut id quod regionibus continetur et significatur, nobis ob oculos ponatur.

Et nos merito collocare patriam nostram in supernis, ad quae per Christum transferendi simus, explicatur *unde etiam salvatorem exspectamus*, ἐξ οὗ adverbialiter ponitur: unde; σωτῆρα (Eph. 5,23), qui dat salutem, qui nos reddet incolumes, nos servat et liberat a terrenis, ἀπεκδεχόμεθα desiderium dicit vehemens et praestolationem ardentem; et quomodo tandem perfecte sese nobis exhibiturus sit Dominus noster servatorem, declaratur v. 21 *qui reformabit*, μετασχηματίσει: σχῆμα, habitum, formam externam mutabit, *corpus humilitatis nostrae*, cf. 2 Cor. 4,7 vasa fictilia, et 2 Cor. 5,1 terrestris domus nostra; qui immutabit seu transmutabit corpus nostrum vile, humile, miseriis et corruptioni obnoxium; Christifideles enim corpus suum, uti conditionem terrestrem, secundum rei veritatem iudicant et agnoscunt, in oppositione summa contra eos quorum deus est et habetur venter; *configuratum corpori claritatis suae*, σύμμορφον, illius transmutationis effectus erit, ut corpus nostrum fiat et sit conforme corpori glorioso, corpori gloriae Iesu Christi. Qualis sit autem gloria, ἡ δόξα, corporis post resurrectionem, exponit apostolus 1 Cor. 15, 40-49.

Haec autem transmutatio, μετασχηματισμός, qua scil. corruptibile hoc induat incorruptionem, mortale hoc immortalitatem, et σῶμα ψυχικόν fiat σῶμα πνευματικόν (1 Cor. 15,44.53), effectus est supremae potestatis et dominationis Christi, *secundum operationem* κατὰ τὴν ἐνέργειαν, reformabit scil. secundum eam potentiae suae efficaciam ac vim, *qua etiam possit subiicere sibi omnia*; « ostendit maiora opera potentiae suae, ut haec etiam credas » (*Chrys.*). Omnia tandem ei subiicienda esse docetur 1 Cor. 15,25-27; Hebr. 2,6 seq. Et notant apostolum hoc loco tribuere Filio, quod alias Patri adscribitur, qui Filio omnia subiiciat (cf. 1 Cor. 15,27. Hebr. 2,8). Unde iam veteres contra Arianos inferunt eandem esse Patris et Filii potentiam, proindeque eandem naturam, divinitatem.

Uti 4,1 ὥστε indicat, conclusionem ex antecedentibus colligit apostolus. Solum quaeri potest, ad quaenam extendatur conclusio, utrum ad v. 20.21, an ad v. 17-21, an ad v. 11-21. Bona conclusio iam habetur ex ultimis sententiis: cives sumus coelestis patriae, cuius gloriam nobis conferet Christus; *itaque* etc. Sed cum apostolus dicat *sic state* οὕτως, ipsa hac voce videtur respicere, quod scripsit v. 17 σκοπεῖτε τοὺς οὕτως περιπατοῦντας, καθώς etc.; quare refer ὥστε ad v. 17-21. Est itaque sensus: *itaque*, vel quae cum ita sint: magno affectu amoris eos alloquitur et admonet simul cum eximio encomio; testatur suum in eos amorem et quanto desiderio eorum teneatur: *fratres mei carissimi et desideratissimi*, laude praeclara eos afficit: *gaudium meum et corona mea*, inde

necessario supponi debet, mores Philippensium, fidem eorum ac caritatem in eo fuisse statu florenti, ut animus apostoli et gauderet et hanc eorum conditionem gloriam et coronam, insigne ornamentum apostolatus sui merito existimaret et palam profiteretur. Idem consequitur ex adhortatione : *sic state*, cf. v. 17 sicut videtis in me et in aliis, sic ambulate et permanete ; et eo modo permanebitis *in Domino*, cum eo uniti, in eius gratia constituti; *state* στήκετε constanter rectam hanc vitae rationem tenete *in Domino*, eius gratia adiuti, scil. ita tamen, ut et ipsi ex sua parte studeant firmiter manere in unione cum Domino, in promovenda causa Domini. Cum magna laude coniuncta est adhortatio (*Theod.*).

Subditur monitum quoddam singulare: v. 2 in graeco idem verbum ponitur, *Evodiam* παρακαλῶ *et Syntychen* παρακαλῶ, adhortor; habet emphasin quod unaquaeque singulari modo admonetur et admonitio fit eodem verbo, ne una prae altera vel magis noxia vel magis nobilis videatur. Dissensionem quandam studiorum inter se habebant; *idipsum sapere in Domino* τὸ αὐτό, idem appetant et sentiant, et hunc animorum sensum concordem hauriant et firmiter sibi constituant *in Domino;* « illas religiosa urbanitate apostolus obtestatur, ut summam inter se concordiam servent, qualem Christus imperat et caritatis leges bonumque ecclesiae exigunt » (*Nat.*). Aliter *in Domino* concipi posse censet *Beelen :* si mulieres illae, sive tamquam diaconissae, sive alio peculiari modo rei christianae fuerint cooperatrices, dicerem τὸ *in Domino* hic esse dictum metonymice valereque ac si esset scriptum : idem sapere in negotio promovendae rei christianae. Sin vero, *in Domino* significare potest : tamquam membra unius mystici corporis Christi ». Illas antea in re evangelica laborasse, patet ex v. 3 : unde conieceris, illas in modo laborandi, in subsidiis adhibendis, in ratione procedendi sive suavi sive fortiore non fuisse concordes.

Ad has feminas ad concors studium reducendas adiutorem compellat Paulus v. 3 *etiam rogo et te, germane compar*, γνήσιε σύνζυγε: σύνζυγος uni iugo iunctus ; dicitur vox haec a graecis de iis qui matrimonio, cognatione, munere, laboribus, negotiis coniuncti sunt, quare voce hac significari potest coniux, compar, collega, socius. Absurdam quorundam opinionem Paulum compellare uxorem suam, veteres iam refutarunt, provocantes ad 1 Cor. 7,8, quo loco se referat in numerum caelibum (*Theod.*) vel ad ipsam locutionem γνήσιε, debuit esse γνησία si de uxore esset sermo (ita *ThdM. Thph.*; sed *Chrys. Oec.* ad hanc formam non provocant, sed mulierem posse intelligi concedunt). Coniectant maritum, vel fratrem unius ex illis mulieribus fuisse, virum auctoritate praeditum, qui concordiam efficere valeret. Optimum est quod praeter alia habent

Chrys. Oec., esse nomen proprium viri Philippensibus noti. Verum est quidem Σύζυγος inter nomina propria graeca alias nondum innotuisse. At hoc loco necessario debet esse nomen proprium; si enim Paulus solum scripsisset : sincere collega, quis potuit intelligere quem ex suis sociis et adiutoribus nominare voluisset. Quem ita compellat, ei negotium singulare committit; ergo suo nomine designandus et ex numero reliquorum sociorum Pauli eximendus erat; alias tota locutio et compellatio a nullo potuit intelligi; neque enim cogitari potest, apostolum unicuique collegae tale negotium voluisse commendare. Aliis placuit nomen proprium statuere Γνήσιος. Censet *Lightfoot* valde probabiliter ita compellari Epaphroditum; putat enim tunc solum istam apostrophen non reddi plane obscuram, si ad eum qui epistolam perferat dirigatur. Alii coniecerunt designari Lucam, Silam, Timotheum, principem presbyterorum.

Sicut Evodia et Syntyche, ita Syzygus quoque nomen proprium est; eum virum autem apostolus addens γνήσιε cum allusione ad vocis notionem communem peculiari laude prosequitur; nomen scil. et omen habet, neque nomen gerit inane, vacuum, sed verum et suo nomine plane dignum collegam se praestat et praestitit apostolo. Huic itaque, qui non solum nomiñatur, sed vere et sincere est Σύζυγος, quem cum epistola legeretur, omnes statim cognoscere debebant (nisi iis aenigma vel iocum voluisset proponere), mandat: *adiuva illas*, consilio, persuasione, institutione, auctoritate. Atque dignae sunt quibus auxilium praestetur : αἵτινες, utpote vel quippe *quae mecum laboraverunt in evangelio*, in negotio propagandae rei christianae; mulieres aptae erant ad adducendas evangelio mulieres, ad quas aditus facillime illis patebat; laborem designat συνήθλησάν μοι, cf. 1,27; « labor hic evangelicus, ut tunc erant tempora, non fiebat sine repugnantia adversariorum; quae causa sit cur apostolus de eo passim loquatur quasi de lucta aliqua aut certamine » (*Beelen*).

Atque mulieres illas non exiguo modo adiutrices Paulo fuisse, apparet ex eo quia cum magna mulierum laude eas in eodem ordine ponit cum reliquis suis cooperatoribus, *cum Clemente* μετὰ καὶ Κλήμεντος, cum Clemente etiam *et ceteris adiutoribus meis*, συνεργῶν μου cum ceteris cooperatoribus meis, quibus laboribus suis apostolus mercedem coelestem promittit, *quorum nomina sunt in libro vitae*. Plerique ita iungunt; at aliqui recentiores verba *cum Clemente et ceteris* referunt ad sententiam primariam *adiuva illas*, sed si *adiuva illas* intelligitur ita, ut Syzygus illas ad concordem laborem adducat, exsisteret mirus quidam sensus : tot viri quasi in aciem prodire deberent et cum sincero collega se coniungere ad duas illas mulieres in idem studium redigendas; an

tantae molis est istud negotium? et pro concordia illa effecta nomina eorum libro vitae inscribuntur! Neque haec coniunctio admitti potest, si *adiuva illas* explicatur, ut *Zahn*, *Ew.* volunt, adiuva illas in opere evangelico; nam tum et Syzygus et Clemens et reliqui adiutores designarentur ut tales, qui in opere evangelico mulieres adiuvare, illis opem ferre et auxilium praestare deberent, ac si in hoc negotio mulieres essent duces ac primas agerent partes.

Apostolus grato animo memoriam recolit eorum qui secum laborarunt; pro tali labore libro vitae inscripti sunt; cf. Luc. 10,20 gaudete quod nomina vestra scripta sunt in coelis et vide Apoc. 13,8 et 20,12 et simili modo iam mentio fit de libro vitae seu catalogo viventium Ex. 32,32: si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti et Ps. 68,29 deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur. Indicat ea locutione apostolus, se merito de illis confidere fore, ut Deo immobiliter adhaerentes vita aeterna potiantur. Notat *Lap.*: « nec enim vult eos omnino certos reddere de sua perseverantia, salute et electione ad gloriam eamque Philippensibus omnibus revelare; nec rursum vult dicere, se accepisse a Deo revelationem de hac ipsorum salute et gloria; sed tantum ipsos quoad praesentem gratiae statum inchoate scriptos esse in libro vitae ». Hanc partem apostolum addidisse opinatur *Est.* ne aliis nominatis veteri cooperarii offenderentur quod nominati non essent; quasi dicat, eorum nomina multo felicius alibi scripta esse, quam si hic adscriberentur; scripta enim esse in libro vitae (cf. Is. 4,3. Ez. 13,9).

Clementem, cuius meminit Paulus, esse Clementem romanum, episcopum Romae, putarunt Origenes (in Ioan. 1,29 tom. 6,36), Eusebius (h. e. 3,15), Epiphanius (haer. 27,6), Hieronymus (de vir. ill. 15); item Pelagius, Primasius et ex interpretibus latinis Est. Nat. Lap. et alii. Ex ratione temporis nequit dici hanc sententiam evadere plane improbabilem. At res est incerta. Nam nomen Clemens frequentissime reperitur in inscriptionibus ex Philippis, Athenis, Damasco, Asia minore, Aegypto, Aethiopia, Illyria, Epidauro, imo etiam ex regione Stiriae, vide *Zahn*, Einleitung, I § 30,1. In tomo 5 Corp. Inscript. plus quam quinquaginta viri eo nomine, et in tomo 10 plus quam quadraginta nomine Clementis recensentur.

Privatas personas allocutus est in v. 2.3; iam ad omnes sermonem dirigit v. 4 *gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete*, cf. 3,1; quomodo fieri possit, ut *semper* gaudeant, declarat addens *in Domino:* Christus, eius doctrina, promissa, bona per eum nobis acquisita, remissio peccatorum, gratia, spes vitae aeternae, haec sunt fundamentum et causa gaudii spiritualis et erectionis ac confortationis animorum; haec si quis ob oculos habuerit, in quavis rerum conditione non carebit gaudio spirituali. Et hoc gaudium merito illis praecipere potest, quibus

datum esse novit pro Christo pati (1,29); nam et apostoli ibant (flagellis caesi) gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati (Act. 5,41). Gaudium itaque fidelium non reponitur in fortunis, in prospero rerum successu, sed fundatur et collocatur in Domino, in quo omnis vita supernaturalis quasi in suo fonte residet et permanet. Ac saepius gaudium commendat et praecipit: Rom. 13,12 spe gaudentes; 2 Cor. 6,10; 13,11 de cetero, fratres, gaudete; 1 Thess. 5,16 semper gaudete; fructus Spiritus est caritas, gaudium Gal. 5,22 et apostolus ita precatur: Deus repleat vos omni gaudio Rom. 15,13 etc. Ex hoc loquendi modo confirmatur, χαίρειν quoque hic retinendum esse in notione gaudendi, neque cogitandum esse de valedicendi significatione, quasi dixerit ad finem epistolae properans: valete in Domino!

Atque gaudendi notionem necessario esse retinendam, apparet etiam ex effectu quem apostolus ex χαίρειν apud eos exsistere vult et innotescere longe lateque v. 5 *modestia vestra*, τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν, indoles notatur mitis, lenis, clemens; iungitur ἐπιείκεια et φιλανθρωπία (Philo, de vita Mos. 1); *nota sit omnibus hominibus*: hortatur ergo, ut sint benigni, mites, cum comitate quadam agant cum omnibus. Censet *Chrys.* hoc monitum dari praesertim propter eos quos antea dixerat inimicos crucis Christi, quorum deus venter est; ne igitur contra eos infensum et acerbum gerant animum, sed μετὰ πολλῆς ἐπιεικείας magna moderatione cum illis agant. Non ad hos spectat monitum, sed apostolus vult, ut eam animorum indolem benignam exhibeant et notam faciant omnibus simpliciter nullo excepto. Iam talis indoles fructus est et effectus veri gaudii spiritualis. Qui tristis est et afflictus luget, is facile se praestat durum, asperum, tetricum; qui animo est hilari, etiam pronus est ad comitatem erga alios. Fructus Spiritus simul cum gaudio nominatur etiam χρηστότης, πραΰτης (Gal. 5,22). Vide Tit. 3,2. Praecipit apostolus γνωσθήτω, vult ut innotescat, ut omnibus, etiam adversariis et persecutoribus, quasi experientia quadam exhibeant mitem evangelii indolem (cf. 2,15). Quod si fit, spes erit fore ut complures ab illis discant magni aestimare novam hanc vivendi rationem. Nonne ipse Christus, ut ad eum accedamus doctorem, nos eo invitat quod ipse sit mitis et humilis corde? discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. 11,29). Eadem fere notione accipienda est *modestia*, quam vocem explicant lexicographi etiam de moderatione, lenitate (Milde, Bescheidenheit, Schonung). Cf. 1 Tim. 3,3. Tit. 3,2. Iac. 3,17

Triumphantis in modum exclamat, gaudii causam assignans: ὁ Κύριος ἐγγύς, *Dominus prope est*; nexum bene indicat *Thom.*: « tangitur causa gaudii, homo enim gaudet de propinquitate amici ». Pars haec recte

plerumque ad antecedentia refertur; aliqui eam ad sequentia pertinere volunt (*Cai. Beelen*); at immerito; nam propinquitas Domini non affertur tamquam ratio, cur non sint solliciti; sed tamquam remedium contra sollicitudinem assignatur precatio; unde ipso textu clare exhibetur nexus. Dominum prope esse graeci explicant : iam imminet iudicium; cito veniet tempus retributionis (*Chrys.* etc. et similiter *Est. Nat.*). Alii recurrunt ad modum loquendi alias in Scriptura usurpatum : prope est Dominus omnibus invocantibus eum Ps. 144, 18; iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde Ps. 33,19; prope est ut veniat tempus eius Is. 14,1 etc. : quare explicant de auxilio quod Deus suis afferre consuevit, sive cum peculiaria dona tribuit, sive cum eos in tribulatione protegit (*ThdM. Dam. Thom. Cai. Beelen*).

At recte viderunt *Lap. Iust.*, et partim etiam *Est.*, apostolum loqui de iudicio universali : Christus iudex appropinquat, ut veniat ad iudicium, ut coronet nostram patientiam et modestiam; solet enim apostolus loqui de iudicio universali ita quasi instaret et vicinum esset, ut illud semper prae oculis habeant, ad illudque se comparent (*Lap.*) et *Iust.* : « supremum iudicii diem iamiam imminere, Paulo est admodum familiare » ; cui subiungit *Est.* : « quamvis de extremo iudicio loquatur, sicut alibi saepe, verificatur tamen sententia per iudicium particulare quod fit in morte cuiusque ». Sed melius dicendum est, apostolum loqui de Christi adventu; nam causa gaudii affertur : fore iudicium, punitum iri adversarios verum quidem est, at hoc loco gratis talia in contextum inferuntur. Alii tamen faciunt transitum a modestia (τὸ ἐπιεικές) ad sententiam : Dominus prope, dum inserunt : aequo animo sustinete insultus adversariorum; afflictiones huius vitae non diu durabunt; cito veniet tempus retributionis; nihil vobis curae sit, neque iniuria inimicorum, neque vestra afflictio (cf. *Thph. Nat. Est.*); uti dicitur μακροθυμήσατε, patientes estote... quoniam adventus Domini (ἡ παρουσία) appropinquavit (Iac. 5,8).

Pergit apostolus in adhortatione ad gaudium, dum efficaciter removet obstaculum et impedimentum gaudii assignato remedio ; obstat sollicitudo, anxia cura v. 6 *nihil solliciti sitis*, neque de rebus, quae vobis desunt, neque de malis ingruentibus; *sed in omni* ἐν παντί in omni negotio seu conditione, in omni re, *petitiones vestrae innotescant apud Deum;* supra monuit, quid ex parte Philippensium vellet innotescere omnibus hominibus; non iniucundo schemate nunc subdit quid velit innotescere Deo (*Est.*). Bene dicit *Chrys.* : « ecce alia consolatio ; pharmacum quod moerorem omnem et aegritudinem molestaque omnia propulsare potest; quale est hoc? precari, in omnibus gratias agere; quam ob rem preces nostras non nudam petitionem esse vult, sed

coniunctam cum gratiarum actione pro iis quae accepimus. Quomodo enim petet quis futura, qui de praeteritis gratiam non habet, χάριν οὐκ εἰδώς » ? Petitiones nostrae τὰ αἰτήματα, ergo cuncta quae nos sollicitos habent, proponantur Deo et quidem *oratione et obsecratione*, geminata voce fervorem et perseverantiam orandi et deprecandi commendat ; Deo igitur in omni re (attende oppositionem : nihil, μηδὲν in nulla re solliciti — ἐν παντί) per orationem et deprecationem proponite petitiones, et hae notae fiant *cum gratiarum actione* apud Deum ; grato animo ad Deum est accedendum et ei gratias agere oportet ; nam solum ea nobis dabit quae nobis bona sunt et utilia ; quare gratiae sunt ei agendae, sive concedat quod petimus, sive pro eo quidpiam aliud dabit. Petitiones, quibus iungitur animus pro omni re Deo gratus, *innotescant*, ac si dicere velit, istae facilius probenter Deo et prompte apud Deum notae fiant exauditione. Oportet enim prius, ait *Theod.*, benefactorem Deum laudare pro omnibus tam secundis quam adversis, dein ita ei offerre supplicationes. Et in liturgia pariter vere dignum, iustum, aequum et salutare vocatur Deo semper et ubique gratias agere, uti *Dam.* ait nos debere orare εὐχαριστοῦντας, οὐκ ἀθυμοῦντας οὐδὲ ἀκηδιῶντας.

Oratione omnis curá et sollicitudo Deo commendatur et fructus eiusmodi precationis est v. 7 *et pax Dei*, pax cuius auctor et largitor est Deus ; quia vero cor nostrum ab omni perturbatione non potest esse alienum, nisi per Deum, oportet quod per ipsum fiat ; unde dicit *Dei* (*Thom.*) ; cf. Ioan. 14,27 pacem meam do vobis ; et quam potens et efficax sit ista pax, declaratur : *quae exsuperat omnem sensum*, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, pax scil. Dei id efficit quod nulla consideratione humana fieri potest ; homo quidem variis adductis rationibus sibi in rerum perturbatione aliquam animi vel mentis tranquillitatem procurare poterit ; at pax Dei longissime superat omnem effectum illum, quem mens creata producere valet ; Deus in animis eam producit quietem, tranquillitatem, consolationem, pacem, et tantam in mediis afflictionibus alacritatem, quae omnes conatus hominis ad aequanimitatem habendam longissime excedat. Ergo orationibus ad Deum fusis id efficitur, ut pro anxia cura et sollicitudine, qua animi hominum vexari ac deprimi solent, pax Dei, magna quaedam pax, tranquillitas ex parte Dei, homini tribuatur. Hic est aperte nexus inter v. 6 et 7 : nihil solliciti sitis, sed innotescant petitiones apud Deum *et* pax Dei etc. Quare quaenam pax hoc loco intelligenda sit, facile perspicitur. Neque enim sermo est de reconciliatione, quam Deus fecit cum hominibus, prout pacem concipiunt *Chrys. Thph. Est. Nat. Iust.* ; neque sermo est de pace et concordia inter homines, neque de pace conscientiae (*Lap.*), neque de pace seu tranquillitate ordinis divini (*Cai.*), neque de pace qua Deus ipse fruatur (*Beelen*).

Haec pax qua largiente Deo ab omni sollicitudine eximantur simul iis erit firmum tutamentum, *custodiat*, φρουρήσει, *corda vestra et intelligentias vestras* τὰ νοήματα *in Christo Iesu*, utitur apostolus verbo militari, praesidio quodam muniet, « videturque ad militares excubias respexisse; ut enim vigilantibus excubiis ceteri securi dormiunt, ita omnia tuta sunt iis qui hac pace perfruuntur » (*Iust.*): vel pax haec tuebitur ac muniet instar valli cuiusdam aut praesidii corda vestra, intellectum ac voluntatem et τὰ νοήματα scil. quae intellectu et voluntate concepta proferuntur. Cor haud raro totum hominem interiorem significat et ponitur pro affectu, sensu, intelligentia. In graeco est tempus futurum; ita ut oratio non tam hortantis sit, quam consolantis et promittentis, fore ut hac pace omnes eorum sensus, affectus, cogitationes firmiter muniantur *in Christo Iesu*, in eoque retineantur, ut nihil sentiant vel appetant vel apud se cogitatione statuant quod sit contra Christum vel quod eos ab illa cum Christo unione abducere vel abalienare posset. Ita *in Christo* intime iunge cum immediate antecedente: corda et intelligentias vestras, haec sint ac maneant in Christo, in eius complantatione (Rom. 6,5), in eius doctrina, in fervore rem eius promovendi. In Christo enim, ut *Thom.* dicit, affectus conservatur a malo et intellectus perseverat in vero. Et cum apostolus talem pacem Deo largitore promittat, φρουρήσει, iterum rationem quandam tangit cur gaudeant et gaudeant semper.

Admonitione, gratiarum actione et bonorum apprecatione epistolam concludit 4,8-23.

4,8. *De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.* 9. *Quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite: et Deus pacis erit vobiscum.*

10. *Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando reflоruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis; occupati enim eratis.* 11. *Non quasi propter penuriam dico; ego enim didici in quibus sum sufficiens esse.* 12. *Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum) et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati;* 13. *omnia possum in eo qui me confortat.* 14. *Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meae.* 15. *Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio evangelii, quando profectus sum a Macedonia,*

4,8. Τὸ λοιπόν, ἀδελφοί, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνά, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνά, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ καὶ εἴ τις ἔπαινος (ἐπιστήμης) ταῦτα λογίζεσθε. 9. ἃ καὶ ἐμάθετε καὶ παρελάβετε καὶ ἠκούσατε καὶ εἴδετε ἐν ἐμοί, ταῦτα πράσσετε· καὶ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν. 10. Ἐχάρην δὲ ἐν κυρίῳ μεγάλως, ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν· ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, ἠκαιρεῖσθε δέ. 11. οὐχ ὅτι καθ' ὑστέρησιν λέγω· ἐγὼ γὰρ ἔμαθον ἐν οἷς εἰμὶ αὐτάρκης εἶναι. 12. οἶδα καὶ ταπεινοῦσθαι, οἶδα καὶ περισσεύειν· ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσιν μεμύημαι, καὶ χορτάζεσθαι καὶ πεινᾶν, καὶ περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι. 13. πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με. 14. πλὴν καλῶς ἐποιήσατε συνκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει. 15. οἴδατε δὲ καὶ ὑμεῖς, Φιλιππήσιοι, ὅτι ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας, οὐδεμία μοι ἐκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς

nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli, 16. *quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis;* 17. *non quia quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* 18. *Habeo autem omnia et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quae misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* 19. *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Iesu.* 20. *Deo autem et Patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen.*

21. *Salutate omnem sanctum in Christo Iesu.*

22. *Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt.*

23. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro. Amen.*

λόγον δόσεως καὶ λήμψεως, εἰ μὴ ὑμεῖς μόνοι, 16. ὅτι καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ ἅπαξ καὶ δὶς εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε· 17. οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, ἀλλὰ ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν. 18. ἀπέχω δὲ πάντα καὶ περισσεύω, πεπλήρωμαι δεξάμενος παρὰ Ἐπαφροδίτου τὰ παρ' ὑμῶν, ὀσμὴν εὐωδίας, θυσίαν δεκτὴν εὐάρεστον τῷ Θεῷ. 19. ὁ δὲ Θεός μου πληρώσει πᾶσαν χρείαν ὑμῶν κατὰ τὸ πλοῦτος αὐτοῦ ἐν δόξῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. 20. τῷ δὲ Θεῷ καὶ πατρὶ ἡμῶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

21. Ἀσπάσασθε πάντα ἅγιον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

22. ἀσπάζονται ὑμᾶς πάντες οἱ ἅγιοι, μάλιστα δὲ οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας.

23. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν.

Tandem ad finem properans (τὸ λοιπόν, cf. 3,1) magna sermonis sollemnitate plurima et amplissima eorum seriae commendat meditationi et attentioni. Sermonis vim et vehementiam produnt ac delineant asyndeta sexies repetita ὅσα, quae excipiuntur et complentur duplice illa forma maxime generali εἴ τις. Quaenam in tota cogitandi ratione peculiari attentione prosequenda et retinenda sint, longiore enumeratione recenset: *quaecumque sunt vera*, apodosis ad singula pertinens ponitur in fine, *haec cogitate* ταῦτα λογίζεσθε, haec animo tractate, ad haec animum advertite. Quae enumerantur, ad mores pertinent; quare *vera* quoque non de veritate religiosa seu integritate doctrinae concipienda erunt, sed potius de iis quae ab omni specie falsa seu fallaci remota sunt, ergo de iis quae sunt genuina, sincera; ita ut habeatur oppositio ad ea quae sunt adulterina, facticia, fucosa. Quae sequuntur, etiam valde generalia sunt neque ad specialem seu singularem virtutem coarctantur; quare *vera* quoque hac notione ampliore capienda erunt, neque solum peculiari modo explicanda sunt de iis quae remota sunt a mendacio, hypocrisi, simulatione.

Nimis arcta est versio vulg *quaecumque pudica*, ὅσα σεμνά, veteres interpretes iam monent vocem referri ad gravitatem morum et honestatem et decorem; σεμνά sunt quae apud alios reverentiam gignunt; iubentur itaque modi agendi, loquendi honesti, decori, quibus existimatio quaedam et veneratio aliis ingeratur. Graeci arctius concipiunt dici σεμνά contra eos qui terrena sapiunt (3,10); *quaecumque iusta*, δίκαια notione generali quaecumque recta sunt secundum normam legis, qua mores diriguntur; *quaecumque sancta*, ἁγνά, pura, quae longissime remota sint ab omni re vel specie vili, vulgari, impura. Graeci vocem dici volunt

contra eos quorum deus venter est (3,19); *quaecumque amabilia*, προσφιλῆ, grata aliis et accepta, τοῦτο δὲ, διὰ τὸ μὴ προσκρούειν τισί (*Thph.*) i. e. ne quos offendant; quaecumque ad amicitiam, concordiam, benevolentiam alendam aut promovendam sunt accommoda (*Lap.*); ergo nihil in moribus aut conversatione sit durum aut asperum; ea notione explica etiam *amabilia*, quae digna sunt quae amentur et omnibus cara sint (*Iust.*).

Notio vocis προσφιλής activa (nempe benevolus) minus congruit et sequenti quoque membro prior explicatio commendatur; *quaecumque bonae famae* εὔφημα : vult eos τῶν πρὸς ἀνθρώπους προνοεῖν (*Chrys. Thph.*), sed quo sensu id intelligendum sit, non apparet; fortasse eodem modo concipi poterit, atque interpretatio latina, ea esse agenda quae bonam famam et existimationem pariant apud homines; nam providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (2 Cor. 8,21; Rom. 12,17), oportet enim et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt (1 Tim. 3,7); eo sensu legitur εὐφημία 2 Cor. 6,8 in oppositione ad δυσφημία. Verum quidquid sit de notione εὐφημία, ad eam significationem nequit εὔφημος trahi, sed retinenda est notio communis : loqui verba boni ominis, vitare verba quae offensionem pariant. Et ita εὔφημα apte adnectitur ad προσφιλῆ grata, accepta, et explica εὔφημα bene sonantia, ita scil. ut omnis loquendi modus sedulo vitetur, quo quis iure offendi possit. A qua notione non multum distat quod *Ambrst.* habet: laudabilia, qua voce etiam exprimitur, verba turpia esse vitanda, loquenda quae probari possint.

Enumeratio absolvitur sententia maxime generali *si qua virtus*, ἀρετή, « quae vox, etsi philosophis aliisque scriptoribus saecularibus notissima, nusquam tamen in scriptura novi testamenti legitur, praeterquam hoc loco et 1 Petr. 2,9 » (*Est.*) et 2 Petr. 1,3.5. Quidquid igitur in numero et genere virtutum ponitur, ad hoc scil. animum attendite; et huic additur : εἴ τις ἔπαινος quidquid laude et approbatione dignum est; vult itaque apostolus, ut etiam aliorum iudicii et approbationis ratio habeatur, uti alias monuit; quae aedificationis sunt, in invicem custodiamus; unusquisque proximo suo placeat in bonum ad aedificationem (Rom. 14,19; 15,2), omnia ad aedificationem fiant (2 Cor. 14,26). Textus graecus communiter fertur εἴ τις ἔπαινος sine additamento; in paucis testibus additur ἐπιστήμης, inde in vulg. *si qua laus disciplinae*, quidquid laude dignum est, vel laudem meretur *disciplinae*, bonae institutionis aut conversationis, *haec cogitate*, ταῦτα λογίζεσθε ad haec animum applicate, haec mentibus volvite et meditamini. Atque haec omnia apostolus eos docuit et suo exemplo iis quasi spectanda exhibuit. Unde, sicut supra dixit καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς 3,17, ita nunc similiter v. 9 *quae et didicistis et accepistis*, duo verba ad doctrinam a Paulo traditam spectant, edocti sunt a Paulo

et eiusmodi tradidit illis; *et audistis et vidistis in me*, pertinent haec ad exemplum quod Paulus iis dedit, quod iis notum est et ex aliorum narratione et ex propria eorum experientia. Haec optima docendi ratio est, ait *Chrys.*, se ipsum in omnibus monitionibus formam, τύπον, praebere. Et aliam rationem affert *Dam.*, apostolum suum adducere exemplum, ne videatur aliquid eis maius praecipere quam assequi possent; ne despondeatis animum tamquam ardua praecepta sint et maiora quam praestare valeatis; in me enim, inquit, audivistis omnia fieri, et non solum audistis sed vidistis ». Quae itaque ex doctrina et exemplo apostoli norunt, *haec agite*, non sufficit λογίζεσθε, sed pro re nata illa ad praxin, πράσσετε, et ad exercitium sunt perducenda et opere exsequenda. Quae si praestiterint, *et Deus pacis erit vobiscum*, Deus auctor pacis et largitor auxilio suo vobis praesto erit (cf. 4,7).

In fine epistolae revertitur apostolus ad rem privatam, quam iam statim ab initio tetigerat (1,5), sed de qua nunc pluribus agit laudans Philippenses de studio succurrendi, sed magis gaudens de eorum profectu, quam de ope sibi praestita; v. 10 *gavisus sum autem in Domino vehementer*, « non mundi, inquit, atque huius vitae more gavisus sum, sed in Domino; non quia ego respiravi, ἀνάπαυσιν ἔσχον ἐγώ, sed quoniam vos profecistis » (*Chrys.*). Gaudium suum ait fundamentum habere et radicem in Domino, quatenus Philippenses amans in Domino de eorum profectu pariter propter Christi causam laetatur. Vox *vehementer* μεγάλως cum emphasi in fine ponitur. Explicat itaque simul cum laude Philippensium, quomodo adventu Epaphroditi, qui donum eorum secum tulit, maximo gaudio affectus sit et gaudii causam exponit : *quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire;* non desunt, qui in istis verbis tacitam aliquam reprehensionem Philippensium deprehendant (*Chrys. Oec. Thph. Est. Lap. Iust.*); verbum ἀνεθάλετε *Chrys.* explicavit quasi de arboribus germinantibus, dein arefactis, ac rursum germinantibus; hoc vero indicare vult, illos cum antea florerent ac postea extabuissent (μαρανθέντες), rursum vigere; quamobrem vox illa et obiurgatio est et laus. Et similiter alii concipiunt: veluti post ariditatem aut post hiemem revirescentes, iterum incepistis pro me solliciti esse (*Est.*).

Quae tamen explicatio nimis quaesita et coacta videtur. Atque illi ipsi qui ita explicant, statim in fine sententiae aliter loquuntur, quasi receptui canunt, et reprehensionem omnem retractant: « non id, inquit, vestrae negligentiae erat, sed necessitatis; non enim habebatis in manibus, non abundabatis » (*Chrys.*) non pro socordia me neglexistis, sed occasionem mittendi non habuistis (*Oec.*); opportunitatem non habuistis (*Est.*); postea increpationem mitigat et excusat (*Lap. Iust.*). Verum si ita reprehensionem oportet statim excusare vel penitus auferre, iam eo

ipso merito potius dispiciendum est, num revera lateat in verbis prioribus reprehensio vel negligentiae vel tarditatis (*Cai.*). Atque revera alii nihil reprehensionis reperiunt in primis istis verbis (cf. *Theod. ThdM. Thom. Nat. Beelen, M. Hpt.*) et hisce erit assentiendum. Primo notari oportet, in ἀναθάλλειν non necessario exprimi notionem rursus, iterum virescere, sed efflorescere, sursum florescere, sursum germinare. Porro erit inquirendum, utrum ἀναθάλλειν accipiendum sit notione transitiva (frondere facere, Ez. 17,24; Eccli 1,16 ἀναθάλλειν εἰρήνην et 50,10 ὡς ἐλαία ἀναθάλλουσα καρπούς), aut intransitiva. Hac notione intransitiva vocem hic accipiunt graeci et hac notione adhibetur vox apud profanos. Et ea significatione cum vulg. erit verbum retinendum : quia tandem aliquando floruistis, ut mei curam agatis, i. e. tandem aliquando ad tam prosperam pervenistis conditionem. Si vero ἀναθάλλειν transitive accipitur : tandem aliquando iterum fecistis florere [1] curam pro me agere, non quidem exprimitur reprehensio, quasi longiore tempore neglexissent curam eius habere; attamen suaviter insinuare videtur apostolus se amorem et curam eorum desiderasse. Vertit *Dib.* : cura vestra pro me tandem aliquando apparere potuit (ans Licht treten).

Apostolus itaque gavisus est valde simul cum Philippensibus, quia *tandem aliquando* (ubi etiam Philippensium mens indicatur) res eorum floruerint quod attinet ad curam apostoli, ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, *sicut et sentiebatis;* semper scil. pro apostolo curam gerebant, seu solliciti erant (cf. *Thph.*). Si φρονεῖν hoc loco accipimus sensu praegnanti studere, operam dare, curam agere, dein facile etiam explicatur ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε : ἐφ' ᾧ refertur scil. ad sententiam ὅτι ἀνεθάλετε τὸ (fertur quoque lectio τοῦ) ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, et ad hoc, ut res vestrae florerent, etiam curam egistis. Verum quale impedimentum diu obsteterit, declaratur : ἠκαιρεῖσθε δέ (ἀκαιρεῖσθαι opp. τῷ εὐκαιρεῖν) opportunum tempus autem non habuistis, opportuna seu prospera conditione non potiebamini. Bene sensum declarat *Theod.* : iam dudum enim volebatis meae subventioni prospicere, ἀλλὰ καιρὸν οὐκ ἐσχήκατε, sed non habuistis opportunitatem. Locutionem explicant : non habebatis in manibus vestris neque abundabatis; a communi loquendi consuetudine hoc depromptum est; volemus enim dicere : angustia me invasit, malum tempus nunc est (cf. *Chrys. Oec. Thph.*). Quod in vulg. habetur : *occupati enim eratis* explica : impediti enim eratis, et eo sensu occupare quandoque adhibetur, v. g. ministeria aestu occupantur (apud Curtium; vide lexica).

Magnum suum gaudium manifestavit apostolus, quod tandem aliquando Philippenses id ei praestare poterant, cuius diu iam curam gere-

1. Vertit *Ew.* : dass ihr endlich einmal wieder aufgrünen liesset das für mich bedacht sein.

bant. Ne autem putent huius sui gaudii rationem praecipuam esse, quod ipsius penuria esset ablata, subdit v. 11 *non quasi propter penuriam dico* οὐχ ὅτι elliptice, οὐ λέγω ὅτι, affirmat se non ratione habita penuriae ita loqui. Non negat se penuriam passum esse, sed negat se dixisse : gavisus sum propterea, quod meae indigentiae consuluistis. Gavisus est de florenti conditione eorum quae tandem aliquando iis obvenerit, non autem, ac si afflictus fuisset de sua penuria antequam liberalitate eorum ab ea esset levatus. Et cur merito ita loqui possit, explicat : *ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse*, usu et exercitatione didici contentus esse iis quae habeo, contentus esse praesentibus, contentus esse statu in quo versor. Ponitur cum emphasi *ego enim*, ut efferatur quod asseruit; non mea causa, non meae inopiae causa, sed vestra causa gavisus sum. Apostolus suam sibi servat libertatem; didicit sibi esse sufficiens, αὐτάρκης ; cf. 2 Cor. 9,8 αὐτάρκεια sufficientia; hanc sibi sufficientiam acquirere, significat rem esse disciplinae et exercitationis (*Est.*) ; cf. Hebr. 13,5 ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν contenti praesentibus. Unde innuit se non indiguisse necessario eorum beneficentia et dono.

Hanc suam sibi sufficientiam ulterius explicat, se scil. in omni rerum conditione rebus dominari neque ullo pacto sub earum redigi potestate (cf. 1 Cor. 6,12) v. 12 *scio et humiliari, scio et abundare*; ex oppositione elucet notio ταπεινοῦσθαι in conditione esse tenui, angusta, paupere; egestate et inopia laborare ; antea dixit *didici*, cuius effectus est iam *scio*, scio ex una parte ferre penuriam, scio ex altera parte etiam ferre abundantiam; scio quomodo me geram in penuria, quomodo in abundantia; i. e. in penuria non tristatur neque deiicitur; in abundantia non extollitur; sed eundem se praestat in egestate et in abundantia (*Chrys. Thph.*), semper servans animum liberum, rebus superiorem. Idque affirmat sententia prorsus generali : *ubique et in omnibus* ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσιν in quovis et in omnibus — locutio designatur maxime generalis — *institutus sum* μεμύημαι initiatus sum, quasi sacram rem seu quoddam mysterium didicit, in omni plane rerum conditione et statu et quocumque casu occurrente servare hanc libertatem animi et hoc dominium. Paulo aliter explicat *Chrys.* : in hoc longo tempore omnium experientiam cepi πεῖραν ἔλαβον πάντων, et haec omnia bene processerant. Sed fortasse consulto elegit apostolus vocem ad initiandum sacris et mysteriis pertinentem, ut innuat ad talem libertatem animi perveniendum esse, sacra quadam institutione, hominem coelitus edoceri debere.

Quod in universum dixit ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσιν, iam singillatim illustratur : *et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati*, ea se coelitus edoctum esse ait. Docet apostolus maximam animi libertatem servandam esse, neque expedire se rebus ita dare, ut hae quasi dominium in

hominem exerceant. Talem animi libertatem rebus superiorem ipse apostolus descripsit: reliquum est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint, et qui flent tamquam non flentes, et qui gaudent tamquam non gaudentes et qui emunt tamquam non possidentes etc. (1 Cor. 7,29-31). Ad rem notat *Thph.*: monstrat autem per haec, quod neque antea cum nil conferrent, tristaretur, neque nunc cum darent, gavisus sit humana ratione, sed de ipsis, qui hisce utilitatem caperent. Et unde habeat vim et robur in hisce et in reliquis omnibus, subdit v. 13: *omnia possum in eo qui me confortat*, non suis viribus quidquam tribuit, verum totum suum posse refert ad Christi opem et confortationem et simul exprimit maximam spem et fiduciam *omnia possum*, nihil unquam occurrere posse, cui non par sit ferendo seu exsequendo, quia in Christo consistens semper ab eo accepturus sit vires et robur. Quae de se dixerat et quae profecto magna sunt, iam ait non esse opus suum, sed Christi opus, inde omnem speciem magniloquentiae evitat (cf. *Chrys.* *Thph.*).

Dixerat apostolus se non propter penuriam gavisum esse de dono eorum, se scire sibi sufficere et penuriam pati; ne igitur Philippenses offenderentur, ac si non libenter accepisset quae misissent — solent enim qui dant offendi, quando accipientes asserunt se non indigere (*Thph.*) — iam eos laudat de eorum beneficentia; nam etsi ipse non opus habebat eorum subsidio, illi tamen ex sua parte praeclare egerunt; v. 14 *verumtamen bene* καλῶς *fecistis communicantes tribulationi meae*: facti sunt participes et socii tribulationis apostoli, συνκοινωνήσαντές μου τῇ θλίψει mecum participes facti afflictionis meae. In eo reponit apostolus encomium, quod in talem cum ipso communionem et participationem afflictionis ingressi sunt; eo ipso enim etiam socii et participes praemii effecti sunt. Vim vocis declarat *Chrys.*: ostendens eos etiam lucrum fecisse, quandoquidem praemiorum facti erant participes; et eodem modo de participatione mercedis explicant *ThdM. Lap. Iust. Nat.* et simili modo *Hpt.* quoque rem concipit, dum scribit, Philippenses tribulationem Pauli tamquam suam propriam considerasse, unde etiam benedictionem ad ipsos permanare. In tali participatione iam exprimitur notio communionis sanctorum. Et ad mercedis participationem etiam valet verbum illud Christi: qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet (Matth. 10,41).

Atque eiusmodi communicatio et arcta societas non nunc primum exstitit, verum ab initio praedicationis evangelii apud eos usque nunc vigebat inter Paulum et solos Philippenses, ita ut ea in re Philippenses prae ceteris omnibus ecclesiis eminerent. Recolit itaque apostolus quae ipsi iam antea exhibita fuerant, ita ostendens se horum memorem esse et animum gerere gratum; quae memoria Philippensibus non poterat

non esse summopere iucunda, et insuper in eorum laudem cedit, quod apostolus adeo explicite statuit eos non primum nunc se beneficos erga ipsum praestitisse, sed id fecisse eos de more, id fecisse eos solos prae reliquis ecclesiis ; v. 15 *scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio evangelii :* cum magno affectu eos nominatim compellat, volens iis clare in memoriam reducere, ut sibi conscii sint, talem communicationem solum inter se et Paulum intercedere et intercessisse ab initio praedicationis evangelii apud ipsos, et deinceps *quando profectus sum a Macedonia* [1], quando scil. relicta Macedonia per varias partes in Graecia, in Asia minore evangelicae praedicationi incumbebat (cf. Act. 17-20), *nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli ;* et haec arcta societas inter Paulum et Philippenses consistebat in hac communicatione εἰς λόγον δόσεως καὶ λήμψεως, locutio petitur ex re mercatoria ; in rationibus pecuniariis duae sunt partes seu tabulae expensorum et acceptorum. De notione λόγος vide Matth. 18,23 ; 25,19 ; Luc. 16,2 redde rationem villicationis tuae. Sensus locutionis est : nullus fidelium coetus pro ministerio sibi impenso stipendia mihi dedit, nisi vos soli. Haec ratio dati et accepti illustratur consideratione illa quam apostolus affert : si nos vobis spiritualia seminavimus (dedimus), magnum est si nos carnalia vestra metamus (accipiamus, 1 Cor. 9,11)? et docet gentiles esse debitores fidelium iudaeorum : nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis (Rom. 15,27). Hoc suum ius tuetur apostolus et compluribus argumentis probat Corinthiis, quamvis ob peculiares rationes ab iis nihil vellet accipere (1 Cor. 9,4-18). Vide 2 Cor. 11,9 : quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia.

Et quam prompte et celeriter Philippenses stipendia ipsi persolverint, exemplo demonstrat ; nam vix reliquerat Philippenses et adhuc degebat in Macedonia, iam accepit dona ab eis v. 16 *quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis*, ὅτι forte non erit eadem notione capiendum qua ὅτι v. 15 ; nam vix potest supponi apostolum voluisse dicere : vos scitis vos mihi misisse ; « atqui insipida sit istiusmodi oratio ; ὅτι hoc loco valet *nam*, ut hic sit nexus sententiarum : merito dico vos mihi succurrisse quo tempore in vestra regione evangelium a me fuit praedicatum, *nam et* iam tum cum essem Thessalonicae, adeoque vel antequam Macedoniam relinquerem, semel atque iterum mihi misistis, quae in usus meos erant necessaria » (*Beelen*). Thessalonicae apostolus in synagoga per tria sabbata disserebat Iudaeis de scripturis ; ex Iudaeis pauci crediderunt, multo plures ex proselytis ; vide Act. 17,2-5 ; ex v. 4 videtur sequi Paulum

1. Textus graecus capi potest vel de tempore quando exiit a Macedonia, vel de tempore postquam exiit. Qui prius assumunt, referunt v. 15 ad Act. 17, 14.

diutius ibi versatum esse et relicta synagoga evangelium praedicasse. Longiori commorationi etiam magis congruit, quod miserint καὶ ἅπαξ καὶ δίς, i. e. semel et iterum (uti locutio graeca in vulg 1 Thess. 2,18 bene redditur). Quare non opus est assumere eos intra tempus trium hebdomadum non tantum semel, sed bis misisse. Miserunt ἐν Θεσσαλονίκῃ scil. cum apostolus ibi esset, seu (uti graece in verbis motus usuvenit) miserunt donum quod mansit Thessalonicae *in usum* εἰς τὴν χρείαν, χρείαν γὰρ τὰ χρειώδη δαπανήματά φησι, οὐ τρυφὴν, οὐ σπατάλην (*Thph.*), sumptus dicit necessarios, non delicias, non luxum. De notione χρεία cf. Act. 20-34; Rom. 12-13; 1 Cor. 12,21. Hebr. 5,12 etc.

Prorsus aliam explicationem ad v. 15 *Hpt.* proponit. Censet enim ex v. 16 mentione facta Thessalonicae sequi, sententiam in v. 15 ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας nullo pacto posse intelligi : quando profectus sum a Macedonia; nam cum Thessalonica esset urbs Macedoniae, pecunia illa Thessalonicam missa nullo modo potest ratio afferri pro eo, quod Philippenses, cum apostolus Macedoniam relinqueret, cum eo inierint communicationem in ratione dati et accepti. Quare censet ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας facile aliter concipi posse; idque exemplis ostendit : 1 Cor. 14,36 quaeritur : ἀφ' ὑμῶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθεν; ἀπό itaque designat locum seu regionem, unde praedicatio evangelii in alias regiones emanavit; et simili modo, si de Iesu dicitur Ioan. 3,2 et 16,30 ἀπὸ θεοῦ ἐξῆλθες, non indicatur Patrem esse relictum, sed solum a quo exierit. Eodem modo ergo concipi vult ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας, Macedonia regio est ex qua praedicatio evangelii in alias regiones transferri coepta est. Unde oritur sensus: cum inciperem in Macedonia cursum meum evangelicae praedicationis, nulla ecclesia me adiuvit, nisi vos soli; nam iam Thessalonicam misistis in ipsa Macedonia sitam, etc.

Sed in hac explicatione alia occurrit difficultas. Cum inciperet cursum suum evangelicum in Macedonia, quaenam ecclesiae exsistebant quae possent subsidia mittere? In Europa nulla; prima in Europa est ecclesia Philippensium; in Asia exsistebant coetus christiani illi quorum mentio fit Act. 13,14. Num apostolus exspectavit fore, ut hi mitterent subsidia praedicanti in Europae partibus? an illarum ecclesiarum socordiam notare voluit? vix credibile videtur. Neque tanta est difficultas in v. 16, ut recurrendum sit ad explicationem verborum ὅτε ἐξῆλθον ἀπὸ Μακεδονίας quae nemini usque ad *Hpt.* in mentem venit et quae longe abest ab obvio verborum sensu. Apostolus in v. 16 notat singulari ratione quam prompte et celeriter subsidia miserint; non solum post meam profectionem, imo antequam profectus sum, vos memores fuistis indigentiae meae (cf. *Vincent*).

Commemoravit laudans Philippensium liberalitatem et promptitudinem. Sed, uti in v. 11, statim cavet ne videatur hoc fecisse sui ipsius causa, ac si vellet ut sibi subsidia mitterentur v. 17 *non quia quaero datum* οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα, cf. v. 11, non haec dico quia expeto donum vestrum. Antea dixerat se non gavisum propter sublevationem penuriae; nunc explicat principalem causam sui gaudii, manifestans se non quaerere eiusmodi temporalia, sed quaerere sedulo ut abundet fructus bono-

rum operum in eis (cf. *Cai.*), *sed requiro fructum abundantem in ratione vestra* τὸν καρπὸν non simpliciter vestrum desidero lucrum, sed τὸν πλεονάζοντα, sed fructum accrescentem, lucrum plane abundans εἰς λόγον ὑμῶν in rationem vestram, in computum vestrum, ut scil. merita vestra et inde merces vestra apud Deum augeatur. Ergo ratio gaudii est lucrum spirituale Philippensium. Sensu omnino generali accipi debebit fructus abundans quem apostolus apud Philippenses expetit, i. e. de progressu et meritis bonorum operum, de eximia vita in omni pietate et integritate morum, quae vita erit fructus abundans institutionis ac doctrinae evangelii. Nam quod saepius explicant: si quid a vobis accipio, vestrum est lucrum (*Est.*), vel gaudeo de fructu qui ex vestra liberalitate ad vos rediturus est (*Nat.*), non videtur probari posse. Si enim apostolus *talem* fructum abundantem revera expeteret, certe eo ipso expeteret indirecto modo, sed ex necessaria consequentia, etiam donum abundans; id quod tamen a mente apostoli longissime abest; nam non quaero quae vestra, sed vos (2 Cor. 12,14).

Dixerat: requiro fructum abundantem; ne id male intelligatur, quasi ulterius expeteret subsidium, nunc declarat ea quae acceperit plenissime sufficere, imo se abundare; et hanc largitatem et liberalitatem exaggerans simul ostendit gratum animum quo donum eorum acceperit v. 18 *habeo autem omnia*, ἀπέχω, verbum hoc indicare debitum ex parte dantis, explicite docent *Chrys. Thph.* ἔδειξεν ὅτι ὀφειλή ἐστιν τὸ πραγμα· τοῦτο γάρ ἐστιν ἀπέχω· aliter *Oec.* qui ἀπέχω declarat per ἀπήλλαγμαι οἷον οὐκ ἔτι χρείαν ἔχω τούτου, sic ut his iam non indigeam; Matth. 6,2 ἀπέχουσιν vertitur in vulg. receperunt (mercedem suam); unden ostro loco etiam quandoque explicant: recepi omnia; quae explicatio optima videtur, quia ἀπέχω est idem atque acceptum aliquid testor (et eo sensu occurrit etiam in papyris et ostracis aegypt.); alii notionem verbi tradunt vi τοῦ ἔχειν aucta: plene habeo; imo addit apostolus et *abundo*, plus habeo quam mihi opus est; animum gratum declarat quo scil. beneficia magni aestimantur et exaggerantur, id quod iis quoque gratum et acceptum est qui dederunt. Denuo auget sermonem *repletus sum acceptis ab Epaphrodito quae misistis* πεπλήρωμαι δεξάμενος postquam accepi donum vestrum τὰ παρ' ὑμῶν, iam non restat locus seu spatium, ut ulterius quidquam recipiatur. Emphatica est consecutio verborum ἀπέχω, περισσεύω, πεπλήρωμαι (*Beelen*).

Ad τὰ παρ' ὑμῶν, *quae misistis* apponitur appositio qua declaratur quid sit donum eorum ratione habita Dei: *odorem suavitatis*, *hostiam acceptam*, *placentem Deo*, exclamat *Chrys.*: « papae, quo eorum munus evexit! non ego, inquit, accepi, sed Deus per me ». Consideratur tamquam sacrificium, quod in odorem suavitatis ad Deum ascendit, ab eo magna benevolentia et complacentia acceptatur tamquam res gratissima. Quae de

sacrificiis proprie dictis affirmantur, transfert apostolus ad eleemosynam tamquam ad sacrificium metaphoricum; item Hebr. 13,16 beneficentiae et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus. Quod dixerat: requiro fructum abundantem εἰς λόγον ὑμῶν (v. 17) iam impletum iri promittit: vos necessitati meae providistis, Deus abundanter vestram indigentiam replebit v. 19 *Deus autem meus*, quem colo, cuius sum apostolus (*Nat.*), quem peculiari affectu Deum suum vocat, quia pro beneficio sibi collato supplicationem offert, *impleat*, πληρώσει, implebit *omne desiderium vestrum* πᾶσαν χρείαν ὑμῶν omnem necessitatem, indigentiam vestram; iam *Chrys.* monet etiam legi πᾶσαν χάριν et πᾶσαν χαράν, sed praeferendam censet lectionem χρείαν, « quoniam antea dixerat ἠκαιρεῖσθε (v. 10), subiungit hic quod etiam facit in epistola ad Corinthios dicens: qui administrat semen seminanti et panem ad manducandum, praestabit et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae » (2 Cor. 9,10).

Et quam abundanter Deus id largiturus sit, indicatur, neque enim id praestabit quovis modo, sed *secundum divitias suas* κατὰ τὸ πλοῦτος αὐτοῦ pro ratione et mensura opulentiae suae; dabit non secundum merita eorum, sed secundum divitias Dei (*Cai.*); dabit non parca manu, sed liberaliter pro sua ingenti affluentia et liberalitate (*Iust.*); insuper dabit *in gloria* ἐν δόξῃ, inter varias acceptiones illa videtur sensui et progressui orationis maxime consentanea, qua ἐν δόξῃ adverbialiter sumitur; est altera determinatio ad replebit; prior est secundum divitias suas; nunc insuper modo glorioso replebit (cf. *Lap. Iust. Beelen, M. Hpt.*); qui modus gloriosus intelligi potest, quatenus in ipsa largitione bonorum gloria et maiestas Dei splendide manifestatur et apparet (*M. Hpt.*) vel replebit cum magna et praeclara gloriae vestrae testificatione apud omnes mortales et cum certa futurae felicitatis exspectatione (*Iust. Lap.*). Replebit ἐνδόξως splendide, i. e. *largiter* (*Beelen*) hoc loco ieiunum est post membrum antecedens. Aliis placet ἐν δόξῃ explicare tamquam monitum, ut ad Dei gloriam utantur abundantia (*Chrys. Oec. Thph.*) vel ut promissionem coelestis gloriae: replebit in gloria coelestis patriae (*Cai. Nat.*), in gloria sua (*Thom.*), ita replebit ut ea vobis cedant ad gloriam vitae aeternae (*Est.*), replebit coelestibus ac divinis bonis (*Theod. Iust.* in commentario; aliter in paraphrasi). Et demum opinatur *Est.* iungi posse ita, ut Deus dicatur dives in gloria. Uti cuncta quae nobis tribuuntur, nobis obveniunt ex Christi meritis et ut membris corporis Christi, ita etiam hoc loco demum additur: *in Christo Iesu*, ita ut ratio et causa, cur Deus impleturus sit, ultimatim fundetur et constituatur in eo qui est mediator inter Deum et homines (1 Tim. 2,5); implebit μεσιτεύοντος τοῦ Χριστοῦ (*Thph.*).

Concludit partem hanc de dono a Philippensibus sibi misso doxologia

v. 20 *Deo autem et Patri nostro gloria in saecula saeculorum. Amen.* Vidit enim apostolus in dono illo bonum Philippensium opus et fructum et fontem benedictionis divinae (v. 14,17). Quare cum gratiarum actione ad Dei laudem assurgit. Deus est Pater fidelium, quatenus hi υἱοθεσίᾳ in filios a Deo sunt adoptati et eo spiritu clamant: Abba, Pater (Rom. 8, 15.23; Gal. 4,5. Eph. 1,5; 1 Ioan. 3,1). Huic Deo Patri ἡ δόξα debetur scil. talis gloria qualis uni Deo convenit. In locutione *in saecula saeculorum* aeternitas cogitatur tamquam indefinita quaedam series saeculorum (*Beelen*). De omnibus quae praestitistis glorificetur Deus in omnem aeternitatem (*Thom. Est. Nat.*). Additur *amen*, sic fiat; formula hoc loco est precantis, optantis, confirmantis, uti in fine doxologiae iam legitur in psalmis hebraeis 41,14; 72,19; 89,53; 106,48 amen (vulg fiat Ps. 40,14 etc.) et 1 Par. 16,36; Neh. 8,6, sicuti ad confirmationem rei propositae universus populus iubetur dicere amen (Deut. 27,15-26. Neh. 5,13).

Ut in aliis epistolis (Rom. 1-2 Cor. Col. 1 Thess.), ita hic quoque adiungit salutationes; v. 21 *salutate omnem sanctum in Christo Iesu*, unumquemque fidelem [1] qui versatur apud vos, salutate in Christo, non profana salutatione, sed cuius ratio, causa, modus quoque fundetur in communione cum Christo, in statu conditionis christianae. Notat *Iust.*: sed si ad omnem Philippensium ecclesiam epistola scripta est, ut ex initio constat, cui praeterea sanctorum salutem dicit? an externis et peregrinis? an presbyteros et diaconos praecipue alloquitur eisque mandat, ut aliis fidelibus salutem dicant? Hoc ultimum improbabile est, quia toties in epistola *omnes vos* alloquitur (1,1.4.7.8.25; 2,26 et cf. 4,15 vos Philippenses); potius de priore cogitari potest, ut externos et peregrinos Philippis commorantes salutent, et si quis lectioni publicae epistolae non interfuerint. Cum sua salutatione etiam aliorum salutationem eis scribit v. 22 *salutant vos qui mecum sunt fratres*, et generatim omnes qui Romae versantur: *salutant vos omnes sancti;* qualem animorum coniunctionem eadem fides inter maxime dissitos et extraneos efficiat, pluribus prosequitur *Chrys.*: qui longe inter se distabant, sibi tamen vicissim coniuncti erant, et qui procul aberant, perinde ac si prope essent, inter se salutabant et singuli erga singulos veluti erga sua membra afficiebantur; aeque pauper erga divitem etc.

« Erexit eos et confirmavit ostendens ad imperatoriam etiam domum pervenisse praedicationem » (*Chrys. Oec. Thph.*), *maxime autem qui de Caesaris domo sunt:* οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας sunt ministri, servi, famuli, aulici, i. e. eiusmodi ministeria obibant liberti et servi (cf. *Zahn*, Einl. § 31,1) et teste *Friedländer* primus qui aliquibus ministeriis aulicis equites praefecit erat Vitellius (Sittengeschichte I, p. 84). Affirmat *Chrys.*

1. De notione ἅγιος vide ad Eph. 1, 1.15; 3,5.

(hom. 10 in 2 Tim. *M.* 62, 657) Paulo caput amputatum esse, quia pincernam Neronis in fide instituerit, ἐπειδὴ τὸν οἰνοχόον αὐτοῦ κατήχησε, et in opere adversus impugnatores vitae monasticae (libro 1,3 ; *M.* 47,323) narrat a Paulo concubinam Neronis valde dilectam (παλλακίδα) esse ad fidem adductam. Brevius dicit : λέγεται ἀσπάσαι Νέρωνος καὶ οἰνοχόον καὶ παλλακίδα (Rom. 45 in Act. *M.* 60,325). Sed res est plane incerta. Ex martyrologio romano (11.17 die maii) Evellium et Torpetem, Neronis familiares fuisse, et sub eo martyrio coronatos traditur.

Concludit apostolus epistolam consueta apprecatione, qua melius et sublimius valete nequit excogitari v. 23 *gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro* (*amen*) ; fertur alia lectio μετὰ πάντων ὑμῶν, et in sat multis additur ἀμήν. Ceterum cf. Rom. 16,24; 1 Cor. 16,23. 2 Cor. 13,13. Gal. 6,18 gratia... cum spiritu vestro ; Eph. 6,24. 1 Thess. 5,28. 2 Thess. 3,18. Apprecatio cum omnibus vobis saepius invenitur, cum spiritu vestro, rarius ; quare elucet cur nostro loco complures consuetam formam pro altera minus usitata substituerint. Altera haec legitur adhuc Philem. v. 23 et 2 Tim. 4,22; quo sensu accipi possit *cum spiritu*, vide *Cornely* Com. in 2 Cor. et Gal. p. 614.

Ex inscriptionibus sepulcralibus, quae pertinent ad tempus Neronis et Imperatorum immediate ante vel post Neronem, colligitur multitudo et varietas maxima munerum, quibus domus Caesaris constituebatur. De qua re specimen praebet *Lightfoot* ex illis inscriptionibus afferens titulos eorum qui Romae ad domum Caesaris pertinuerant ; scribit enim (p. 172) : the following list will give some idea of the number and variety of places which the « domus Augusta » included : paedogogus puerorum, dispensator rationis privatae, exactor tributorum, praepositus velariorum, procurator praegustatorum, praepositus auri escarii, praepositus balnei, villicus hortorum etc. ; a lapicidinis, a pendice cedri, a frumentis, a commentariis equorum, a veste regia, a cura catellae, ab argento potorio, a supellectile castrensi, a veste forensi, a libellis, a studiis, ab epistulis, a rationibus, a bibliotheca latina Apollinis, a bibliotheca graeca Palatina etc. ; architectus, tabellarius, castellarius, chirurgus, ocularius, diaetarchus, nomenclator, tesserarius, designator, vicarius, symphoniacus, musicarius, pedissequus, lecticarius, cocus, argentarius, sutor, cubicularius, triclinarius, ostiarius, ornator, unctor, etc. ; tonstrix, sarcinatrix, obstetrix, etc... Hac enumeratione quam Lightfoot nominat valde imperfectam, satis ostenditur magna divisio et subdivisio munerum et officiorum. Simul apparet « qui de Caesaris domo sunt » posse esse viros conditionis maxime diversae ; varia praebet quoque *Friedländer*, Sittengeschichte Roms, 6 ed. I p. 171 ; Die Beamten a rationibus, libellis, epistulis.

Usque ad recentissima tempora firmum cernebatur argumentum pro commoratione romana in mentione facta eorum qui de Caesaris domo sunt. At nunc aliquo modo haec ratio ab aliquibus in dubium vocatur, qui monent per totum imperium exstitisse servos Caesaris (*Deissmann*, Licht von Osten, 2. ed. 172 ; *Dib.*), quare ex eiusmodi mentione non excludi captivitatem vel caesariensem vel ephesinam ; imo ex inscriptionibus constare Ephesi fuisse collegia libertorum et servorum Caesaris ; cf. *Albertz* (Studien und Kritiken, 1910,551-594).

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM AD COLOSSENSES

Inscriptio et salutatio 1,1-3.

1,1. *Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei et Timotheus frater,* 2 *eis qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Iesu.* 3. *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.*

1,1. Παῦλος ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ καὶ Τιμόθεος, ὁ ἀδελφός, 2. τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς ἐν Χριστῷ. 3. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ὑμῶν.

In nomine apostoli continetur titulus auctoritatis, cur scribat fidelibus ceteroquin sibi ignotis; ceterum de inscriptione vide ad Eph. 1,1.2. Timotheus eodem modo nominatur in inscriptione 2 Cor. Phil. 1 et 2 Thess. Philm.; praeter Timotheum in 1 et 2 Thess. adiunxit Silvanum. In compluribus epistolis salutatio non fit singulis, sed ecclesiae, uti 1.2 Cor. Gal. 1.2 Thess. Philm.; certa causa eius varietatis frustra quaeritur. Salutatio mittitur τοῖς ἁγίοις: de nomine ἅγιος vide Eph. 1,1 et Phil. 4,21. Quaeritur hoc loco sitne explicandum τοῖς ἁγίοις per modum substantivi nominis vel adiectivi; qui prius praeferendum esse censent, provocant ad Rom. 1,7; 1 Cor. 1,2; 2 Cor. 1,1; Phil. 1,1 (ita plerique recentiorum), alii merito censent hisce exemplis rem non plane dirimi (*Ew.*), sed hoc loco adiectivum esse explicandum (*Hpt.*); designantur ex una parte tamquam separati a mundo, consecrati Deo, et ex altera parte tamquam πιστοί quam vocem longe plerique explicant de credentibus, de eorum fide [cf. Eph. 1,1]. De firmitate seu fidelitate vocem concipi debere contendunt *Abbott*, *Lightfoot*, quia alias nihil adderetur ad notiones ἁγίοις et ἀδελφοῖς, sed prior vox non explicite fidem enuntiat, neque *frater* per se dicit fidem animo inhaerentem, et etiam *frater in Christo* potest designare eum qui externe coetui fidelium annumeratur. Insuper non apparet, qua in re seu cur firmitas seu fidelitas speciali modo efferatur. Intime in unam notionem confluit locutio *fratribus in Christo*, « non in Adamo, seu aliquo terreno parente, sed in Christo » (*Lap.*); vinculum huius cognationis consistit et talis spiritualis fraternitas efficitur fide et baptismo Christi. Petitur *gratia et pax* (cf. 1 Cor. 1,3; Eph. 1,2) *a Deo Patre nostro*, cuius scil. nos fideles per υἱοθεσίαν, per adoptionem filii sumus (cf. Eph. 1,5; Phil. 4,20). Hoc loco non addi *et Domino nostro* etc. iam disertis verbis monent *Origenes* et *Chrys.* neque habent hoc additum codices meliores vulgam fu. Sed cum eiusmodi additum legatur in reliquis epistolis Pauli omnibus, excepta 1 Thess., etiam patet cur in compluribus codicibus et versionibus sit adscriptum. Causam cur Paulus hoc

loco omiserit, cum *Chrys.* exquirere velle, superfluum est; apostolus non semper eadem formula utitur.

Gratiarum actio et supplicatio 1,3-12.

Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, 4. audientes fidem vestram in Christo Iesu et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes 5. propter spem, quae reposita est vobis in coelis, quam audistis in verbo veritatis evangelii, 6. quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut in vobis ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, 7. sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu, 8. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu; 9. ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spirituali, 10. ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei; 11. in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia et longanimitate cum gaudio 12. gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.

Εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πάντοτε περὶ ὑμῶν προσευχόμενοι, 4. ἀκούσαντες τὴν πίστιν ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ καὶ τὴν ἀγάπην ἣν ἔχετε εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. 5. διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἣν προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου, 6. τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς, καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ἐστίν, καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἠκούσατε καὶ ἐπέγνωτε τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ, 7. καθὼς ἐμάθετε ἀπὸ Ἐπαφρᾶ τοῦ ἀγαπητοῦ συνδούλου ἡμῶν, ὅς ἐστιν πιστὸς ὑπὲρ ὑμῶν διάκονος τοῦ Χριστοῦ, 8. ὁ καὶ δηλώσας ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην ἐν πνεύματι· 9. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἀφ' ἧς ἡμέρας ἠκούσαμεν, οὐ παυόμεθα ὑπὲρ ὑμῶν προσευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι, ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ, 10. περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρεσκείαν ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι τῇ ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ, 11. ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτοῦ εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν μετὰ χαρᾶς, 12. εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί.

Familiari quadam insinuatione apostolus incipit a gratiarum actione; sic enim orditur epistolam ad Romanos, et illam quae Ephesiis inscribi solet, ut se absentium non meminisse solum, sed etiam curam gerere, deque eorum salute apud Deum sollicitum esse doceat, qui pro iis Deo gratias agat et preces fundat (*Iust.*); *gratias agimus*, non de se solo, sed ob inscriptionem de Timotheo quoque id enuntiare apostolum merito censebis; εὐχαριστοῦμεν utrumque per se significat, gratias agimus et gratiam habemus; *Deo et Patri Domini nostri Iesu Christi*, oritur hic eadem quaestio, uti Eph. 1,3, scil. utrum genitivus a solo nomine praecedenti dependeat, vel ab utroque. Dependere a solo nomine praecedenti censent *Iust. Nat. Lap. Hpt.*, ita ut *Deo* separatim et solitarie ponatur: gratias agimus Deo (auctori omnium bonorum) vel Deo, qui est Pater Domini nostri. Lectio varia fertur; apud aliquos testes καὶ omittitur; *Chrys.*

legit τῷ Θεῷ τῷ Πατρί etc. Verum, uti iam dictum est ad Eph. 1,3, praestat ita explicare, ut genetivus ab utroque nomine dependeat. Dominus ipse non est veritus dicere se ad Patrem suum et Patrem nostrum, ad Deum suum et Deum nostrum ascendere (Ioan. 20,13); ergo nihil profecto obstat, quin prima SS. Trinitatis persona, quae Pater est Verbi aeterni, Deus vocetur Verbi incarnati. Apostolus ergo qui in locutione simili τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ ἡμῶν (Phil. 4,20; Gal. 1,4) genetivum ἡμῶν ad utrumque nomen retulit (Deo et Patri nostro) idem hic fecisse censeri potest, praesertim quia Eph. 1,17 scripsit ὁ Θεὸς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

« Ambiguum vero est, scribit *Iust.*, utrum apostolus dicat se quoties oret semper pro Colossensibus gratias agere, an vero ita se pro iis Deo gratiam referre, ut semper suis in precibus eos bonorum auctori commendet; utrum dixerit, non magnopere laborandum videtur; posterior certe sententia Chrysostomo magis arridet, cui ego non invitus assentior. » Ita ille. At certe meliorem sensum prior praebet sententia : gratias agimus *semper*, et id determinatur eo quod additur *pro vobis orantes*, scil. quando et quoties preces fundimus, etiam pro vobis Deo gratias agimus; bene notat *Cai.* : « quod autem dicit semper (gratias agimus), limitat subiungendo pro vobis orantes ». Id melius congruit, quam : semper pro vobis orantes gratias agimus (cf. Eph. 1,16). Qua gratiarum actione in orationibus suis magnum suum amorem in Colossenses testatur. Et hoc fecit ex tempore quo de eorum fide notitiam accepit v. 4 *audientes*, ἀκούσαντες postquam audivimus *fidem vestram in Christo Iesu* cf. Eph. 1,15, fides scil. reposita in Christo; qui modus loquendi pariter habetur 1 Tim. 3,13 et 2 Tim. 3,15 διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, similis videtur esse locutio Marc. 1,15 πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, at Gal. 3,26 melius explicatur : omnes estis per fidem filii Dei in Christo (quotquot enim baptizati estis in Christum, Christum induistis).

Cum fide iungi debet caritas, ne fides sit mortua (Gal. 5,6; Iac. 2,23-26); unde apostolus etiam gratias agit quod audivit de iis simul cum fide *et dilectionem quam habetis in sanctos omnes*, a profano mundo exempti, Deo consecrati sunt ἅγιοι; vide Eph. 1,15, quo loco sicuti saepius admirabilis haec biga, fides et caritas, apud apostolum apparet (*Chrys.*); cf. 1 Thess. 1,3; 2 Thess. 1,3; Philm. 5. « Perfectionem suo testimonio eis tribuit, cum eos dixit fide claros et caritate; caritas enim universum mandatum in actione consistens complectitur. Solet autem apostolus laudibus primum aures praeparare προλεαίνειν, levigare, polire, tum deinde convenientem doctrinam tradere » (*Theod.*). Loquitur apostolus non de solo affectu dilectionis (quem ad omnes homines protendi aliquo modo oportet), sed de effectu et opere, maxime quoad subventionem necessitatis atque inopiae proximorum; qua in re maxime valet : operemur

bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (Gal. 6,10) et Rom. 12,13 necessitatibus sanctorum communicantes (cf. *Est.*). Bonos nuntios audierat ab Epaphra; cf. v. 8. Commemorata fide et dilectione etiam incipit explicare materiam gratiarum actionis (*Cai.*).

Et hanc materiam actionis gratiarum etiam ulterius assignat v. 5 *propter spem quae reposita est vobis in coelis* propter bona quae vobis speranda sunt et quae bona in coelis reposita inde vobis provenient; ἐλπίς est hoc loco non affectio subiectiva, affectus seu virtus sperandi, sed res sperata, uti ex addito τὴν ἀποκειμένην patet et prout Gal. 5,5 et Tit. 2,13; Hebr. 6,18 adhibetur. Apostolus gratias agit Deo etiam propterea quia Colossensibus vocatione ad fidem facta bona coelestia contingent; bene notat inter alia *Chrys.*: laetamur, inquit, quod in coelis magna vobis conciliatis, προξενεῖτε. Clare proponit hanc acceptionem *Thph.*: » gratias agimus, quia (διότι) incorruptibilia bona consecuturi estis; non enim in terra sunt reposita, ut corrumpantur, sed in coelis, ut stabilitatem habeant »; et eodem modo *Ephr.*: « praesertim propter spem qua exspectamus in coelis vos accepturos oblata vestra ». Quod aliqui monent, εὐχαριστεῖν nullibi iungi cum διά, sed cum ὑπέρ, ἐπί, verum quidem est, at debet adverti apostolum hoc loco non gratias agere *pro* spe, sed *propter* spem, id quod bonum sensum habet, et eo facilius intelligitur, si perpenditur quam praeclare sentiat apostolus de spe vocationis nostrae (cf. Rom. 5,2; 12,12; 15,13. Eph. 1,18; 4,4; 1 Thess. 5,8; Tit. 2,13). Ex recentioribus eundem nexum assumunt *Abbott*, *Hpt. Ew.* et διὰ τὴν ἐλπίδα ad εὐχαριστοῦμεν referunt; item facit *Cai.* solus, uti videtur, ex latinis interpretibus.

Nam satis communis acceptio et veterum et recentiorum est, ut *propter spem* referatur ad immediate antecedens et explicet rationem, cur habeant dilectionem in sanctos; et *Chrys.* quidem vult haec addi contra tentationem, ne hic quaerant otium et quietem; ne quis dicat: et quid lucri ad eos redit? similiter *Theod.*: ut agant alacri animo propter regnum paratum; caritas habet fructum in vita aeterna (*Thom.*); habent caritatem et exercent propter futura et sperata praemia (*Est. Nat. Iust.*). Nonnullis recentioribus placuit acceptio, tamquam causam et rationem fidei et dilectionis assignari spem consummatae salutis; pro qua explicatione provocant ad 1 Thess. 5,8 (induti galeam spem salutis), 2 Cor. 3,12 (habentes spem fiducia utimur), Rom. 4,18 (qui contra spem in spem credidit); 5,2 (gloriamur in spe gloriae filiorum Dei); et insuper monent, ita haberi tria illa quae apostolus iungat: fidem, spem, caritatem (*Lightfoot*). Verum non attendunt nostro loco sermonem esse non de spe, sed de re sperata. Neque loci allati ullo modo ostendunt rem speratam esse causam et rationem (Grund) fidei et dilectionis.

In priore acceptione ipsa cogitatio vera est, scil. posse nos dilectionem habere et exercere propter praemium speratum et similia apostolus non uno loco docet (cf. Rom. 2,7; 8,17; 1 Cor. 3,14; 9,17.23-25. 2 Cor. 4,17; 9,6; Gal. 6,9. 2 Tim. 4,8). Verum alia est quaestio sitne hoc loco idem enuntiatum. Uti in aliis epistolis, ita hic quoque conditio Colossensium sufficienter declaratur ita ut pateat, cur et pro quibus rebus apostolus agat gratias. Id satis enuntiatur in v. 5, audita fide vestra et dilectione. Fides eorum et dilectio est ratio et obiectum actionis gratiarum. Num etiam spes? certe non, quia sermo est non de spe, sed de re sperata. Solum igitur relinquitur, ut ipsa illa interna animorum dispositio et aspiratio, qua impellantur ad dilectionem habendam, designetur ratio et obiectum actionis gratiarum. Estne hoc probabile? vix puto; etenim apostolus audivit fidem eorum et dilectionem; sed num is qui eum edocuit de fide et dilectione, eum de intentione interna quoque edocuit Colossensium, cur habeant dilectionem et ex quibus rationibus eam exerceant? Nemo id facile dixerit; nec probabile est omnes unam hanc eamque solam habuisse intentionem et rationem; quis enim exemplum Christi eiusque dilectionem vellet excludere? Nulla autem difficultas est in interpretatione, apostolum inter alia etiam Deo grates persolvere propter immensa bona, quae reposita sint carissimis fratribus in coelo; quae actio gratiarum solum est praeclara quaedam doctrina et institutio fidelium, qua discant quanti aestimanda sit conditio fidelium. Sursum corda! iis proponitur; cf. Phil. 3,20.

Et quam merito gratias agat propter praeclarissima bona coelestia futura, Colossenses rite intelligere et aestimare possunt, quia iam in antecessum edocti erant de bonis illis futuris: *quam audistis in verbo veritatis evangelii*, quam scil. spem repositam in coelis, bonum itaque futurum esse didicerunt et cognoverunt ex praedicatione; audierunt in verbo veritatis (cf. Eph. 1,13) sc. quod nihil nisi veritatem, omni errore excluso, continet, et huic veritati per modum appositionis additur nomen evangelii. Dicitur ἣν προηκούσατε quam praeaudistis (verbum legitur apud Cassiod. Ulpian.); id quod apud interpretes triplici modo explicatum reperitur; communiter quidem proponitur quod proxime adiacere videtur; quam ante hanc epistolam audistis a praedicatoribus evangelii (*Cai.*), vel nulla mentione epistolae facta, quam antea audistis per praedicationem evangelii (*Thph. Nat. Est.*); nonnullis placuit vocem accipere de priore doctrina in oppositione ad errores postea prolatos (cf. *Abbott, Light.*); id quod longe quaesitum est et plane improbabile; nam eiusmodi errores apostolus non solet perstringere una solum vocula. Alii recentiores concipiunt: audistis in antecessum rem speratam, antequam vobis continget (*Ew.*); poni verbum in oppositione ad tempus futurum

quo bonum salutis dabitur, sicuti in antecessum, iam antea, tempore praesenti, audierunt (*Hpt.*). Ab initio praedicationis iis expositum est, bonum salutis perfecte possessum iri in futuro in coelis, non tempore praesenti; et ita bonum futurum quod certa persuasione esse futurum scitur, revera potest esse materia et ratio actionis gratiarum. Inde προηκούσατε hoc sensu potest intelligi et est similis loquendi modus, sicut Eph. 1,12 προηλπικότες.

Bene iam notavit *Cai.* fructum et propagationem evangelii etiam pertinere ad materiam gratiarum actionis apostoli, et revera quam longissime ab eis oculi eius quasi conspectus fertur v. 6 *quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est*, τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς, refertur ad evangelium, unde patet in antecedenti locutione praecipuum momentum poni in voce evangelii, seu evangelium apponi per modum appositionis; hoc evangelium pervenit ad eos, εἰς ὑμᾶς et est apud eos παρόντος, vel ut *Chrys.* notat: « non enim accessit et recessit, sed mansit et est illic ». Ad eorum consolationem et gaudium vult apostolus, ut secum ex sua angusta regione conspectum longe lateque ferant et fructum et propagationem evangelii admirentur, quo maiore animorum alacritate evangelium retineant et aestiment, καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ ἐστίν, celerem per imperium romanum (per orbem terrarum, uti imperium romanum οἰκουμένη vocabatur) propagationem hyperbolice describit; simili modo iam 1 Thess. 1,8; 2 Cor. 2,14; Rom. 1,8; 10,18 et vide in v. 23; *et fructificat et crescit*, versio vulg. videtur sequi lectionem quam graeci (*Chrys. Theod. Dam. Oec. Thph.*) et aliqui codices ferunt καὶ ἔστιν καρποφορούμενον, ut cum quadam emphasi efferatur, evangelium esse fructum atque bonos effectus producens et esse simul crescens, seseque latius protendens; proinde augmentum haberi quasi internum, in pietate et profectu singulorum coetuum et externum in dilatatione ulteriore per regiones. Ad quam lectionem congruit καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν, *sicut* etiam *in vobis*; bis enim fit comparatio : evangelium est apud vos, sicut et in universo mundo, et est ubique fructificans et crescens, sicut etiam apud vos; fructificat per opera, crescit eo quod multos assumit (*Chrys. Theod. Thph.*).

Neque parva laus est, quod statim ab initio praedicationis fructum ostenderint : *ex ea die qua audistis* praedicationem evangelii *et* qua *cognovistis gratiam Dei in veritate*, cognovistis vere, ita ut cognitio vestra respondeat veritati ; cf. 2 Cor. 7,14. Posset quidem *gratiam Dei* referri et ad *audistis*, at melius suppletur evangelium, praesertim etiam, quia *in veritate* solum pertinet ad alterum verbum. A verbi proprietate recedit explicatio *Chrys.*, qui in veritate interpretatur ἐν ἔργοις, et *Thph.* ἐν σημείοις καὶ ἔργοις παραδόξοις. Gratiam Dei vocat gratuitum illud Dei beneficium quod in evangelio annuntiatur de redemptione et salute in Christo.

Ratio quaedam polemica contra serpentes errores neque in *veritate* neque in *gratiam Dei* erit suspicanda, iam ob v. 7, quo apostolus simpliciter pergit dicens eos eodem modo idem edoctos esse *sicut didicistis ab Epaphra, carissimo conservo nostro* : servus dicitur qui munere sibi imposito domino servitium et obsequium praestare debet; ita servus Christi dicitur apostolus qui ad ministerium Christi vocatus et assumptus est; cf. Rom. 1,1; Gal. 1,10; 2 Tim. 2,24; Iac. 1,1; 2 Petr. 1,1; Iud. 19.

Epaphras igitur eo nomine declaratur tamquam qui simul cum Paulo et Timotheo ad ministerium evangelicum, ad hanc servitutem a Christo sit electus, et qui ex sua parte famulatum laude dignum praestet, *qui est fidelis pro vobis minister Christi* πιστὸς διάκονος, tali laude et commendatione tuetur apostolus, uti videtur, Epaphram contra obtrectationes adversariorum iudaizantium, de quibus agit 3,16 seq., eumque omni ex parte contra suspiciones munit dicens, eum rite docuisse, a Christo deputatum esse et magna fidelitate in eorum utilitatem functum esse ministerio in opere Christi. Quae laus etiam augetur in altera lectione in compluribus codicibus (etiam A B) servata ὑπὲρ ἡμῶν, est fidelis minister vice nostra, vice apostoli (*Ambrst.*); meas partes apud vos supplevit, proinde eum sibi et Timotheo parem ministrum declarat, qui quod ipsi non poterant facere, apud Colossenses praestiterit. Bene potest apostolus in laudem Epaphrae dicere : meas partes egit, pro me laboravit; nam graecis et barbaris, sapientibus et insipentibus debitor sum; apostolatum accepit ad obediendum fidei in omnibus gentibus (Rom. 1,5.14). Quare haec lectio ὑπὲρ ἡμῶν, qua et Epaphras multum extollitur et apostolus suum universalem apostolatum innuit, valde apta est et a compluribus recentioribus est adoptata (*Lightfoot*); cum ὑπὲρ ἡμῶν obiter rem consideranti possit mirum videri — quomodo pro Paulo et Timotheo erat fidelis minister? — intelligi potest, cur ὑπὲρ ὑμῶν, lectio facilis intellectu, plures occupaverit codices (cf. *Zahn*, Einl. § 23,3).

Gratum quoque Colossensibus erat audire v. 8 *qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram*, in Paulum et socios eius; ita apparet ex ipsa illa collocatione ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην, idem indicatur ex v. 9, et de dilectione generatim iam in v. 4 sermo erat. Eam dilectionem designat spiritualem, *in spiritu*, fundatam in spiritu Dei; describitur dilectio orta et permanenter exercita ex consideratione ordinis et rerum Dei. A modo quo generatim apostolus mentionem facere solet spiritus, recedit explicatio : facie eum non cognoverunt; bene *Cai.* dilectionem a spiritu causatam explicat a spiritu sancto manantem (*Lap.*), vel ab animo gratia imbuto productam dicere poteris; nam eo sensu πνεῦμα apud Paulum saepius adhibetur. Longius abest inferre oppositionem ad dilectionem

carnalem (*Chrys. Oec. Thph. Est.*), cum sola spiritualis sit firma, solida, stabilis (*Thph. Lap.*).

Bene notat *Thom.* ad v. 9: « supra posuit materiam gratiarum actionis, ostendens pro quibus bonis gratias egit »; et simul indicavit Colossenses rite ab Epaphra edoctos esse. Nimium in verbis quaerunt qui statim rationem polemicam suspicantur. Ita iam 1,2 in πιστοῖς aliqui opinantur perstringi eos qui instabiles a fide defecerint; ideo laudari firmos ac stabiles. In προηκούσατε 1,5 efferri oppositionem inter priorem rectam institutionem et errores postea exortos; item cernitur damnatio erroris, cum dicantur audivisse in verbo veritatis; fieri mentionem eos cognovisse gratiam Dei deprimendam et veritatem evangelii obscurandam. Sed si apostolus declarare voluit pro quibus gratias agat, debuit efferre illos veritatem evangelii, gratiam Dei cognovisse; ergo in his superfluum est, rationem polemicam velle expiscari; si eos laudare voluit, debuit dicere eos esse πιστούς, et eos in antecessum bona coelestia, non terrena, futura, non praesentia exspectasse. Proinde videtur simplex expositio sufficere. Neque enim in subsequentibus statim apparet ratio polemica; eius autem initium clare assignatur 2,4. Neque iuvat provocare ad epistolam ad Galatas, in qua utique statim ab initio sermo apparet pugnax et perstringens. Sed ea occasione ob causas iustissimas Paulus erat animo maxime commoto ob periculum imminens et ob insignem levitatem et inconsiderantiam insensatorum Galatarum. In nostra epistola autem nihil eiusmodi cernitur.

Audivit apostolus Colossensium fidem et dilectionem, evangelium apud eos fructificare et crescere, ipsos bene esse edoctos de gratia Dei. Haec bona ut permaneant et augeantur, se instanter petere a Deo affirmat, et eo ipso Colossenses quoque docet quid et quomodo eos oporteat orare (cf. *Iust.*) v. 9 *ideo et nos* : recte graeci, *Cai. Est. Lap. Abbott, Ew.* referunt ideo ad omnia antecedentia a v. 4; nam quod *Hpt.* vult, solum pertinere ad v. 8, vix admitti potest, scil. apostolum pro iis constanter orare et maxima bona pro eis efflagitare, quia audierit se diligi in spiritu ab eis; hoc tamen nimis angustum videtur neque animo Pauli dignum. Neque sequitur ex eo quod dicat *et nos*, quae sit arcta oppositio ad v. 8 vos me diligitis, ideo et nos; potest concedi hoc *et nos* aliqua ratione induci ex v. 8 et insuper nonne ex omnibus quae audivit de Colossensibus apostolus necessario colligere debuit etiam eos orare? Ergo bene potuit pergere *ideo et nos*, respiciens ad v. 4 et sequentia, prout indicare videtur ipse addens *ex qua die audivimus*; simili modo, uti hic, ita etiam Eph. 1,15 διὰ τοῦτο ad longiorem partem antecedentem refertur, et 1 Thess. 2,13.

Quanta cura eorum ac sollicitudine teneatur ostendit, quia simul atque de iis audivit, incepit pro eis orare neque destitit : *ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes*, vide Eph. 1,16; locutione hac *non cessamus* idem significatur, quod aliis in epistolis plerumque adverbiis πάντοτε, semper (Rom. 1,10; 1 Cor. 1,4; Eph. 5,20; Phil. 1,4;

1 Thess. 1,2 etc.) vel ἀδιαλείπτως, sine intermissione (Rom. 1,9. 1 Thess. 1,2; 2,13; 5,17. 2 Tim. 1,3) exprimitur; quod frequenter fit, semper fieri locutione vulgari significari solet, προσευχόμενοι *orantes*, orare pertinet ad elevationem mentis ad Deum (*Cai.*) et est notio generalis; specialis orandi modus est petitio *et postulantes;* quid autem efflagitet et in quem finem, exponitur *ut impleamini agnitione voluntatis eius,* ἵνα πληρωθῆτε non dicit, ut accipiatis, acceperunt enim, sed ut impleamini (*Chrys.*) τὴν ἐπίγνωσιν, ut quoad cognitionem mensuram plenam attingant; habent iam cognitionem (v. 6), sed haec perficienda est et explenda; nam, ut *Chrys.* dicit: ἔγνωτε· ἀλλὰ δεῖ τι καὶ ἐπιγνῶναι, addi etiam debet ad cognitionem; et ita quidem, ut nulla ex parte intellectus vacuus maneat cognitione voluntatis Dei (*Cai.*).

Merito animadversum est, apostolum in istis epistolis ex captivitate romana multum ponere momentum in *cognitione maiore* quam fidelibus et adprecatur et commendat. Ita Eph. 1,17. Phil. 1,9. Philm. 6. Col. 3,10; et distinctionem inter γνῶσιν et ἐπίγνωσιν, quam modo audivimus a *Chrys.* indicari, etiam ipse apostolus satis declarat 1 Cor. 13,12 ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην et similiter Rom. 1,21.28 γνόντες τὸν Θεόν... οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει. Indicat itaque apostolus opus esse ut fideles, uti aetate progrediuntur, ita in cognitione quoque rerum religiosarum proficiant, quo exsurgentes errores facilius vitent atque depellant. Cernitur in istis quasi prolusio quaedam ad monita illa, quae 1 Tim. 3,2.9; 4,13.15.16; 5,17; 6,20 et Tit. 1,9 traduntur de doctrina excolenda.

Quaenam autem voluntas Dei intelligatur, videtur hoc loco ipsis sententiis subiunctis v. 10 11 satis declarari; quare notio voluntatis non erit restringenda ad decretum seu beneplacitum Dei circa reconciliationem et salutem generis humani (*Est. Lap.*), neque cum *Chrys. Oec. Thph.* ad cognitionem, redemptionem factam esse non per angelos, sed per Christum, neque cum *Theod.*, observantias legales esse contra Dei voluntatem; recte autem *ThdM.* voluntatem Dei declarat ex sequentibus: « oramus, ut omni sensu spiritali repleti cognoscere possitis Dei voluntatem, digne ei conversantes et per omnia placere ei properantes » (*Swete* l. c. p. 258; eadem habet Rhabanus, *M.* 112,509). Neque ex Eph. 1,8 pro nostro loco explicatio voluntatis petenda est, cum contextus utrobique sit plane alius. Haec autem plena mensura cognitionis ut illis contingat, efflagitat, *in omni sapientia et intellectu spiritali,* vide Eph. 1,8: sapientia illud donum est et talis mentis illustratio, ut ubique iudicium feratur secundum rationem causae supremae (*Cai.*), et ut sub hoc respectu singula considerentur et apte ad finem dirigantur; σύνεσις intelligentia scil. recta et perspicientia rerum qua eorum natura, indoles cognoscatur et norma praebeatur ad agendum. Quod additur *spiritali* πνευματικῇ, declarat originem sapientiae et intellectus ex spiritu Dei,

talem intelligentiam sapientiam quae desursum est (Iac. 3,17). Uti auctor, ita pariter indoles sapientiae et intellectus designatur. Verum pertinetne hoc membrum revera ad hanc partem?

Aliqui enim hoc membrum coniungunt cum sequentibus (cf. *Ew.*). Primo advertunt in petitione v. 9 πνευματικῇ plane abundare, dum in subsequentibus bonum habeat sensum. Dein : ut impleamini agnitione voluntatis Dei, sententia est bene in se conclusa, quae ulteriore determinatione non indigeat, et quod additur : in omni sapientia etc. nequit esse quasi quaedam suppletio ad plenitudinem cognitionis voluntatis Dei, quia e contra ex plenitudine talis cognitionis tandem oritur et emanat sapientia et σύνεσις spiritualis, non autem vice versa. Vertunt enim et explicant : ut impleamini cognitione voluntatis in forma omnis sapientiae, vel propter omnem sapientiam (auf Grund von aller Weisheit; cf. *Hpt.*). Accedit forma sententiarum ; nam singulae partes quae subduntur incipiunt v. 11 in omni virtute, in omni patientia, ergo consequens est, ut prima quoque pars v. 10 inchoetur in omni sapientia.

Hac connexione assumpta, apostolus efflagitat plenitudinem cognitionis voluntatis Dei eum in finem, ut in omni sapientia et intellectu seu intelligentia spirituali vitam agant dignam Deo, *ut ambuletis digne Deo*, τοῦ κυρίου, Domino Christo, *per omnia placentes*, cognitio voluntatis Dei debet fructum ferre, et quo maior illa, eo uberior hic erit, unde additur εἰς πᾶσαν ἀρεσκείαν, ecce ambitus eorum quae praestanda sunt ; perveniendum est, ut quidquid Christo placet, hoc appetant, ut tota eorum vita sit omne beneplacitum Christi. Vitae ratio debet regi omni sapientiâ, ut omnibus in rebus iudicium ferant et singula dimetiantur ex causis et rationibus altissimis, et intelligentiâ, ut norma ad agendum repetatur ex recta rerum intelligentia. Quomodo hac ratione digne Christo ambulent, explicatur subiunctis sententiis, v. 11 *in omni opere bono fructificantes*, participia v. 10-12 refer non ad πληρωθῆτε, sed adiunge ad περιπατῆσαι, cf. Eph. 4,3; vita eorum debet fertilis esse bonis operibus, ferens fructum omnis generis bonorum operum, ut nullum opus bonum quod temporis ac rerum ratio postulet omittatur (*Est.*) ; cf. Rom. 2,7 ; Gal. 6,9. 10; 2 Thess. 2,16 ; qualis autem fructus exspectandus sit, docemur Gal. 5,22 : fructus autem Spiritus est caritas etc.

Incrementum continuum efflagitat apostolus pro iis : *et crescentes* καὶ αὐξανόμενοι τῇ ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ, quod vulg. habet *in scientia Dei* (in paucis ἐν τῇ, εἰς τὴν) non congruit cum lectione a plerisque testibus comprobata, nec cum v. 9, in quo iam plenitudo cognitionis postulata est. Quare τῇ ἐπιγνώσει explica : cognitione quam de Deo habent ad continuo crescendum impellantur ; ipsa illa plenitudo cognitionis se debebit praestare efficacem, et quo maior erit cognitio Dei intima, eo maior enasce-

tur fructus ; nam ἑκάτερον γὰρ ἑκατέρου συστατικόν (*Thph.*). Qua cognitione non solum opera bona augentur, sed etiam ipsi in animis suis habebunt profectum amoris Dei. Apostolus optime scit, quot et quantis impugnationibus et tribulationibus fideles exponantur; quare pro iis etiam postulat robur v. 11 *in omni virtute confortati* ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι, dum omni robore corroboramini, quod robur exposcit insigne, eximium, scil. *secundum potentiam claritatis eius* τῆς δόξης αὐτοῦ, ita ut in largitione roboris manifestetur potentia maiestatis et gloriae Dei; petit, ut mensura roboris a Deo determinetur secundum rationem potentiae, quae gloriae divinae sit consentanea.

Tale autem robur praestantissimum nobis efflagitandum est *in omni patientia* εἰς πᾶσαν ὑπομονήν ad omnem tolerantiam, scil. ut in rebus adversis, arduis, exhibeamus animum non ignavum, nec difficultate fractum, sed constanter perferentem et cum mentis aequitate perseverantem, *et longanimitate* καὶ (εἰς) μακροθυμίαν, qua affectibus irae et vindictae resistitur, qua exercetur lenitas erga offendentes. Graeci ὑπομονήν dicunt locum habere erga externos, tyrannos, erga eos quos non possumus ulcisci, sed quos sustinere et tolerare debemus ; μακροθυμία autem exercetur inter nos mutuo, est lenitas et animus quasi longus, diu pacatus erga eos quos ulcisci possemus. Et bene additur *cum gaudio* μετὰ χαρᾶς, haec igitur tolerantia et haec longanimitas exhibenda est et exercenda non cum tristitia seu animo exulcerato, moroso, stomachoso, neque cum suspiriis et gemitibus, sed animo alacri, hilari, laeto. Permultum enim interest, quo animo quis ferat offensiones ac molestias. « Valde magnum donum adiungit inter patiendum gaudere » (*Cai.*) et *Thom.* subdit verba Iac. 1,2: omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis; et eundem animum prodit apostolus : mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri (Gal. 6,14) et Rom. 5,3 gloriamur in tribulationibus, et 2 Cor. 6,10 quasi tristes, semper autem gaudentes; cf. 1 Petr. 4,30 et Christus ipse nos gaudere iubet in variis infestationibus (Matth. 5,12).

Dubium non est quin *cum gaudio* omnino apte referatur ad antecedentia. Id elucet ex ipsa re; nam potius monendum erat, ne cum tristitia exerceant patientiam, quam adhortandum, ut cum gaudio agant gratias. Dein in v. 11 expetitur insigne quoddam robur secundum mensuram potentiae gloriae Dei; iam huic plane consentaneus effectus ille insignis, ut cum gaudio suscipiantur adversa. Dein locis supra allatis satis constat eiusmodi cogitationem fuisse apostolo familiarem. Et ita locutionem iungunt ad antecedentia *Theod.* μετ' εὐθυμίας, alacri animo ferentes vehementes adversariorum fluctus; item *ThdM.* : ita ut gaudium habeatis in illis propter mercedem, item *Thom. Cai. Nat. Hpt.* Alii autem, uti *Chrys. Oec. Thph. Est. Lap. Abb. Ew.*, adiungunt ad « gratias agentes ». Ratio

a recentioribus affertur concinnitas sententiarum; nam partes singulas incipere a determinatione quadam cum praepositione: in omni opere, in omni virtute, in omni patientia; ergo cum gaudio gratias agentes. At haec ratio valde infirma est; nam sententia in v. 12 valde difformis est a prioribus in structura, quare talis conformitas immerito postulatur. Demum quaeri oportet, utro loco *cum gaudio* habeat sensum meliorem, imo necessarium. In ipsa notione actionis gratiarum iam continetur aliqua significatio gaudii. — Ut alii, ita *Iust.* rem in medio relinquit adducta utraque sententia; et in paraphrasi refert ad antecendens.

Et quomodo non solum patienter, sed cum gaudio ferre possimus quaevis dura et adversa, aliquo modo explicat apostolus in v. 12 *gratias agentes Deo Patri* τῷ Πατρί, qui nos filios adoptavit; notatu dignum est, quoties apostolus ad gratias agendas adhortetur; vide Eph. 4,5.20; Phil. 4,6; Col. 2,7; 3,17; 1 Thess. 1,2; 2 Thess. 1,3; 2 Cor. 4,15 etc. Gaudium enim illud nos mediis in tribulationibus comitabitur, si nostram filiorum dignitatem et Patris in nos benevolentiam et largitatem consideramus; unde pergitur: *qui dignos nos fecit* τῷ ἱκανώσαντι idoneos nos fecit — ἡμᾶς a plerisque commendatur, ὑμᾶς a paucioribus — *in partem sortis sanctorum*, qui nos idoneos et aptos fecit, ut possimus habere partem ex illa sorte, quae sanctis contingit; κλῆρος sors, dein id quod sorte attribuitur. Deprehendunt veteres in sorte gratuitum Dei beneficium; sortem vocat, ut ostendat, quomodo sors non est diligentiae humanae, sed fortunae potius, ita nos non ex nostris meritis regno dignos iudicari (*Thph.*). Ceterum κλῆρος fere eundem habet significationem sicut κληρονομία, hereditas. Et mentio Patris, cuius filii sumus adoptione, etiam suggerit notionem hereditatis ad quam a Patre vocamur et ad quam capessendam pro nostra parte et portione gratia eius idonei reddimur; est sors sanctorum i. e. fidelium; hereditas omnibus fidelibus proposita, est participatio bonorum regni Dei.

Additur ulterior determinatio *in lumine*, ἐν τῷ φωτί, quod membrum in varias partes est explicatum; graeci, *Cai. Est. Nat.* intelligunt: nos idoneos facit lumine fidei et cognitionis Dei; contra quam acceptionem iam militat collocatio; nimis distant verba. Aliis placuit vocem intime iungere: sancti in lumine, vel angeli in lumine coelesti, vel beati in lumine coelesti; quod utrumque a modo loquendi apostoli alienum est: οἱ ἅγιοι sunt fideles in terra viventes. Alii ἐν φωτί explicant ἐν δόξῃ sors: sanctorum est in gloria (*Ecc.*). Sors sanctorum sita est in lumine evangelii (*Lap.*), sita est in regno lucis, in regno Dei (*Abb. Hpt.*). Subdit apostolus nos esse ereptos de potestate tenebrarum, et translatos in regnum Filii v. 13; ceterum fideles sunt lux in Domino, filii lucis, induti armis lucis (Eph. 5,8; 1 Thess. 5,5; Rom. 13,12); proinde mirum non est etiam sor-

tem fidelium, hereditatem reponi in luce. Si respicitur Act. 8,21 κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, sors in sermone isto i. e. hac in re, posset locutio ita intelligi, ut sors sanctorum sit participatio quaedam lucis (Anteil am Lichte). — Sententia v. 12 omnino apte iungitur ad id quod immediate praecedit; et iste contextus minime turbatur lectione ἡμᾶς *nos*, quare minime opus est *gratias agentes* referre ad v. 9 non cessamus pro vobis orantes, uti referre et connectere volunt *Chrys. ThdM. Thph. Cai. Iust.;* at recte monet *Est.:* « verum simplicius est, ut absque hyperbato pars ista cum proximis connectatur et proinde referatur ad Colossenses, ad quos utique pertinent participia quae ordine praecesserunt. Iam deinceps exponit simulque ingressum facit ad praecipuam doctrinam huius epistolae, quae est de beneficio Dei per Christum ».

De summa dignitate Christi redemptoris, 1,13-23.

1,13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*, 14. *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum;* 15. *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae*, 16. *quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* 17. *et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant.* 18. *Et ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens;* 19. *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, 20. *et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris sive quae in coelis sunt.* 21. *Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu in operibus malis*, 22. *nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso;* 23. *si tamen permanetis in fide fundati et stabiles et immobiles a spe evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura quae sub coelo est, cuius factus sum ego Paulus minister.*

1,13. Ὃς ἐρύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους καὶ μετέστησεν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, 14. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν, τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, 15. ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, 16. ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ εἴτε ἐξουσίαι· τὰ πάντα δι'αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. 17. καὶ αὐτός ἐστιν πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν, 18. καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος, τῆς ἐκκλησίας, ὅς ἐστιν ἀρχή, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, 19. ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησεν πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, 20. καὶ δι'αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. 21. καὶ ὑμᾶς ποτὲ ὄντας ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, 22. νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ διὰ τοῦ θανάτου, παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους καὶ ἀνεγκλήτους κατενώπιον αὐτοῦ, 23. εἴγε ἐπιμένετε τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι καὶ ἑδραῖοι καὶ μὴ μετακινούμενοι ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ εὐαγγελίου οὗ ἠκούσατε, τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, οὗ ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος διάκονος.

Priores sententiae ex una parte arcte cohaerent cum proxime antecedente, ex altera autem transitum constituunt ad argumentum principale,

ad Christum, de cuius sublimitate agitur a v. 15. Explicatur itaque in v. 13.14 et clarius per singula proponitur illud in v. 12 ἱκανώσαντι ἡμᾶς, quomodo Pater nos idoneos fecerit ad partem sortis sanctorum in lumine et quidem prius v. 13 *qui eripuit nos de potestate tenebrarum*, de potestate seu dominatione, tyrannide (*Chrys.*) quam tenebrae in nos exercebant; nomine tenebrarum apostolus conditionem ignorantiae rerum divinarum et peccatorum designare solet; cf. Rom. 13,12; 2 Cor. 6,4; Eph. 4,18; 5,8.11; 1 Thess. 5,4; dixit ἐρύσατο, ostendens magnam nostram miseriam et captivitatem, et non solum dicit de tenebris, sed *de potestate*, in nos enim magnam habuit potestatem et dominationem obtinuit; est enim grave vel solum esse sub diabolo (Eph. 6,12 κοσμοκράτωρ τοῦ σκότους τούτου), cum potestate autem, est hoc quoque gravius (cf. *Chrys. Oec. Thph.*); cf. Luc. 22,53 haec est hora vestra et potestas tenebrarum.

Ereptos ex potestate tenebrarum *transtulit in regnum Filii dilectionis suae*, quem singulari dilectione amat; cf. Eph. 1,6. Haec translatio fit, simulac in Christum baptizati Christum induimus (Gal. 3,27; Rom. 6,4.5); cf. 1 Petr. 2,9 qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Dicit *in regnum*, nam, ut apostolus alibi loquitur, oportet autem Christum regnare, donec Deus ponat omnes inimicos sub pedibus eius; si hoc plene factum fuerit, si ergo finis advenerit, tunc tradet Christus regnum Deo et Patri (1 Cor. 15,24.25). Regnum ergo Filii exercetur per decursum saeculorum et hisce in terris habet suam formam in ecclesia militante. Iam regni eius et bonorum huius regni participes facti sumus, id quod declaratur v. 14 *in quo habemus redemptionem*, nostra redemptio fundatur in Christo et singuli eius participes fiunt, si per baptismum in Christum inseruntur, in unione cum Christo; *per sanguinem eius*, haec pars legitur solum in codicibus minusculis sat multis et apud *Theod. Oec.*, videtur hoc membrum transsumptum ex Eph. 1,7; etsi hoc loco non legatur, tamen in ipsa voce ἀπολύτρωσις innuitur servi vel captivi liberatio quae per iusti pretii solutionem (λύτρον) efficitur; et eiusmodi pretium est sanguis Christi, uti Paulus Eph. 1,7. Rom. 3,25; 5,9 et mox in hac epistola v. 2 indicat et Petrus explicite docet, nos non corruptibilibus, auro vel argento, esse redemptos, sed pretioso sanguine Christi (1,1,18).

Adhuc notanda est una interpretatio S. Augustini (de Trinitate, 15,19,37; *M.* 42,1087); scribit enim : « quod autem dictum est *Filii caritatis* suae, nihil aliud intelligatur, quam Filii sui dilecti, quam Filii postremo substantiae suae. Caritas quippe Patris quae in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam eius ipsa natura atque substantia, ut saepe iam diximus et saepe iterare non piget. At per hoc Filius caritatis eius nullus est alius, quam qui de substantia eius est genitus ».

Quae tamen explicatio catholicis expositoribus non multum arrisit. Ad eam explicationem respiciens scribit *Thom:* « dilectio dicitur quandoque essentialiter,

ut dicitur in glossa; Filii ergo dilectionis suae, dicitur, id est filii sui dilecti vel filii essentiae eius. Sed numquid haec est vera : filius est filius essentiae Patris? dicendum est quod si genitivus designat habitudinem causae efficientis, est falsum, quia essentia non generat nec generatur. Si autem designat formam, id est habens essentiam suam quasi materialiter, sicut dicitur aliquid egregiae formae, id est habens egregiam formam, sic est vera (Ioan. 3,35) : Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius ». Et *Est.* contra explicationem Aug. notat: sed magis apparet apostolum usum esse hebraismo, quo genitivus vice epitheti ponitur, i. e. filii sui dilecti. Alii de illa explicatione tacent vel explicite monent: non quasi Filius per dilectionem procedat (cf. *Lap. Iust. Nat.*). Verum illa s. doctoris expositio valde placuit anglicano episcopo *Lightfoot*, qui eam intime connexam esse ait cum sequenti designatione : εἰκὼν τοῦ Θεοῦ et qui communi interpretatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἠγαπημένου totam vim locutionis destrui affirmat (the loose interpretation destroys the whole force of the expression). Plane immerito provocat *Lightfoot* ad Origenem (c. Celsum 5,11; *M.* 11,1197); ibi enim εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ nullatenus est explicatio dictionis ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ Πατρός, sed refertur ad explicationem : nemo bonus nisi Deus : quid me dicis bonum, scil. quomodo qui est imago bonitatis Dei, tamen ita loquens potuerit alloquentem se ad Patrem remittere. Dicit *Dam.* Filium vocari τῆς ἀγάπης αὐτοῦ propter impletionem operis a Patre pro salute mundi impositi.

Huius redemptionis unum effectum et fructum quodammodo primarium affert remissionem peccatorum τὴν ἄφεσιν, non qualemcunque condonationem, nec obtectionem culparum, sed veram et perfectam *remissionem* i. e. ablationem et exstinctionem totius reatus, non aliquorum peccatorum, sed omnium : hanc Christus nos redimens promeruit nobis. Ad notionem ἡ ἄφεσις vide Matth. 26,28; Marc. 1,4; Luc. 1,77; 3,3; 7,48; Hebr. 9,22; 10,18 etc. Cum toto hoc loco egregie congruunt ipsa illa verba, quae recitantur Act. 26,18 et quibus ratio et finis eius apostolatus exprimitur : ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem.

Iam incipit apostolus huius Filii sublimitatem et dignitatem describere et quidem habita ratione Dei v. 15, creaturarum v. 16.17, ecclesiae v. 18. Et primo quoad Deum v. 15 *qui est imago Dei invisibilis* τοῦ ἀοράτου. cf. 2 Cor. 4,4; imago perfecta, similitudo Dei perfectissima, ex quo nomine veteres Patres arguunt contra Arianos, monentes non angelos, sed hominem vocari imaginem Dei, quia in homine ob vilem eius conditionem non sit periculum erroris, verum si angeli vocati essent imago Dei, naturae sublimitas potuisset multos iniicere in errorem. Ceterum qualis imago intelligenda sit, satis elucet ex subsequentibus v. 16.17; 2,9; et bene ait *Theod.* ἐναργεῖς γὰρ φέρει τοῦ γεγεννηκότος τοὺς χαρακτῆρας expressos enim eius qui genuit characteres gerit; cf. Hebr. 1,3. Verum imago etiam ad id inservit, ut repraesentet absentem, ut in notitiam nos inducat incogniti. Estne haec quoque ratio imaginis in Christo? Hanc effert

Theod. quoque : « hoc ipsum est quod Philippo a Domino dictum est: qui videt me, videt et Patrem (Ioan. 14,9). Per Christum nobis cognitio Dei allata est ; nam Patrem nemo novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (Matth. 11,27) ; nemo vidit Patrem, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem (Ioan. 6,46) ; ecce Deus invisibilis ; unigenitus Filius ipse enarravit (Ioan. 1,18) ; ipse notum fecit nomen Patris (Ioan. 17,26). Eandem rationem imaginis *Dam.* declarat : « nam ex operatione quam in adventu suo praestitit, Dei naturam novimus τὴν οὐσίαν τὴν πρὸ τῆς παρουσίας) ; Dei siquidem opus est exstinguere mortem et pro ea vitam restituere mundumque ad Deum reducere ; ideo dicit : *qui est imago Dei invisibilis*, ut monstret hunc esse Deum, nec tamen ipsum esse Patrem, sed imaginem Patris, ταυτότητα ἔχων πρὸς αὐτόν, οὐκ αὐτὸς ὢν ἐκεῖνος, quippe qui habeat ut idem sit ac ille, cum ipse non ille sit ». Similiter ait *Ephr.* : per manifesta opera sua est imago Dei invisibilis. Ad Deum itaque invisibilem et cognoscendum et tandem oculis mentis in patria videndum non alia nobis patet via quam per Christum qui est Dei imago (cf. *Est.*).

Deum esse invisibilem, Christum imaginem Dei, hisce iam brevissime enuntiatur habitudo Christi ad Deum et simul eius ratio ad nos, per quem scil. solum ad Deum cognoscendum et demum videndum pertingere possimus. Alia eius dignitas ratione creaturae declaratur : *primogenitus omnis creaturae* [1] πάσης κτίσεως ; in vetere testamento primogenitus habet dignitatem magnam prae aliis ; cf. Ex. 4,22 ; Ps. 88,28 ; Ex. 13,2 ; Lev. 27,26 ; Num. 3,13 ; Deut. 21,17 primogenitus accipit cuncta duplicia ; 2 Par. 21,3 ; unde in primogenito praevalet notio dignitatis. Christus itaque dignitate praecellere dicitur prae qualibet seu omni creatura ; notio dignitatis potissimum spectatur et notio dominationis quae primogenito convenit (cf. 1 Par. 5,1). Quare bene dicit *ThdM.* : primogenitus non tempore dicitur solum, verum et ἐπὶ προτιμήσεως saepe et ἀντὶ τοῦ·

1. Vide egregiam dissertationem a P. Durand scriptam in Recherches de science religieuse 1 p. 56 sqq. ; p. 61 hanc locutionem explicat : souverain du monde entier.

Ceterum disceptatur quoque, quomodo πάσης κτίσεως intelligendum sit ; uti locutio iacet, πᾶσα κτίσις est vel quaevis creatura vel omne id quod est creatura, omnis creatura. Aliqui etiam ei vindicare volebant notionem totius creaturae (seu creationis) quamvis desit articulus, affirmantes κτίσιν adhiberi etiam sine articulo, sicut κόσμος, γῆ, οὐρανός. Ita Lightfoot ; alii id negant, uti Abbott. Vertendum esse *quaevis res creata* contendunt Abbott, Haupt ; *omnis creatura* Ewald. Si secundum usum πάσης κτίσεως non verti potest totius creaturae seu totius creationis, sequitur istum genitivum non posse esse genitivum partitivum, et proinde acceptionem Arianorum, Christum designari veluti eum qui de tota creatura seu, de tota creatione (genitivus partitivus) tamquam primus exstiterit iam ipsa forma grammatica refutari, et refutatur insuper voce πρωτότοκος, uti veteres monent ; in sensu ariano expectaretur πρωτόκτιστος. Iste genitivus solum esse potest genitivus comparationis : πρωτότοκος prae omni creatura, seu prae qualibet creatura, scil. dignitate ac dominatione.

παρὰ πᾶσαν τὴν κτίσιν τιμώμενος. Estne in voce ea notio originis quoque? Hoc quidem loco posset rite explicari, uti *Theod.* ait : est primogenitus creaturae, non quod sororem habeat creaturam, sed quod ante omnem creaturam sit genitus (sim. *Est. Lap.*) ; at oportet attendere mox eum vocari primogenitum ex mortuis et Rom. 8,29 primogenitum in multis fratribus, ubi de notione generationis sermo fieri nequit. Unde praestat etiam hic significationem efferre dignitatis ; « ita et ecclesiam primogenitorum sanctorum coetum appellavit apostolus, ad eorum excellentiam hoc nomine designandam, quia maior quidam honor primogenitis lege tribuebatur » (*Nat.*). Dein ratione Dei Christus seu Filius non tam primogenitus est, sed unigenitus. Quare recte dicit *Iust.* in paraphrasi : Christus, si cum rebus creatis conferatur, omnium primogenitus vel potius princeps iure optimo nuncupabitur.

Singulari ratione vocem interpretatur S. Basilius; putat enim Christum dici primogenitum mortuorum, διὰ τὸ αἴτιος εἶναι τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, unde concludit : οὕτω καὶ πρωτότοκος κτίσεως, διὰ τὸ αἴτιος εἶναι τοῦ ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν τὴν κτίσιν (contra Eunom. lib. 4, *M.* 29,701), Christum esse effectorem seu auctorem uti resurrectionis, ita creaturarum. Simili modo Isidorus pelusiota interpretatur vocem : primus auctor : πρῶτον αὐτὸν τετοκέναι, τοῦτ' ἔστι πεποιηκέναι τὴν κτίσιν (Epist. l. 3,31 ; *M.* 78,749), eum res conditas primum peperisse i. e. effecisse ; pro qua explicatione provocat ad Homerum : καὶ τοῦτ' ἀκριβῶς ἴστε μάλιστα ὑμεῖς οἱ ὁμηρίζοντες. πρωτοτόκος γὰρ ἡ πρώτως τεκοῦσα ἐκείνῳ εἴρηται, legentibus Homerum notum esse, πρωτοτόκον dici eam quae primum peperit. Verum iam sola locutio, Christum omnem creaturam peperisse, satis mira est, et a limine repudianda. Neque ullo pacto κτίσις cum veteribus nonnullis et recentioribus interpretanda est καινὴ κτίσις, de nova creatura (cf. Gal. 6,15 ; 2 Cor. 5,17).

In tota hac parte, 1,14-20 loquitur apostolus de Filio dilecto a Patre, de persona Filii, sed ita ut ea efferat quae ad hanc personam pertineant modo ratione naturae humanae (v. 14.18.20) modo ratione naturae divinae (v. 15-17). Sed propterea haec pars non est discerpenda, ut dicatur v. 15-17 referri ad Verbum ante Incarnationem, v. 18-20 ad Verbum incarnatum. Apostolus unam Christi personam in gloria constitutam ob oculos habet et de Christo qui ei apparuit, a quo evangelium accepit, omnia illa coniunctim enuntiat.

Postquam Ariani locutione « primogenitus omnis creaturae » abusi sunt, ut Verbum seu Filium Dei assererent esse creatum, aliqui Patres hanc locutionem novo modo, eousque inusitato explicarunt, ut Arianis argumentum eriperent. Hanc locutionem ad Verbum incarnatum solum applicare volebant eo sensu, ut diceretur primogenitus omnis quae per

evangelium facta est creationis; ita *S. Gregorius* nyss. c. Eunom. (*M.* 45,501) et alio loco ait Unigenitum dici Verbum aeternum, Verbum autem incarnatum dici primogenitum creaturae in Christo factae (de perfectione *M.* 46,276). Eodem modo rem exponit *S. Cyrillus* alex.: primogenitus i. e. quando per gratiam multos Dei filios effecit (Thesaurus, assertio 13; *M.* 75,404) et alio loco: quando se exinanivit, tunc etiam primogenitus ὁ Μονογενής. Eodem modo, uti Cyrillus, etiam *S. Athanasius* primogenitum dici ait eo quod ad creaturas descenderit (συγκατάβασιν πρὸς τὰ κτίσματα or. 2,62; *M.* 26,277): sed idem etiam non dubitat primogenitum explicare γέννημα τοῦ Πατρός; cum omnis creatura a Patre per Filium ab aeterno genitum sit, διὸ πρῶτός ἐστι πάσης κτίσεως ὁ Θεὸς Λόγος (Expositio fidei, *M.* 25,205).

Christum dignitate praestantiorem prae omni creatura probatur ex potestate creatrice eius personae v. 16 *quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra*, ἐν αὐτῷ in intimo nexu cum ipso et haec coniunctio mox declaratur duplici illa locutione, τὰ πάντα δι'αὐτοῦ per ipsum, καὶ εἰς αὐτόν et in ipsum creata sunt, ipse est causa efficiens et causa finalis, principium et finis omnium. Etiam magis declarantur haec omnia, *visibilia et invisibilia*, corporea et incorporea, quae sensibus subiacent et spiritualia, quae apparent et quae sola mente attinguntur. Iam ratione habita pseudodoctorum eorumque errorum, ex genere invisibilium ordines angelorum ab ipso esse conditos speciali modo enuntiatur, *sive throni*, *sine dominationes*, cf. Eph. 1,21 nominantur ἐξουσίαι (ὑπεράνω πάσης ἐξουσίας etc.), ἀρχαί, δυνάμεις, κυριότητες, Eph. 3,10 ἀρχαί, ἐξουσίαι, cf. 1 Cor. 15,24; Rom. 8,38 ἄγγελοι, ἀρχαί; throni alibi non commemorantur. Enumeratione facta cum emphasi repetitur: *omnia per ipsum et in ipso creata sunt* καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται, in ipsum, tamquam in finem, omnia convergunt, diriguntur; cf. Rom. 11,36; Hebr. 2,10 propter quem omnia et per quem omnia, et Apoc. 22,13 ego sum A et Ω, primus et novissimus, principium et finis. Dicitur ἔκτισται creata sunt et manent, dum ἐκτίσθη eventum praeteritum declarat, notatur hic permanens in praesenti conditio; vide Ioan. 1,3 χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγογεν.

Et quantopere intersit apostoli inculcare personae Christi praeexistentiam et praeeminentiam et potentiam creatricem, apparet ex repetitione: v. 17 *et ipse est ante omnes* πρὸ πάντων, ipse scil. solus, prior omnibus, nulla creatura talem eminentiam occupat; et Basilius cum emphasi effert ἔστιν, ἔδειξε τὸν μὲν ἀεὶ ὄντα, τὴν δὲ κτίσιν γενομένην (contra Eunom. l. c.) *et omnia in ipso constant*, uti creata sunt in ipso, ita etiam in ipso perdurant, conservantur; cf. Hebr. 1,3 portans omnia verbo virtutis suae. Dicitur ἐν αὐτῷ in eo omnis rerum permanentia et conservatio fundatur et residet; cf. Act. 17,28 similiter de Deo: in ipso vivimus, movemur et sumus. Ex-

plicat *Thph.*: ἐν αὐτῷ δὲ συνέστηκεν ὡς θεμελίῳ, in ipso consistunt tamquam in fundamento, hoc significat τὰ πάντα ἐν αὐτῷ φέρεσθαι. Melius vertitur: *et ipse est ante omnia*, uti syrus habet; « respicit enim τὰ πάντα, quae versu praecedenti dixit in Christo esse creata » (*Lap.*, similiter *Cai. Est. Nat. Iust.*); sed iam Tertullianus legit *ante omnes* (adv. Marc. 5,19). Eminentia personae Christi demonstratur, quia omnia per ipsum, et in ipsum creata sunt et in ipso consistunt, perdurant, conservantur; non solum semel ab eo acceperunt ut essent, verum continuo ab eo habent ut sint et in exsistentia permaneant. Ceterum de nominibus et ordinibus angelorum, vide ad Eph. 1,21.

Dein exponitur quae sit ratio Christi ad ecclesiam v. 18 *et ipse est caput corporis ecclesiae*, καὶ αὐτός unus idemque est ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία, cf. 1,24; ex capitis excellentia concludenda est magnitudo beneficii coetui fidelium collati ac proinde singulis quoque fidelibus collati : ceterum vide Eph. 1,22. Tamquam appositio apponitur *ecclesiae* ad *corporis;* posset per se considerari velut genitivus epexegeticus corporis ecclesiae, i. e. corporis et istud corpus conficitur per ecclesiam (cf. Rom. 12,4; 1 Cor. 12,12). Sed prior modus est magis simplex. Caput autem non dicitur significatione praefecti aut domini aut solum superioris, sed ad naturalis capitis similitudinem Christus est caput mysticum ecclesiae, quia erga eam simili ratione se habet atque caput naturale ad corpus suum, quippe in cuius membra singula ex capite, quod quasi sedes et centrum est omnium virium vitalium, virtus omnis diffundatur, ita ut ex capite membra habeant non tantum quo nutriantur, conserventur, crescant, agant, sed etiam quo inter se ad unum corpus constituendum compingantur et uniantur (cf. Eph. 4,15.16; 5,23.29). Uti in antecedentibus designatus est tamquam creator et conservator omnium (v. 16.17), ita nunc *ipse* (et non alius) declaratur esse etiam novae creaturae creator, seu auctor et effector reparationis et redemptionis omnium. Idque sequentibus explicatur.

Atque in hoc novo ordine nobis exhibetur Christus : *qui est principium* ὅς ἐστιν ἀρχή (ἡ ἀρχή, B), initium et causa efficiens, uti similiter dicitur Apoc. 3,14 ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, principium creaturae Dei, et magis ad hunc sensum : auctor vitae, ὁ ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς (Act. 3,15; 5,31); unde quoque denotatur ut fons perennis huius novi ordinis. Et quomodo sit ulterius principium, ἀρχή, explicatur altero titulo : *primogenitus ex mortuis*, nam ex doctrina apostoli resurrectio Christi habet duplicem pro nobis significationem et effectum : pro nostra regeneratione et iustificatione (Rom. 6,4 consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus, et 4,25 resurrexit propter iustificationem nostram) et

pro nostra resurrectione et gloria (Rom. 8,11; 1 Cor. 15,22 sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur). Christus igitur est principium et fons vitae gratiae et vitae gloriae, idque similiter exprimitur: *primogenitus ex mortuis*, designatur iterum in primogenito praeter rationem temporis prioris dignitas et eminentia et dominium idque ratione mortuorum, id est totius generis humani, mortui per peccatum et debitum mortis corporalis solventis. Ut vocatur v. 15 primogenitus ratione habita creaturae in universum, ita nunc ratione creaturae novae novique ordinis. Intime iunguntur ἀρχή, πρωτότοκος a graecis (ἀρχὴ τῆς ἀναστάσεως, ἀπαρχή) et similiter iungunt *Iust. Nat.* « quem primitias resurgentium et primogenitum ex mortuis iure dixerim » et ἀρχὴ ἐκ νεκρῶν pariter copulant *Vincent*, *Hpt. Ew.*, sed melius videtur considerari etiam absolute in se (cf. Hebr. 2,10; 13,2; Apoc. 21,6 ἐγώ εἰμι ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος).

Placet adscribere quomodo *Durand* (Recherches l. c. p. 64 titulum primogeniti ex mortuis declaret : en un sens très réel, encore qu'il soit limité pour le moment à l'ordre spirituel, tous les fidèles sont déjà ressuscités dans le Christ Jésus (Eph. 2,6. Col. 3,1). C'est bien de ce point de vue que l'auteur de l'Épître aux Hébreux 12,23 parle de « l'Église des premiers-nés, dont les noms sont inscrits dans les cieux. Ce passage a exercé la sagacité des commentateurs, mais de toutes les explications proposées, la meilleure, semble-t-il, est celle qui voit, dans ces premiers-nés, les prédestinés, objet des complaisances du Père, associés déjà à la vie divine et héritiers du royaume. C'est parce qu'ils appartiennent au Christ, le premier-né par excellence, comme les membres au chef, qu'eux aussi sont appelés « premiers-nés » tout court. S'il en est ainsi, la locution πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν reviendrait à dire, à s'en tenir au sens, que le Christ est « le prince des ressuscités ». Ce serait, en d'autres termes, et envisagée d'un aspect un peu différent, une conception identique à celle du Christ « tête du corps de l'Église ». Ici encore le titre de πρωτότοκος éveille, avant tout, l'idée de primauté.

In v. 17 πρὸ πάντων longe plerique explicant de tempore (graeci, *Thom. Cai. Est. Abb.*, aliqui de dignitate (*Lap. Hpt.*), alii de utroque *Iust. Nat.*). Arguit *Hpt.*, si de tempore diceretur, inepto loco esse positum et primo loco fuisse ponendum. Sed nonne simile dici posset de dignitate seu praeeminentia ? nam si omnia in ipso condita sunt et si omnia per ipsum et in ipsum creata sunt, tunc sane patet eum eminere prae omnibus; cur itaque nihilominus explicite asseritur ?

Atque haec omnia ordinata sunt et eo modo instituta, ut appareat illum ipsum, et non alium, primatum tenere in omnibus rebus et ordinibus (*Cai.*); *ut sit in omnibus ipse primatum tenens* ἵνα γένηται, ut fiat, scil. ut appareat et agnoscatur tamquam πρωτεύων cf. 3 Ioan. 9 φιλοπρωτεύων, et πρωτεύειν Esth. 5,11; 2 Mach. 6,18 et 13,15. Creatione rerum *est* ante omnia v. 17; tamquam caput ecclesiae et principium et primogenitus ex mortuis ipsa propagatione, incremento, diuturnitate ecclesiae per saeculorum cursum manifestatur et sese omnibus ut talem exhibet. Unde in

utroque ordine, in ordine creaturarum naturali, et ordine supernaturali gratiae et gloriae ipse tenet primas partes, est primus, supremus, summam gerens dignitatem et dominationem; omnia quippe creavit et conservat, et ipse largitur omnem gratiam et vitam supernaturalem, gloriam demum et beatam immortalitatem. Uti in antecedentibus τὰ πάντα, *omnia*, et ut v. 17 πρὸ πάντων, ita hic quoque *in omnibus* explicari debet genere neutro. Sub tali primatum tenente constitui nobis cedere in gloriam *Dam.* adnotat.

Merito dici *in omnibus primatum tenens*, probatur seu ulterius explicatur sequentibus v. 19.20. Ipsa enim emphatica repetitione notionis *omnis* (πᾶν, πάντα, εἴτε τὰ...) iam indicatur, sententiam referri ad hoc ultimum membrum v. 18 probandum et declarandum; 19. *quia in ipso complacuit* πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, *omnem plenitudinem inhabitare:* uti auctor versionis vulgatae, ita longe plerique interpretum supplent εὐδόκησεν ὁ Θεός (cf. 1 Cor. 1,21; 10,5), complacuit Deo vel Patri (*Chrys. Oec. Thph. Cai. Nat. Iust. Lap. Est. Lighfoot, Hpt.*). Id quod eo facilius fieri potest, quia quae in v. 20 enuntiantur, aperte ea referunt quae in v. 12.13 de Deo Patre dicta sunt, et quae a v. 15-18 proposita sunt, omnia ad id convergunt, ut summam illam eminentiam *Filii dilectionis suae* explicent et efferant; quare in v. 19 assumere subiectum ὁ Θεός toto contextu suadetur; et hanc suppletionem omnino commendat, imo fere necessariam efficit εἰρηνοποιήσας v. 20.

Pauci sunt ex recentioribus qui ut subiectum postulant πᾶν τὸ πλήρωμα (cf. *Soden, Abbott, Ew.*). Dicunt enim distare v. 13 longius quam ut ex eo subiectum petatur; sed ex iis quae modo dicta sunt de v. 15-18.20, id nequit asseri, v. 13 nimium distare, cum quae sequuntur ab eo regantur ac dependeant. Dicunt εὐδοκεῖν non coniungi cum accus. cum infinitivo; at unum saltem exemplar in contrarium affertur a lexicis et apud *Hpt.* Et si legitur Ps. 68,17 εὐδόκησεν ὁ Θεὸς κατοικεῖν ἐν αὐτῷ (in monte Sion), certe non sequitur apostolum ad hanc locum psalmi suam conformasse sententiam, ita ut verti debeat: omni plenitudini complacuit in eo inhabitare, seu omnis plenitudo voluit in eo inhabitare. Porro etsi admittatur πλήρωμα posse esse nomen deitatis, sicut δόξα, οὐρανός, tamen πᾶν τὸ πλήρωμα vix erit nomen personae, sed notio quaedam abstracta cumuli cuiusdam bonorum; sed tum plane deest, ad quid referri possit εἰρηνοποιήσας (cf. *Hpt.*).

Omnis autem plenitudo explicatur de plenitudine divinitatis, ita *Chrys. Thph. Oec.* qui πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος supplent; alii explicant de plenitudine gratiae (*Cai. Est.*); alii de plenitudine divinitatis et gratiarum (*Iust. Nat. Lap.*). Et haec tertia acceptio quam optime Christo congruit. Bene notat *Thom.* : « singula verba pondus suum habent »; *com-*

placuit, nam ex solo Dei beneplacito mysterium Incarnationis peractum est; uti *Chrys.* ait : non potest ullam dicere causam, nisi Dei voluntatem, hoc enim est εὐδόκησεν. Excluditur, ait *Cai.*, omne meritum, non enim meruit Christus plenitudinem gratiae, sed ex divino beneplacito habuit ab initio ; dicit *omnem* plenitudinem, ut nihil gratiae intelligamus deesse, sed omnes gratias plenissime intelligamus; dicit inhabitare, ut intelligamus fixam in eo omnem gratiae plenitudinem, et non ad tempus, ut sanctis aliis quaedam gratiae conceduntur. Cum itaque in ipso inhabitet omnis plenitudo, eo ipso probatum est eum in omnibus tenere primatum. Provocans ad Eph. 1,23 explicat *Theod.* plenitudinem de ecclesia; visum est, inquit, Deo eam in Christo inhabitare, hoc est, ei coniunctam esse, sub eius regimine esse, eius leges sequi. Et *ThdM.* ita interpretatur : omnem creaturam quae ab eo repleta est probavit (Deus) illi coniungere. Pariter de ecclesia explicavit *Severianus* (cat. Cr. 310), quae in Christo ut in proprio capite habitet. Quae explicationes hoc loco sunt praeter rem et contra contextum, sicut illa quoque, quae ex Rom. 11,12.25.26 (plenitudo gentium, Israel) repetitur.

Ad divinum beneplacitum quo Deus omnem plenitudinem in Christo inhabitare voluit et ad hanc ipsam plenitudinem pertinet v. 20 *et per eum reconciliare omnia in ipsum*, δι' αὐτοῦ per eum, per Christum : ἀποκαταλλάξαι (cf. Eph. 2,16) verbum est dupliciter compositum, quo notio augetur, uti *Chrys.* concipit τελείως addens, plene reconciliare τὰ πάντα, *omnia*, quae omnia mox explicantur *sive quae in terris, sive quae in coelis sunt*, εἰς αὐτόν, *in ipsum*, sat multi explicant : in Christum (*Chrys. Thph. Cai. Iust. Est. Hpt. Ew.*); ratio est, quia in hoc contextu cuncta a Christo dependere dicuntur, et quia, uti in v. 16 ἐν αὐτῷ, δι' αὐτοῦ, εἰς αὐτόν ad unum pertinent Christum, ita hic quoque v. 19.20 illa tria recurrunt, ergo eodem modo commode accipiuntur. At huic explicationi opponitur constans apostoli doctrina, quod *Deo* reconciliamur; ita Rom. 5,10 reconciliati sumus Deo; 2 Cor. 5,18.19 Deus nos reconciliavit sibi per Christum, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; v. 20 reconciliamini Deo. Quare hic quoque εἰς αὐτόν ad Deum esse referendum videtur[1] uti referunt *Thom.* qui affert locum ex 2 Cor. 5,19, *Nat. Lap. Lightfoot;* duplicem explicationem praebet *Oec.* (sibi et Patri reconciliavit); utram partem eligat, *Abbott* dubius haeret.

Porro etiam modum reconciliationis dicit (*Theod.*): *pacificans* εἰρηνοποιήσας dum faceret pacem *per sanguinem crucis eius*, reconciliatio, i. e. altera notione pax (Rom. 5,1) effecta est per sanguinem crucis eius, qua

1. Neutiquam obstat quod legitur αὐτόν et non ἑαυτὸν, nam αὐτοῦ etc. persaepe ponitur notione reflexiva, sicuti alia pronomina simplicia ponuntur in novo test., uti ὑμῖν, σοῦ, etc. Cf. *Blass*, § 13, 1; 48,6.

locutione mors in cruce tamquam sacrificium designatur. Nam ex iis quae in vetere testamento habentur, ipsa notio expiationis, reconciliationis intime iuncta est cum notione sacrificii (cf. Ex. 29,36; Lev. 5,13; 6,30 etc.); porro ipsa quoque notio sanguinis revocat cogitationem sacrificii; Lev. 17,10 dedi illum (sanguinem), ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit. Cui plane concordat Hebr. 9,22 omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio. Eadem notio sacrificii apparet Rom. 3,25 quem proposuit Deus propitiationem ἱλαστήριον in sanguine ipsius; et sanguine Christi reconciliationem esse factam, vide Rom. 5,9; 1 Cor. 11,25; Eph. 1,7. Quinque admirabilia reperit *Chrys.*: magnum quidem est reconciliare; per ipsum autem maius, et eo maius est per sanguinem, et non solum per sanguinem, sed per crucem: Deo, reconciliavit, per seipsum, per mortem, per crucem. Quam arcte cohaereant reconciliatio et pax, nos docet apostolus Rom. 5,1 iustificati per fidem pacem habemus (legendum est ἔχομεν, vide *Cornely* ad h. l.) ad Deum.

Opus Christi reconciliationis seu pacis per sanguinem eius effectae extenditur ad omnia, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Hic textus apostoli est fortasse omnium obscurissimus, saltem si propriam verborum significationem retinere voluerimus. Iam si inquirimus in reliquam apostoli doctrinam, invenimus pro iis quae in terris sunt opus Christi valere ad homines expiandos, qui si libertatem gloriae filiorum Dei accipiunt, etiam creatura liberabitur a servitute corruptionis (Rom. 8,21). Quare etiam 2 Cor. 5,19: Deus erat in Christo *mundum* reconcilians sibi. Quid autem ex opere Christi invenimus pro iis quae in coelis sunt? Certe non reperitur neque reperiri potest reconciliatio; neque reperiri potest pro illis pax. Sed reperitur ex opere et instituto Christi, per ecclesiam, illis allatum iri maiorem notitiam sapientiae Dei; nam Eph. 3,10: ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. En haec habes ex certa doctrina apostoli, et haec mihi videntur posse sufficere ad locum hunc aliqua ratione intelligendum. Potes addere quod *Dam.* affert, angelis per Christum reddi τὴν ἀρχαίαν χαράν pristinum gaudium propter salutem hominum (cf. Luc. 15,7.10). Ad grammaticam quod spectat, puto rem etiam satis expediri posse, si reconciliare vel pacificare explicamus per figuram, quam zeugma vocant: unum verbum refertur ad duo, sed ita ut proprie ad unum solum valeat, et pro altero alia quaedam notio mente suppleatur. Ita nostro loco homines expiantur, mundantur, angeli maiore cognitione et gaudio donantur; vel hominibus datur pax, angelis gaudium ex maiore cognitione et ex hominum salute.

Apostolus revera alias quoque adhibuit zeugma. 1 Cor. 3,2 γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα, lac vobis potum dedi, non escam ; et prorsus e contrario 1 Tim. 4,3 κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων prohibentium nubere, abstinere a cibis, ubi ex κωλυόντων per zeugma κελευόντων erui debet. Neque multum interest, utrum duo illa membra *sive quae in terris* etc. adiungantur ad εἰρηνοποιήσας (*Chrys. Nat. Lap.*), vel ut explicatio vocis πάντα connectantur ad ἀποκαταλλάξαι (quod plerumque praefertur, *Est. Hpt. Ew.*).

De explicationibus aliis pauca pro more addenda sunt. Ad explicandum quomodo angeli sint reconciliati seu pacificati, monent angelos bellum gessisse adversus homines, qui Dominum probris affecissent et peccatis exortas esse inimicitias inter angelos et homines (*Chrys. Theod. Oec. Thph. Nat. Est.*). Sed nullo modo dicitur in textu : angelos et homines inter se reconciliatos seu pacificatos, sed omnia esse reconciliata εἰς αὐτόν, et pacificata esse *sive quae* etc. ; ergo de mutuis inimicitiis et de mutua inter se reconciliatione non potest hoc loco sermo fieri. Rem ita considerat *Thom.* : Christus per mortem destruxit peccatum et implevit legem et ita removit causam discordiae ; et ita sunt pacata, sive quae in coelis, ut angeli, Deus, sive quae in terris, sc. Iudaei et gentiles (scil. lege sublata). Recentiores acatholici sat multi, ut *Hpt.* testatur, volunt angelos vero aliquo sensu esse cum Deo reconciliatos, nam angelos exhiberi Iob 4,18 et 15,15 et fortasse Is. 24,21 non ut absolute bonos, proin indiguisse reconciliatione. Verum locis illis nullatenus efficitur quod volunt (cf. Comm. in Iob, Is. ad l. c.), neque ullibi innuitur Christum pro angelis sanguinem fudisse.

Alii vocem ἀποκαταλλάξαι sua propria notione privantes explicandam esse censent : terrestria et coelestia bene ordinare ad Deum (*Ew.*), harmoniam quandam restituere totius creationis (*Abbott*), omnia, materialia et spiritualia, reducere ad harmoniam cum Deo (*Lightfoot*). Demum *Haupt* nodum solvere vult ex opinione Iudaeorum de angelis regnorum et nationum principibus, quos indolem regnorum illorum in se repraesentare Iudaei opinati sint : inde sequi illos angelos in eadem conditione ethico-religiosa versari ac regnum quod repraesentent ; ita autem concipi quae fiant in terra et quae in coelo intime inter se cohaerere. Unde modo dici posse, terrestria tamquam ex coelestibus orta considerari, modo, terrestria suam quasi umbram in regiones coelestes proiicere. Quae si intellexeris, etiam intelliges quomodo mors Christi eo ipso quod homines cum Deo reconciliaverit, etiam suum exercuerit effectum ad regionem coelestem, quae scil. cum genere humano « organice » coniungatur. Nonne haec satis aenigmatica sunt ? ?

Vix multum iuvabimur, si cum *Est. Lap.* recurramus ad Eph. 1,10

ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα in Christo ; nam locum obscurum per alium obscurum ac varie explicatum velle explanare est non lucem, sed tenebras caligini affundere. Neque sufficere poterit sententia illa, ordinem divinum in iis quae in coelis sint esse effectum per mortem Christi, quatenus per homines meritis Christi beatos et in coelum receptos reparetur ruina angelorum et quidquid turbationis in ordine angelorum accidisset, in tranquillum redactum sit ; quae videtur esse *Cai.* sententia. Qui censent Eph. 1,10 explicari posse ita, ut Deus dicatur voluisse omnia coelestia et terrestria ad Christum tamquam caput ordinare, poterunt simili modo *reconciliare* aliqua verbi analogia in eam trahere sententiam et εἰς αὐτόν ad Christum referre, cui omnia subdantur. Eo modo videtur *Dam.* reconciliare intelligere, aperte provocans ad Eph. 1,10.

Satis plana et perspicua esset sententia, si liceret explicare cum S. Augustino : per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, ... pacificantur coelestia cum terrestribus et terrestria cum coelestibus (Enchirid. 62; *M.* 40, 261). At repugnat textus; nam *sive*, *sive* non potest significare unum cum altero reconciliare, sed solum reconciliare et unum et alterum.

Postquam recensuit bona omnibus communiter tributa, ad ipsos convertit orationem (*Theod.*) atque novum beneficium divinum in reconciliatione exhibitum declarat ; eos enim reconciliavit qui prorsus erant indigni. Supra quidem dixerat eos fuisse sub potestate tenebrarum (v. 13), qua re ostenditur calamitas in qua erant, et ita digni erant misericordia; at nunc ulterius ostendit eos sua sponte et volentes in summam se abiecisse miseriam et indignitatem (cf. *Chrys. Oec. Thph. Lap. Iust.*) v. 21 *et vos cum essetis aliquando alienati* ἀπηλλοτριωμένους (ἀπο- uti in ἀποκαταλλάττειν, auget notionem) plane alienati a Deo, lubenter et voluntarie, μετὰ τοῦ βούλεσθαι, resilientes a Deo (*Chrys.*), *et inimici sensu* ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ inimici in Deum, odio habentes Deum in tota cogitandi et sentiendi ratione, hostili adversus Deum animo (*Lap.*). Per se sensus dictionis posset esse : Deo exosi propter mentem, hostes Dei cogitatione et animo (*Iust.*) ; at prior acceptio melius congruit ad illam abalienationem ; eorum indoles et conditio effertur, non Dei in eos affectio ; et ἐχθρός sensu activo (qui odio habet alterum) frequentius quam passivo (qui odio habetur ab altero) usurpatur ; quod sequitur *in operibus malis* tunc facile ad utrumque eadem ratione adnectitur ; abalienatio a Deo et animus in Deum inimicus exhibetur et in apertum prodit in operibus malis, procul dubio malo culpae (*Cai.*), vitiis et flagitiis (*Iust.*).

Lectionem quam exhibet vulg v. 22 *nunc autem reconciliavit* longe plerique codices et versiones tuentur, item *Chrys. Theod.* alii ; et haec lectio valde commendatur eo quod simpliciter sequitur παραστῆσαι ὑμᾶς, id

quod facillime adnectitur ad illam formam activam ἀποκατήλλαξεν, difficile vero ad formam passivam ἀποκατηλλάγητε quam exhibet B et quam secutus est Ephrem (nunc autem reconciliati estis) et quam aliqui praeferunt. Et *Hpt.* quidem ob νυνὶ δὲ, quod post sententiam participialem, i. e. post sola attributa ὑμᾶς ὄντας etc. intelligi nequeat, haec attributa coniungit cum v. 20, et a νυνὶ δὲ novam incipit sententiam, ut eo modo quodvis vitetur anacoluthon. Sed non videtur affirmandum esse, δὲ semper introducere apodosin, cui antecedat necesse sit protasis; nam δὲ etiam simpliciter opponi potest alicui attributo: vos *olim* abalienatos, *nunc autem* reconciliavit; ita enim notio adversativa particulae δὲ prorsus servatur. Insuper minime congruit, ut post dictiones universales πάντα, εἴτε τὰ ἐπὶ γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς adiungatur dictio adeo particularis καὶ ὑμᾶς ποτὲ ὄντας. Haec dictio particularis apte adhibetur in sententia propria, in qua novum quidpiam ad antecedentia additur, uti res se habet in lectione vulgata. Nimis contortum est quod vult *Lightfoot*, « nunc autem... per mortem » includere parenthesi et « exhibere vos » referre ad v. 19 εὐδόκησε : Deus benigne voluit, vos olim abalienatos — nunc autem estis reconciliati — exhibere sanctos. Sed quam longa fieret sententia cum multis illis determinationibus a v. 18-23 ! Aptissima est cum vulg. incisio v. 21.

Reconciliatio seu expiatio facta dicitur *in corpore carnis eius per mortem;* quoad sensum idem dicitur quod v. 20 per sanguinem crucis eius; cf. Eph. 2,14; videtur emphasis poni in corpore *carnis;* de errore docetarum tamen nullum in epistola apparet vestigium; neque oppositio ad angelos (quibus desit corpus carnis ad expiationem faciendam) facile commendatur. Caro significationem habet infirmitatis et mortalitatis (*Est.*); *Chrys.* secundum enarrationem quam addit de percussionibus et flagellatione, videtur *carnis* intelligere de corpore doloribus obnoxio; *Cai.* autem proponit sententiam, quam *Lightfoot* quoque sequitur, dici de corpore proprio, ne intelligatur de corpore mystico — at cui hoc loco in mentem venire potuisset reconciliationem factam esse in corpore mystico? Optimum videtur quod indicat *Chrys.*, in corpore perpessionibus et doloribus subiecto. Ad totam sententiam confer: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (2 Cor. 5,18.19).

Haec vero reconciliatio afferre debet initium vitae in omni integritate transigendae; facta est enim in eum effectum, *exhibere vos*, ut exhiberet vos, *sanctos*, separatos a mundo profano, Deo consecratos *et immaculatos;* cf. Eph. 1,4, victimae debent esse sine macula, imo homo qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo (Lev. 21,17); multo magis homo per baptismum sanctus cavere debet ab omni inquinamento carnis et spiritus (2 Cor. 7,1); *et irreprehensibiles coram ipso*, ut tales, quibus in conspectu Dei iam nulla reprehensio fit, qui sunt inculpati. Tales autem

effecti sunt iis quae apostolus 1,13.14 proposuerat : Deus eos eripuit de potestate tenebrarum, transtulit in regnum Filii remissione peccatorum per sanguinem Christi concessa. Et quae Eph. 5,26.27 de ecclesia statuuntur, suo modo valent de singulis ecclesiae membris et veram internam conferri sanctitatem clare ostendunt.

Quaerunt, dicanturne haec de tempore praesenti an de iudicio futuro. Hoc poterat existimari ob conditionem positam v. 23 *si tamen permanetis;* at locutio in v. 22 eadem est quae habetur Eph. 1,4, in quo loco certe de tempore praesenti agitur ; dein frequenter utitur apostolus locutione *coram* Deo, κατενώπιον, ἐνώπιον et quidem pro tempore praesenti ; vide Rom. 3,20 ; 12,17 ; 14,22 ; 2 Cor. 2.17 ; 4,2 ; 7,13 ; 8,21 ; 12,19 ; Gal. 1,20 ; 1 Tim. 2,3 ; 5,4 etc. ; sed si sermonem infert de iudicio, loquitur de tribunali Christi, ἔμπροσθεν, τοῦ βήματος Rom. 14,10 ; 2 Cor. 5,10. Proin nequit dubitari, quin in v. 22 agatur de tempore praesenti. Neque difficile est nexum et transitum invenire a v. 22 ad v. 23. Eum brevissime exhibet *Theod.* : eritis autem sancti, immaculati etc., si tamen permanseritis in iis quae ab initio didicistis ; illud παραστῆσαι hac sola conditione fit et fieri potest. Alii vident in hac conditione adiecta admonitionem, ne putent omnia fieri per Christum, ne segnes fiant (*Chrys. Oec. Thph.*), sed ut valide cooperentur (*Cai.*) ; monet haec omnia illis tum solum profutura, dummodo permaneant (*Est.*) ; exigit itaque apostolus constantiam in fide et spe (*Lap.*).

Notatu dignum est apostolum frequenter mentionem facere, perseverantia quam sit necessaria ; vide Rom. 2,7 ; 11,22 ; 1 Cor. 7,20.40 ; 10,12 ; Gal. 6,9 ; 2 Thess. 3,13 ; 1 Tim. 2,15 etc. ; ita hic quoque v. 23 *si tamen permanetis :* εἴ γε spem et fiduciam ita fore innuit (*Blass* § 78,2) ; *in fide fundati et stabiles*, si perseveratis habentes fidem pro fundamento vitae et actionum vestrarum et in illa perseveratis firmi (*Cai.*) ; cf. Eph. 3,17 ; *et immobiles a spe evangelii*, μὴ μετακινούμενοι, ita scil. ut nullo modo sinatis vos dimoveri. Miratur *Chrys.* : quanta usus est metaphora ! non solum non labantes, σαλευόμενοι, sed ne moti quidem ! *a spe evangelii*, a spe illa quam dat evangelium de bonis regni caelorum (*Thom. Nat. Est.*), a spe illa, quam affert et docet Christus per evangelium (*Lap.*), quam in animis vestris insevit evangelium quod audistis (*Iust.*). Alii putant, etiam hic, ut in v. 5, spem esse bonum speratum (*Lap. Hpt. Etc.*) ; sed nescio num apte dicatur : ne sinatis vobis eripi bonum speratum quod in evangelio conclusum est, neve sinatis vos solvi ab eo (ita *Hpt.* circumloquitur). Aliter *Chrys.* spem obiective concipit : quaenam est spes evangelii ? Christus est spes nostra et pax nostra, is qui omnia haec operatus est. Perstringi indirecte errores pseudodoctorum et Colossensibus ostendi periculum quod ab iis immineat, certum esse videtur.

Quare monet, ut ex suis quasi angustis locis oculos elevent et videant idem evangelium iam ubique terrarum praedicatum firmiter credi. Recte autem, ait *Iust.*, monet Chrysostomus voluisse apostolum testium multitudine atque auctoritate Colossenses obruere, quasi significet illos ab omnium gentium ac nationum fide ac religione recedere, si Christi fidem abnegent; *quod audistis, quod praedicatum est in universa creatura quae sub coelo est*, cf. v. 6 in universo mundo; 1 Thess. 1,8 ἐν παντὶ τόπῳ, Rom. 1,8 fides vestra annuntiatur ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, *cuius factus sum ego Paulus minister*, animo grato et laeto recolit sibi huius evangelii ministerium fuisse commissum. Cur id commemoret, potest quaeri. Certe non ad affirmandam seu vindicandam suam dignitatem apostolicam. Nam Colossenses de ea dubitasse, non apparet ullum indicium; et si ea fuisset in dubium vocata, sane alio modo loqueretur. Vix quoque, ut asserat: de illo loquor evangelio, cuius ego sum minister, ad differentiam evangelii pseudoapostolorum (*Cai.*). Haec eum adiecisse censet *Est.*, ut rite aestiment evangelium ab Epaphra illis praedicatum, quia idem se praedicare enuntiet; et *Iust.* haec dixisse apostolum arbitratur, ne videatur aliena tractare, sed plane consentaneum esse muneri suo, ut etiam Colossenses doceat. Verum maxime obvium esse videtur, apostolum hisce transitum facere et quasi viam sibi parare ad sequentia. Atque *Thom.* in commentario haec verba trahit ad sequentia tamquam eis intime iuncta et analysin ita instituit: primo ponit ministerium (cuius evangelii factus sum minister praedicandi non mea auctoritate etc.), secundo ostendit fidelitatem ministrando (qui nunc gaudio etc.), tertio ministerii magnitudinem (v. 25 seq.). In isto addito duo deprehendit *Thph.*: Paulum adeo iam celebrem esse praeconem, confert ipsi evangelio auctoritatem; ministrum se dicens non sua se proferre affirmat, sed Deo se ministrare: itaque magis eos impellit ad credendum.

Gentium apostolus constitutus curam gerit omnium 1,24-2,3.

1,24. *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia,* 25. *cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei;* 26. *mysterium quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius,* 27. *quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti huius in gentibus, quod est Christus, in vobis*

1,24. Νῦν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασιν ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ ὅ ἐστιν ἡ ἐκκλησία, 25. ἧς ἐγενόμην ἐγὼ διάκονος κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι εἰς ὑμᾶς πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, 26. τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νῦν δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, 27. οἷς ἠθέλησεν ὁ Θεὸς γνωρίσαι τί τὸ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστιν Χριστὸς ἐν ὑμῖν,

spes gloriae, 28. *quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu*, 29. *in quo et laboro, certando secundum operationem eius, quam operatur in me virtute.* 2,1. *Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis qui sunt Laodiciae, et quicumque non viderunt faciem meam in carne,* 2. *ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Iesu,* 3. *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.*

ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, 28. ὃν ἡμεῖς καταγγέλλομεν νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ, 29. εἰς ὃ καὶ κοπιῶ ἀγωνιζόμενος κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. 2,1. Θέλω γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι, ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικίᾳ καὶ ὅσοι οὐχ ἑώρακαν τὸ πρόσωπόν μου ἐν σαρκί, 2. ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν συμβιβασθέντες ἐν ἀγάπῃ καὶ εἰς πᾶν πλοῦτος τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ, Χριστοῦ. 3. ἐν ᾧ εἰσιν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι.

Secundum plerosque testes (et editiones criticas) abrupte pergitur, uti 2 Cor. 7,9, *nunc gaudeo;* secundum textum qui dicitur occidentalis (D E F G d e f g, vulg) nexus statuitur, sicut in hac epistola frequenter fit, per relativum ὅς, *qui nunc gaudeo;* hanc lectionem esse praeferendam censent *Hpt. Eic.* et cum praecedat διάκονος, ὅς poterat facile omitti. Adverte, scribit *Cai.*, gaudium in afflictionibus aptissime subiungi ministerio evangelii ; per hoc enim manifeste comprobatur verus evangelii minister, quod gaudet in afflictionibus suis pro membris Christi; *qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis* ἐν τοῖς παθήμασιν, potest sensus esse: gaudeo de passionibus (cf. Phil. 1,18; Luc. 10,20), ita ut causa gaudii assignetur et non solum conditio in qua versetur; nam etiam καυχᾶσθαι et alia verba affectus iunguntur cum ἐν ad causam exprimendam (cf. Rom. 2,17. 23; 5,3.11; 15,17; 1 Cor. 1,31; 3,21; 2 Cor 10,15 etc. *Hpt.*). Plerumque explicant : libenter patior, μεθ' ἡδονῆς ὑπέστη cum voluptate sustinuit (*Theod.*). Hae autem afflictiones *pro vobis* sunt, ut vos iuvare queam (*Oec. Thph.*); id quod apostolus declarat 2 Tim. 2,10 ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur quae est in Christo Iesu cum gloria coelesti, et vide 2 Cor. 1,6 (et Comment. *Cornely* ad h. l.).

Huius autem gaudii ratio ulterius declaratur *et adimpleo ea quae desunt passionum Christi,* ἀνταναπληρῶ vicissim compleo, suppleo, τὰ ὑστερήματα, cf. 2 Cor. 8,14; ut illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα, 11,9 quod mihi deerat suppleverunt fratres τὸ ὑστέρημά μου προσανεπλήρωσαν, Luc. 21,4. Dicitur τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, quae vox de morte Christi qua expiatio peracta est nunquam adhibetur. Obviam huius loci explicationem et facilem auspicari videntur, qui incipiunt a quaestione: quid adhuc deerat passionibus Christi? ita *ThdM. Theod. Iust. Lap.;* responsio datur plana et aperta. Quoad vim et valorem satisfactionis nihil deest; est enim satisfactio praestita supera-

bundans et infinita; « implere autem se dicit ea, quae desunt ad vim et efficacitatem traducendi homines, ad fidem, idque ut corpus eius mysticum, ecclesia perficiatur; docendo quippe, monendo, hortando, denique evangelium propagando, magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda et multa incommoda perferenda ; haec videntur deesse passionibus Christi, quae tamen ad utilitatem corporis mystici, ecclesiae multum valent » (*Iust.*). Idemque sensit *Theod.* : restabat autem praedicare gentibus et munificum salutis largitorem ostendere; id quod, ut *ThdM.* dicit, sine labore et tribulationibus fieri non potest (sim. *Lap.*). Intelliguntur ergo θλίψεις τοῦ Χριστοῦ labores eius et fatigationes vitae publicae in praedicando; his eo sensu multa desunt, quia Christus solum per aliquod tempus in parvo terrae tractu praedicavit : haec erga supplenda sunt per apostolos et viros apostolicos per saecula.

Ita igitur apostolus ea ratione vere supplet, quae Christus per se non praestitit praedicando gentibus, eaque supplet *in carne mea*, labore, fatigatione, similiter uti Christus erat fatigatus (Ioan. 4,6), esuriit (Marc. 11,12), non habuit ubi caput reclinaret (Matth. 8,20); eiusmodi θλίψεις subiit Christus, circuiens et docens; at tales non subiit pro gentibus, non in se assumpsit postea ad fundandos et propagandos coetus fidelium. In eius quasi vicem, has explens veluti lacunas, intravit Paulus, et quas iam tribulationes expertus sit in carne, satis luculenter apparet ex enumeratione illa 2 Cor. 11,23-27 ; eas autem subiit *pro corpore eius quod est ecclesia*, v. 18; Eph. 1,23; 4,16. Haec interpretatio facilis est et obvia; retinetur obvius verborum sensus ; θλίψεις τοῦ Χριστοῦ sunt eae θλίψεις quas Christus per vitam publicam sustinuit ; τὰ ὑστερήματα nihil habent opprobrii pro Christo, qui ipse protestatus est : non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel, sed qui ad suppletionem mandat apostolis : euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae (Matth. 15,24; 28,19; Marc. 16,15). Haec vero ὑστερήματα supplere nihil aliud est quam istud Christi mandatum opere exsequi. Iste vero labor apostolicus vero sensu fit *in carne*, in corpore; fit magna ex parte etiam catenus *in carne*, quatenus variae molestiae et afflictiones carnis tolerandae sunt.

Explicatio satis communis est haec fere, ut passiones Christi intelligantur passiones quas Christus in membris suis tolerat, vel quas Christus suis apostolis et fidelibus imponit; eo modo loquuntur *Chrys. Thph.*, Christum post mortem pati in corpore Pauli; pati in membris suis (*Iust. Est. Nat. Lap.*); quae quidem sententia per se vera est ; nam Sauli persecutori fidelium Christus ipse hanc vocem obiecit : quid *me* persequeris? (Act. 9.4) et similiter antea iam locutus erat filiis Zebedaei : calicem quidem meum bibetis et baptismo quo ego baptizor baptizabimini

(Matth. 20,23. Marc. 10,39). Alii dicunt Christum praedefinisse quasnam passiones singuli in carne tolerare debeant; vel ecclesiam esse unam personam mysticam, in qua ex Christi voluntate certa mensura meritorum adesse debeat; in qua sententia istae passiones dici possunt passiones Christi, quatenus ab eo sunt praedefinitae et impositae. Censet *Est.* locum hunc faciliorem esse, si intelligantur perpessiones quas pro Christo patiuntur fideles; verum contra hoc bene excepit, has esse passiones propter Christum, neque tamen Christi passiones. Haec autem omnes explicationes haud bene consonant cum notione ἀνταναπληρῶ, vicissim suppleo, ego vicissim suppleo ea in quibus Christi passiones non sufficiunt.

Plane singularis est explanatio quae apud *Oec.* legitur : τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων explicatur ὑστέρημα πρὸς τὰς θλίψεις τοῦ Χριστοῦ, nam quaecumque passi fuerimus, deerit adhuc aliquid ad afflictiones Christi : ὅσα ἂν πάθωμεν, ὑστέρημά ἐστιν πρὸς τὰς θλίψεις τοῦ Χριστοῦ, aequalem aut similem mensuram passionum nos servi et debitores cum Christi passionibus nunquam attingere possumus; unde semper ὑστέρημα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ ἀνταναπληροῖ, quaecumque passus fuerit quispiam vicissim complere volens. Ex recentioribus aliqui rem ita concipiunt, ut dicant Paulum suas tribulationes residuas vocare simpliciter θλίψεις τοῦ Χριστοῦ, quia sint tribulationes in Christi ministerio; ita enim solere apostolum alias quoque loqui 1 Cor. 1,5; 4,10; Phil. 3,10 (*Soden*, *Abbott*), similiter *Ew.* tribulationes Christi esse ait quae in obsequio Christi et secundum eius voluntatem tolerandae et eiusmodi θλίψεις omnes experiri debere; varie refertur *in carne mea*, modo ad ὑστερήματα, modo ad τῶν θλίψεων τ. X. Hanc acceptionem oppugnat *Haupt;* ipse autem adoptat sententiam qua statuitur sermonem esse de suppletione tribulationum Christi per Paulum; Christum enim tamquam ἀρχηγόν viam tribulationum incepisse, hanc esse viam regni Dei, quae via debeat continuari; unde tribulationes Christi supplendae sunt per ministros.

Ex dictis facile consequitur, unumquemque etiam pro se debere adimplere quae desint passionum Christi. Qua autem ratione istud afferendum sit supplementum, ut quis pretium redemptionis et satisfactionis Christi sibi applicet, non est huius loci explicare. Advertendum praeterea est, quod bis hoc loco enuntiatur, apostolum pati ὑπὲρ ὑμῶν, pro ecclesia, ita ut passiones eius Colossensibus prosint, eis utilitatem afferant (ihnen zu gute kommen, ut *Hpt.* loquitur). Unde satis clare designatur doctrina de communione sanctorum, quam ceteroquin apostolus iam satis indicavit 1 Cor. 12,26. « Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et ut illis prosint, caritate quae non quaerit quae sua sunt, efficitur » (Catech. rom. 1,10,

25). Quare haud immerito *Lap.* inter alia haec scribit : « hinc sequitur, non male Bellarminum, Salmeronem, Suarez et alios doctores catholicos, cum tractant de indulgentiis, haec generalia apostoli verba extendere *ad thesaurum ecclesiae*, ex quo ipsa dare solet indulgentias; hunc enim thesaurum voluit Deus constare meritis et satisfactionibus non tantum Christi, sed et apostolorum omniumque Christi sanctorum, ut definivit Clemens VI in Extravagante *Unigenitus* ».

Quam consequentiam impugnat *Est.* : « non enim sermo iste, quo dicit apostolus se pati pro ecclesia, necessario sic accipiendus est, quod pro redimendis peccatorum poenis quas fideles debent, patiatur, quod forte nonnihil haberet arrogantiae; sed percommode sic accipitur, quomodo proxime dixerat: gaudeo in passionibus meis pro vobis, ut nimirum utraque parte significet afflictiones et persecutiones pro salute fidelium ipsiusque ecclesiae promovenda toleratas». Verum isti theologi non dicunt apostolum pati ad delendas poenas temporales fidelium; sed ex hoc loco vident indicari doctrinam de communione sanctorum, et ex communione sanctorum sequitur partim saltem notio illa de thesauro ecclesiae. Ipse *Est.* scribit : « significat apostolus, non tantum passiones suas fructuosas ecclesiae, verum etiam se patiendo id spectare, ut suae passiones ecclesiae prosint ». Ceterum iustum posse satisfacere pro alio iusto quantum ad poenam temporalem, certa est theologorum sententia (vide *Pesch*, Praelectiones dogm. VII n. 256).

Hoc loco silentio non est praetereundum, quantopere *Haupt* in peius detorqueat doctrinam catholicam. Audacter enim affirmat, romana acceptione assumi quod propitiationi per mortem Christi factae supplementum afferatur. Insuper asserit, ecclesiam romanam docere, in hoc textu fundatam esse sententiam, Christum passione sua solum expiasse peccata ante baptismum commissa; peccata postea commissa debere expiari per poenitentiam et indulgentiam ; et hanc sententiam proponi praesertim ex tempore reformationis ab ecclesia romana. Quam turpis ignorantia doctrinae catholicae, quam tamen quisque facillime discere potest ex quovis catechismo catholico, vel ex quovis opere dogmatico a viro catholico edito! Contra « impiam haereticorum calumniam » iam scripsit *Est.* : « *ea quae desunt passionum Christi*, non sic accipiendum, quasi Christus non satis passus sit ad redemptionem nostram, ideoque supplemento martyrum opus habeat; quod impium est sentire, quodque catholicos dicere non minus impie calumniantur haeretici. Certe S. Thomas eum sensum haereticum esse pronunciat, eo quod Christi sanguis sufficiens sit ad redemptionem etiam multorum mundorum ». Satisfactionem Christi esse superabundantem, infinitam, communis est doctrina theologorum. Haec autem satisfactio debet nobis applicari; et quoad adultos requiritur eorum cooperatio, ut participes fiant satisfactionis Christi ; cf. Marc. 16,16 ; 2 Cor. 7,1 ; 1 Petr. 1,10; Hebr. 5,9 et vide Concilium trident. sess. 6, c. 2.4.7.10.16; sess. 14 c. 8 (*Pesch*, Praelectiones IV n. 426-428). Hisce etiam satis responsum est ad id quod *Lightfoot* (p. 165) obiicit, romanam doctrinam contradicere doctrinae a Paulo propositae.

Modo se nominavit ministrum evangelii v. 23, nunc se vocat ecclesiae ministrum, v. 25 *cuius factus sum ego minister*, peculiarem suam denotat vocationem ita se distinguens ab reliquis ministris, *secundum dispensationem Dei quae data est mihi in vos* κατὰ τὴν οἰκονομίαν, vox per se dicit administrationem rerum domesticarum; sed iam ab Aristotelis aetate adhibebatur de reipublicae fructuumque administratione; ab apostolo autem (et a Petro) dictio haec usurpatur non tantum ad munus sibi veluti procuratori concreditum spiritualium regni Dei bonorum dispensandorum (1 Cor. 9,17), sed etiam ad supremam illam administrationem, qua Deus universum salutis nostrae regnum ordinat. Et ad hanc specialem Dei ordinationem pertinet etiam munus a Deo apostolo concreditum *in vos*, gentes; cf. Rom. 1,14 Graecis et barbaris debitor sum et Act. 22,21. Munus autem ei commissum, quo se ministrum ecclesiae probare et exhibere debet, est, *ut impleam verbum Dei*, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, evangelium quod Deus misit per Filium suum. Cur se vocaverit ministrum ecclesiae, hic indicatur ratio. Implere evangelium est scil. ex una parte coetus fidelium constituere et fundare, ecclesiam ulterius extendere (cf. Rom. 15,19 ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevi evangelium), et est ex altera parte efficere ut in ipsa ecclesia verbum Dei, evangelium sit efficax, fructus in dies maiores producat, scil. ut vita fidelium ex norma evangelii instituta de bono proficiat in melius. Hoc est demum *implere verbum Dei*, si nulla Christi vox, nullum monitum, consilium nullum «cadat in terram», ut dici possit de evangelio quod de Samuel scribitur: et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram (1 Reg. 3,19); vide Matth. 13,33 parabolam de fermento, donec fermentatum est totum. Hunc profectum in ecclesia efficere est ministerium ecclesiae praestare maxime insigne.

Hunc esse revera sensum dictionis *implere verbum Dei* elucet ex v. 28 ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo, in quo apostolus, postquam sublimitatem huius verbi Dei delineavit, ad dictionem hanc redit eamque explicat. Sublimitatem autem declarat appositione ad verbum Dei v. 26 *mysterium*, non est res arcana ac secreta quae celanda sit (licet haec significatio apud profanos scriptores communis sit), sed apud apostolum intelligitur res creato intellectui per se ita abscondita et impervia, ut sola revelatione divina ei innotescat et secundum modum et mensuram revelationis ab eo percipiatur. Unde mysterii nomine divina consilia de salute hominibus per Christum acquirenda et conferenda potissimum in novo testamento comprehenduntur, quae consilia ab aeterno abscondita nunc post Christi redemptoris mortem et glorificationem praedicatione apostolorum omnibus hominibus manifestari coepta sunt (cf. Rom. 11,25; 16,25; 1 Cor. 2,7; Eph. 1,9; 3,5; 2 Tim.

1,10), *quod absconditum fuit a saeculis et generationibus* ἀπὸ τῶν αἰώνων ex tempore longissimo, ex longa generationum serie, i. e. per saecula et generationes erat absconditum, cf. Eph. 3,9; ita ἀπό intelligitur quoque Matth. 13,35; 25,34 paratum a constitutione mundi, Act. 3,21; 15,18 notum a saeculo est Domino opus eius. Aliis placuit propositionem eo modo accipere quo legitur Matth. 11,25 (abscondisti hoc a sapientibus) et Luc. 18,34; 19,42 (cf. *Theod. Nat. Est. Soden*), similiter, uti legitur Eph. 3,5 quod aliis generationibus non est agnitum; at nostro loco haec acceptio nequit admitti, contra est *a saeculis*, dein excluditur ipsa oppositione *nunc autem*, ubi tempus praesens temporibus anteactis longis illis opponitur ad beneficium nostro tempore concessum magis commendandum. De notione *absconditum* vide Eph. 3,9.

Longa illa tempora et longam exspectationem expendens et beneficium praesens extollens apostolus laete exclamat: *nunc autem manifestatum est sanctis eius*, fidelibus generatim ex Iudaeis et gentibus collectis, utique per ministerium et praedicationem apostolorum Eph. 3, 3-7. Omnibus quippe *voluit Deus notas facere divitias gloriae* γνωρίσαι τί τὸ πλοῦτος notum facere quae sint divitiae gloriae *sacramenti*, mysterii, *huius*, atque haec uberrima gloria non coarctatur, uti vetus regnum Dei apud Iudaeos, aliqua regione seu parvo terrae tractu, sed quam maxime cernitur insignis eius gloria *in gentibus*, sua destinatione et extensione per orbem terrarum. In aliis quidem etiam, sed multo magis apparet magna gloria mysterii in gentibus (*Chrys.*) seu inter gentes; nam Iudaeos sperare in Messiam et spem habere vitae futurae, ex tota providentia Dei erga eam gentem facile explicatur neque mirum apparere potest. Alia est conditio ceterarum nationum.

Additur explicatio antecedentis: *quod est Christus*, i. e. mysterium hoc (*Chrys. Est. Nat. Lap.*) vel divitiae, vel mysterium (*Thph.*), divitiae mysterii huius (*Oec.*) est *Christus; in vobis*, apud vos, *spes gloriae*, in Christo et cum eo vobis data est spes gloriae, spes vitae aeternae et beatitudinis in gloria coelesti; iungunt graeci: Christus in vobis; alii: in vobis spes gloriae. Prior modus commendatur ipso usu apostoli, vide Rom. 8,10 (si Christus in vobis est); 2 Cor. 13,5; Gal. 2,20; 4,19; Eph. 3,17; Col. 3,11; 2 Tim. 4,22. Christus vocatur spes nostra (1 Tim. 1,1); antea gentes erant οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα (1 Thess. 4,12), nunc Christum habent et eum habent tamquam auctorem et largitorem gloriae, in quo omnis spes, omne bonum speratum fundatur. In eo quod mysterium, vel divitiae gloriae mysterii huius simpliciter vocantur et definiuntur *Christus*, denuo sollemni modo declaratur, omnia divina consilia de salute hominum, omnia bona divina hominibus proposita ac promissa in uno Christo contineri ac concludi. Quare hoc quoque loco, sicut v. 16 seq.

summa eius dignitas effertur, qua ipse solus pro omnibus et in omnibus plenissime ac perfectissime sufficiat, et indirecte perstringuntur errores pseudodoctorum, quasi pro fidelibus non satis sit Christus.

Et talem annuntiari Christum cum emphasi effertur v. 28 *quem nos annuntiamus ;* quaeritur, loquaturne apostolus de se solo, an de aliis quoque? adhibetur *ego* v. 23.25, loquitur in singulari v. 24.29; 2,1; quare etiam dicendo *nos* solummodo suum munus speciale distinctum ab aliis connotare velle videtur (*Hpt.*); alii mutationem hanc considerantes apostolum loqui censent de se aliisque apostolis vel praedicatoribus, vel speciatim de Timotheo, Epaphra (1,1.7), ita ut simul habeatur oppositio ad alios; saepius enim tali *nos* se et coapostolos opponere solet fidelibus (1 Cor. 4,8. 10; 9,11); at aliis in locis vix ratio reddi poterit transitus eiusmodi *ego* in *nos* (cf. 2 Cor. 13 totum caput, ubi continuo mutatur). De aliis quoque sermonem inferri censent *Est. Abbott, Lightfoot, Ew.*; alii demum hoc locutionis discrimen explicare omittunt. Cum in v. 28 accuratius explicetur illud « ut impleam verbum Dei » v. 25, valde probabile mihi est, apostolum etiam hoc versu, sicut in antecedentibus et subsequentibus, de se solo loqui, neque obstare videtur v. 29; cf. Act. 17,3.23.

Cum hac autem annuntiatione intime iunctum est : *corripientes omnem hominem et docentes omnem hominem* νουθετεῖν, διδάσκειν, corrigere mores, et ipsam annuntiationem magis explicare, declarare, ergo docere, non solum prima elementa eis tradere, verum integram Christi doctrinam ; « tam monitio excitans affectum, quam doctrina aperiens intellectum ad omnem hominem extenditur » (*Cai.*); utrumque autem fit *in omni sapientia :* id quod duplici modo intelligi posse *Est.* monet, uno modo de sapientia docentium, ut ipsi cum omni sapientia qua praediti sint, mores emendent et doctrinam explanent, ita graeci, *Cai. Iust.* concipiunt; altero modo de sapientia eorum qui docentur : instituentes omnem hominem in perfecta cognitione Dei, in perfecta scientia morum seu vitae digne Deo agendae, ita *Est. Nat. Hpt.* et cf. 1,9. Etiam concipi potest, νουθετεῖν et διδάσκειν versari in omni sapientia, in iis quae pertineant ad omnem sapientiam (*Ew.*), ut scil. efficiatur, quod apostolus 1,9 pro iis efflagitavit; ceterum vide Eph. 1,8; et cf. 2,3.

Ad quid tendat correptio et doctrina, indicatur, *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo*, perfectum in moribus, in doctrina, cuius vita firmiter stabiliatur in Christo, in eius fide et amore; cf. Eph. 4,13; Rom. 12,2; 1 Cor. 14,20. Ter scribit apostolus *omnem hominem*, ita continuo memor est se esse debitorem omnium et Christum omni homini esse annuntiandum, et illud « ut impleam verbum Domini » tum tandem in opus deduci, si pro sua quisque ratione et gratiae dono sit *perfectus in*

Christo, in omnibus quae Christi sunt et ad eum eiusque opus pertinent. Atque haec perfectio non debet latere in occulto ; sed παραστήσωμεν ut sistamus, *exhibeamus* coram Deo et hominibus; nam providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (Rom. 12,17; 2 Cor. 8,21) et sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est (Matth. 5,16).

Ad hunc finem omnibus, apostolis et praedicatoribus propositum apostolus singulari contentione vires suas ac laborem confert v. 29 εἰς ὃ καὶ κοπιῶ *in quo et laboro*, in quod, ad quod praestandum laborem et magnum certamen suscipit ἀγωνιζόμενος (1 Cor. 9,25 qui in agone contendit, Phil. 1,30; 1 Thess. 2,2; 1 Tim. 4,10), *certando secundum operationem eius, quam operatur in me in virtute*, in isto certamine laborat, magno conatu vires intendit secundum efficaciam Christi, secundum potentem motionem Christi. quam experitur in se efficacem ἐνεργουμένην ἐν δυνάμει valide. Difficultates indicat; certat tamen viriliter et strenue, non suis nixus viribus, sed vi et efficacia Christi; cf. Eph. 3,20 κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν. Et de se iam antea merito potuit testari : abundantius illis omnibus laboravi ἐκοπίασα, non ego autem, sed gratia Dei mecum (1 Cor. 15,10). — Sicuti apostolus vocem μυστήριον certe non petiit ex mysteriis graecorum (notio est utrimque plane diversa, uti supra dictum est), ita neutiquam recurrendum erit (cum *Lightfoot*, et partim iam *Iust.*) ad illa mysteria occasione usus vocis τέλειος. Nam 1 Cor. 2,6 τέλειοι apud Paulum mox declarantur esse πνευματικοί, qui opponuntur νηπίοις ἐν Χριστῷ 3,1; ib. 14,20 τέλειοι opponuntur παιδίοις et τῷ νηπιάζειν, et 1 Cor. 13, 10 opponuntur inter se τὸ τέλειον et τὸ ἐκ μέρους, quibus omnibus translatio quaedam vocis ex usu et notione mysteriorum minime suadetur; vide Eph. 4,13; Phil. 4,15.

Cur autem laboris cum defatigatione (κοπιῶ 1,29) et certaminis meminerit, rationem affert 2,1 *volo enim vos scire* (cf. 1 Cor. 11,3 et similiter Rom. 1,13; 2 Cor. 1,8 et 1 Cor. 10,1; 12,1 etc.): cum emphasi vult rem inculcare et eorum excitare attentionem ; *qualem sollicitudinem habeam*, ἡλίκον ἀγῶνα (cf. 1,29 ἀγωνιζόμενοι) quantum certamen habeam *pro vobis*, pro vestro commodo, bono, utilitate *et pro iis qui sunt Laodiciae et quicumque non viderunt faciem meam in carne*, quantopere sibi cordi et curae sint omnes, nervose effert; videtur velle occurrere opinioni contrariae per malevolos sparsae. In carcere positus eam sollicitudinem manifestare poterat non solum supplicationibus ad Deum instanter factis, sed etiam monitis, institutionibus per nuntios missis, consiliis ac deliberationibus cum sociis habitis de conditionibus et periculis fidelium et de remediis modisque aliis auxilium afferendi. Pectus apostolicum manifestatur cura hac quadamtenus universali, etiam pro eis, quibus facie

ignotus erat, faciem, πρόσωπον, ponitur pro persona (*Cai.*); *in carne* « mirifice monstrans (θαυμασίως, *Thph.* θείως *Chrys.*), quod videbant continuo in spiritu; » videtur indicari memoriam Pauli apud eos viguisse. Ex hoc loco recte infertur, Paulum Colossis et Laodiciae non fuisse. Soli id negant *Theod.* et ex eo *Baronius* explicantes : volo vobis esse persuasum, me maximam curam gerere non solum vestri et Laodicenorum, sed omnium qui me non viderunt. Quam acceptionem iam bene refutant *Lap. Est.*; et καὶ ὅσοι etc. improprie adiungeretur, si Colossenses eum facie novissent; cf. 1,7 evangelium didicerunt ab Epaphra.

Pro tali usu καὶ ὅσοι cf. Act. 4,6; Apoc. 18, 17; hisce in locis ea formula introducitur post enumerationem quandam particularem classis seu ordo generalis. Sed eadem formula per se etiam induci potest ordo rerum seu personarum distinctus ab antecedentibus. Unde ultimatim notio ex contextu est eruenda. Nostro loco mens apostoli esse nequit commemorare duas particulares ecclesias, quae ipsum facie noverint — nam plures aliae eum facie noverunt — et dein adiungere omnes alias, quae non noverint; neque apostolus distinguit in Colossensibus et Laodicenis duos ordines, eorum qui eum norint et aliorum qui non norint; ita ut diceret : curam gero etiam pro iis inter vos, qui me facie non norunt. Omnis talis acceptio excluditur iam in v. 2 ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν, ut consolentur corda *ipsorum*, et cf. 1,4.7.

In quem finem pro iis laborem et certamen habeat, enuntiat v. 2 *ut consolentur corda ipsorum*, ut admoneantur, excitentur, stimulentur (cf. 1 Cor. 14,31, ubi vulg exhortentur sensu passivo legitur); agitur enim de doctrina et de cavendis erroribus, unde non tam consolatione opus est, sed multo magis adhortatione et monitu. Constructione grammaticali ad sensum (corda ipsorum, ipsi) pergitur : *instructi in caritate* συμβιβασθέντες compacti, coniuncti in caritate (cf. Eph. 4,16) *et in omnes divitias plenitudinis intellectus*, iubentur esse connexi caritate (num perstringuntur pseudodoctores?), ex qua coniunctione etiam aliud exsurgit bonum; nam haec coniunctio tendit eo seu id efficit, ut etiam sint coniuncti εἰς πᾶν πλοῦτος usque ad omnem copiam plenitudinis intelligentiae, et quaenam sint hae omnes divitiae completae intelligentiae, exponitur membro parallelo, *in agnitionem* εἰς ἐπίγνωσιν in plenam cognitionem *mysterii Dei Patris et Christi Iesu*, i. e. omnes divitiae completae intelligentiae continentur in mysterio quod Deus Pater in Christo nobis exhibuit; ultra illud mysterium non altior sapientia est quaerenda; si habent hoc mysterium, in eo habent divitias omnes plenitudinis intelligentiae. In ultimo membro lectio multum variat, τοῦ Θεοῦ, Χριστοῦ (B, Hilarius) etc., de sensu dubium esse nequit; unde in varias lectiones inquirere non est opus. Nam clarum est, ut Christus 1,27 vocatur spes

gloriae, ita hic mysterium Dei appellari Christum, in quo scil. sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.

At alia quaedam notare oportet. Nam praeter graecos alii quoque explicant πληροφορίας de certitudine (1 Thess. 1,5; Hebr. 10,22); sed iam *Est.* bene monet vocem eam melius intelligi de plenitudine, per se significare impletionem, ita ut plenitudo intellectus nil aliud sit quam plena sive completa intelligentia. Habet enim πληροφορεῖν notionem implendi, 2 Tim. 4,5 ministerium tuum πληροφόρησον imple, v. 17 ut per me praedicatio impleatur. Et certe ad sensum facile intelligitur : omnes divitiae completae intelligentiae; sed num etiam : omnes divitiae certitudinis seu perfectae persuasionis intelligentiae? Quare recentiores etiam interpretationi vulg. calculum adiiciunt (*Hpt. Ecc.*). Communiter participium συμβιβασθέντες trahitur etiam ad membrum illud καὶ εἰς πᾶν πλοῦτος, ubi quaeri potest, expliceturne καὶ melius *etiam* quam *et*? Aliquid esse supplendum censet *Est.* : cum fuerint introducti in omnes divitias i. e. in largissimam copiam plenae intelligentiae. Interpretes latini retinent *instructi* et revera συμβιβάζειν habet notionem et coniungendi et docendi apud scriptores et sacros et profanos (cf. 1 Cor. 3,16; Act. 9,22). Unde explicat *Thom.* : instructi in copia divinae sapientiae, quae copia implet intellectum. Sed partem hanc *et in omnes divitias* refert *Cai.* ad verbum finitum: ut consolentur. Hanc constructionem etiam *Ecc.* adoptat, qua sensus aptus acquiritur : ut admoneantur, compacti caritate, etiam ad omnes divitias etc. scil. ut ad has divitias tendant easque appetant. Finis admonitionis indicatur εἰς πᾶν πλοῦτος, ut ipsi studeant has divitias plena intelligentia percipere.

In cognitione mysterii Dei, quod mysterium est Christus, omnes istae divitiae concluduntur v. 3 *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi*, frustra alibi quaereretur plus sapientiae et cognitionis; omnes isti thesauri sunt in Christo, exsistunt in eo, at adsunt in eo tamquam *absconditi*, modo abscondito; ergo ab ipso petendi sunt (*Chrys. Thph. Lap.*), et propterea laborat apostolus, ut admoneantur εἰς πᾶν πλοῦτος, i. e. ut ipsa sedula consideratione profundos istos et absconditos sibi thesauros in lucem proferre eosque in dies magis intelligere et aestimare studeant (cf. Eph. 1,17; 3,8.18). Illud *in quo* posset etiam referri ad mysterium, uti iam *Iust.* notat : « quod si quis malit relativum coniungere cum mysterio, haud equidem abnuerim »; at merito plerique referunt ad Christum. Additur ἀπόκρυφοι, *absconditi*, per modum determinationis quo in ipso praesto sunt. De sapientia et scientia, σοφία, γνῶσις, vide quae pluribus disputat *Cornely* ad 1 Cor. 12,8, et ad Rom. 11,33. Ad contextum non congruit explicatio de thesauris quos Christus solus noverit (*Chrys. Thph. Oec. Iust. Nat. Est. Lap.*), neque de

thesauris in vita futura manifestandis (*Theod. ThdM.*). Vocem eam adhiberi ab apostolo ratione habita pseudodoctorum, censet *Lightfoot* : omnes ditissimi thesauri secretae sapientiae, de quibus vos adeo gloriamini, continentur in Christo et acquiri possunt ab omnibus qui quaerunt eum; putat enim ἀπόκρυφος, uti μυστήριον, τέλειος, fuisse expressiones selectas pseudognosticorum.

Caveant errores; cuncta habent in Christo Deo 2,4-15.

2,4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* 5. *Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum et firmamentum eius, quae in Christo est, fidei vestrae.* 6. *Sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate,* 7. *radicati et superaedificati in ipso et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione;* 8. *videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum,* 9. *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* 10. *et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis;* 11. *in quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi;* 12. *consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta,* 14. *delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci,* 15. *et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

2,4. Τοῦτο λέγω ἵνα μηδεὶς ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. 5. εἰ γαρ καὶ τῇ σαρκὶ ἄπειμι, ἀλλὰ τῷ πνεύματι σὺν ὑμῖν εἰμί, χαίρων καὶ βλέπων ὑμῶν τὴν τάξιν καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν. 6. Ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον, ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε, 7. ἐρριζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ καὶ βεβαιούμενοι τῇ πίστει, καθὼς ἐδιδάχθητε περισσεύοντες ἐν εὐχαριστίᾳ. 8. βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου καὶ οὐ κατὰ Χριστόν, 9. ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, 10. καὶ ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας, 11. ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκός, ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ, 12. συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι, ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. 13. καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν συνεζωοποίησεν ὑμᾶς σὺν αὐτῷ, χαρισάμενος ἡμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, 14 ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ, 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παρρησίᾳ θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ.

Nunc directe et explicite res Colossensium tangit, periculum significat. Quare licet supponere in antecedentibus non quasi quaesita occasione pseudodoctores esse impugnatos, verum doctrinam generatim esse expositam, ratione utique habita peculiaris conditionis Colossensium; v. 4 *hoc autem dico*, communiter recte refertur *hoc* ad ultimum quod dixerat de mysterio et de thesauris in Christo contentis (ita graeci, *Est.*

Nat. Hpt.); alii, uti *Cai. Abbott, Ew.*, hoc extendunt ad v. 1-2 ad sollicitudinem quam de iis habeat; putat quippe *Ew.* fuisse sparsum, apostolum nullam de iis gerere curam et nunc apostolum monere, ne se sinant eiusmodi sermonibus abduci. Sed quomodo hoc cohaereat cum subsequenti expositione doctrinae et impugnatione pseudodoctorum, non perspicitur; *ut nemo vos decipiat*, non solet apostolus nominare adversarios suos; ita hic μηδείς dicit, uti alibi τινές 1 Cor. 4,18; 2 Cor. 3,1; 10,2; Gal. 1,7; 2,12; graecum παραλογίζεσθαι falsa ratione, seu falsa ratiocinatione decipere; adhibetur notione decipiendi LXX Gen. 29,25; Iud. 16,13; 1 Reg. 19,17; 28,12; Iac. 1,22; *in sublimitate sermonum*, ἐν πιθανολογίᾳ, vox de se non includit reprehensionem; significat enim sermonem aptum et compositum ad persuadendum, quasi sermonis persuasibilitatem (*Est.*). Apud *Ambrst.* legitur: ut nemo vos circumveniat *in subtilitate* sermonis, item in subtilitate praebent codices sangerm. et clarom. (apud Sabatier), « ut nonnulla suspicio sit etiam nostrum interpretem ita vertisse, sed ob affinitatem vocabuli ex altero loco — scil. 1 Cor. 2,1 — fuisse mutationem factam » (*Est.*). Utrumque et subtilitatem et sublimitatem coniungere studet *Nat.*: quae dico de excellentia sapientiae Christi, propterea dico, ne vos decipi sinatis sermonibus subtilibus et sublimis eloquentiae fuco; vide ad v. 8. Ceterum cum apostolus loquatur de πιθανολογία, sermone plausibili, blando, prorsus evadit improbabile, adversarios sparsisse querelas et reprehensiones contra Paulum.

Admonet eos quia eorum cura et bonum ei cordi est. Hoc suum eorum studium declarat, explicans cur moneat: 5 *nam etsi corpore* τῇ σαρκί *absens sum, sed spiritu vobiscum sum*, vide 1 Cor. 5,3, mente et animo, sollicitudine quam pro muneris ratione impellente gratia habeo: πνεῦμα enim apud Paulum fere semper denotat animum influxui Spiritus sancti substantem; et mente apud eos versatur *gaudens et videns ordinem vestrum*, videbat autem in spiritu ex iis quae retulerat ad eum Epaphras 1,8 (*Est.*), τὴν τάξιν, τὴν εὐταξίαν, φησί (*Chrys. Thph.*), ordinem bonum disciplinae christianae. Dictionem ex re militari assumptam concipit *Thph.*: sicut enim in acie militari bonus ordo phalangem firmam efficit, sic et in ecclesia, quando bonus ordo fuerit caritate omnia constituente, tunc fit soliditas; putat *Lightfoot* terminos militares apostolo ex ipsa sua conditione, quippe qui vinctus erat cum custodiente se milite (Act. 28,16; Phil. 1,13) ei esse suggestos. Sequitur enim altera dictio militaris καὶ τὸ στερέωμα, vide 1 Mach. 9,14 τὸ στερέωμα τῆς παρεμβολῆς, et 10,50; *et firmamentum eius quae in Christo est fidei vestrae*, firmamentum, firmum fulcrum, τὸ στερέωμα est ipsa fides, τῆς πίστεως est genitivus epexegeticus; est fides firmum propugnaculum contra errores; et hoc firmum propugnaculum cernit apostolus in eorum fide. Ordine bono in

acie constituti fidem quasi arcem et propugnaculum habent. Haec acceptio certe magis congruit ad τάξιν, quam explicare στερέωμα de soliditate et constantia fidei. Bonos omnino nuntios de eis accepit, ut ex hac laude apparet. Describit enim eos, ut *Chrys.* ait, tamquam milites ordinate firmiterque stantes; non solum, inquit, non cecidistis, sed nec ordinem vestrum confudit aliquis. Pseudodoctores itaque verum damnum fidei integritati nondum attulerunt; periculum tamen est, ne id fiat, defectu plenae cognitionis Colossensium. Quare apostolus eos sedulo edocet de excellentia mysterii, Christi. Praemittit apostolus, uti solet, ante admonitionem laudem; neque tamen haec laus cum *Theod.* solum accipienda est « aures demulcens et ad suasionem viam muniens », sed praeterea nos de vera conditione eorum certiores facit, quamvis verum sit, parari laude animos ad admonitionem bene suscipiendam ; cf. 1 Cor. 1,5-9.

Contra illam πιθανολογίαν, subtilitatem, plausibilem sermonem, opus est, ut firmiter et constanter se servent in accepta doctrina et in exercitio pietatis, actionis gratiarum; v. 6 *sicut ergo accepistis Iesum Christum Dominum*, ergo οὖν respicit quod modo dictum est de eorum fide firma; παρελάβετε, vide 1 Thess. 2,13, ubi clare apparet discrimen inter παραλαμβάνειν et δέχεσθαι, accepistis scil. traditione, institutione, τὸν Χριστόν, edocti estis de Messia, et hunc Messiam esse Ἰησοῦν τὸν κύριον, Messiam venisse et suo populo se manifestasse Iesum, in illo homine qui Iesus vocatus in Iudaea praedicavit et signa fecit et crucifixus est, et hunc eundem esse τὸν κύριον, Dominum. Iesum confiteri Dominum, tessera erat fidelium (cf. 1 Cor. 12,3), qua confessione uuiversale eius dominium vel potius eius divinitas enuntiabatur; cf. Eph. 3,11; Phil. 2,11. Eo itaque modo, quo edocti sunt, *sicut accepistis*, de persona et dignitate Messiae et Domini, *in ipso ambulate*, tota eorum vitae ac conversationis ratio debet versari in Christo, regi eius doctrina; ipse sit fundamentum totius conversationis; ipse est via quae adducit ad Patrem (*Chrys.*).

Quomodo autem hanc vitae rationem, hoc *ambulare*, oporteat instituere, sequentibus determinationibus indicatur v. 7 *radicati*, ἐρριζωμένοι, cf. Eph. 3,17; imagine utitur ab arbore deprompta; altas mittant radices, firmiter Christo adhaereant, ex eo hauriant sucum et nutrimenta vitae spiritualis; in eo sint fixi et stabiles; nam quod radicatum est, non huc illuc transfertur, sed manet immotum (*Chrys.*). Bene advertit *Cai.* participia haec vim et notionem habere imperativi: radices figite in Christo, vel melius: radices fixas habete in eo. Has radices fixas habent iam ex baptismo, ex illa cum Christo complantatione (Rom. 6,5). In verbo περιπατεῖν, *ambulare* (hebr. הלך) notio vitam agendi, vitam instituendi, ita usu praevaluit, ut metaphora fere iam non sentiatur; unde

commode iungi potuit: in eo ambulate radicati. Sed a metaphora arboris bene radicatae transit ad metaphoram aedificii: *superaedificati in ipso*, ἐποικοδομούμενοι, participio praesenti sensu imperativi: superaedificamini in eo, ad similitudinem templi (*Cai.*), in ipso habentes fundamentum altius erigite aedificium vitae spiritualis; facite progressus in illa cum Christo unione. Imago aedificii spiritualis apostolo est sat familiaris; vide Rom. 14,19; 1 Cor. 14,3.5.12.26; 2 Cor. 12,8; Eph. 4,12.16 et 1 Cor. 3,16 nescitis quia templum Dei estis? et 3,9 Dei aedificatio estis, etc.

Ad spirituale aedificium alte erigendum (sursum aedificate!) opus est fide viva, opus est vita ex fide; unde *et confirmati fide* βεβαιούμενοι, item participio praesenti: fide confirmamini, *sicut et didicistis*, καθὼς (καὶ, apud paucos testes) ἐδιδάχθητε, sicut edocti estis, cf. 1,7; monet itaque, ut fidem teneant, firmiter amplectantur et in ea proficiant secundum normam institutionis et doctrinae eis traditae; *sicut* significat nihil novi dici (*Chrys.*), verum solum oportere, ut doctrina accepta in dies magis percipiatur animis, in ipsa vita et moribus exprimatur et omnes robur spirituale et fortitudinem sibi ope fidei acquirant, scil. ut fide armati et confirmati pergant laeti in erigendo altius spirituale aedificium, seu templum Dei. Atque huius fidei abundantiam sibi comparare studeant grato in Deum animo: *abundantes in illo in gratiarum actione*, περισσεύοντες ἐν αὐτῇ, iterum participio praesenti: abundate in illa scil. fide; ἐν αὐτῇ commendatur graecorum et multorum testimonio, pauci praebent ἐν αὐτῷ, uti vulg, editiones criticae ἐν αὐτῇ vel omittunt vel uncis includunt. Lectionem ἐν αὐτῇ esse genuinam valde probabile est iam ex eo, quia facile explicatur cur forte omissa (oculis ab ἐν priore ad subsequens ἐν aberrantibus), difficillime autem, cur inserta sit; quare *Hpt. Ew.* eam potius retinendam censent.

Monentur itaque, ut abundent in fide, maiorem in dies cognitionem acquirant et firmissima persuasione doctrinam fidei traditam et acceptam amplectantur. Id autem fieri debet eo quoque quod agnoscant sibi in fide summum quoddam beneficium a Deo esse collatum; unde additur *in gratiarum actione*, ex fide oritur actio gratiarum; hac actione gratiarum ipsum fidei beneficium magis agnoscitur et proin fides crescit in aestimatione, fides augetur, et ita ἐν de adminiculo seu instrumento concipi potest, id quod aptius esse videtur, quam accipere ἐν de comitatu: abundantes in fide simul cum gratiarum actione (comitante actione gratiarum); aliter rem concipit *Ephr.* explicans: ut per hanc (fidem) possitis abundare et in gratiarum actione. Hoc in quavis acceptione clarum compertumque est: apostolus cum fide viva iunctam esse vult actionem gratiarum, qua agnoscant sibi omnia quae ad salutem pertineant praesto

esse et offerri in fide Christi. Eo modo potest *abundantes* etc. referri ad tria membra quasi supplementum quoddam, ut ubique adsit actio gratiarum. Notandum est, quantum momentum apostolus in epistolis collocet in gratiarum actione ; ipse enim saepe agit gratias et ad id exhortatur ; vide Rom. 1,8 ; 1,21 inter gentium vitia recenset non agere gratias ; 1 Cor. 1,4; 2 Cor. 4,15 ; 9,11.12; Eph. 5,4; Phil. 1,3; 4,6 ; 1 Thess. 3,9 ; 2 Thess. 1,3 ; 1 Tim. 2,1; 4,3 etc.

Primum adminiculum contra periculum fidei assignat apostolus, ut fidem quam institutione didicerant, revera exhibeant et sequantur in vita quotidiana ; ut haec vita versetur et fundetur in Christo et quidem minime secundum superficiem, verum plene et perfecte, ut in arcta illa cum Christo unione proficiant. Primum itaque subsidium conservandae ac tuendae fidei est vivere secundum fidem et proficere in vitae morumque integritate. Eos esse sufficienter edoctos, liquet ex modo quo apostolus loquitur ; cf. 1,7.23 ; 2,5.7 ; quae enim cap. 1 proponit de Christo, eius dignitate et opere, non proponuntur quasi nova seu incognita Colossensibus, sed tamquam nota, acceptata, communiter a fidelibus credita ; nulla quippe demonstratione, argumentis nullis, nullis Scripturae locis utitur, id quod tamen aliis in epistolis non omittit facere (cf. Rom. Cor. Gal.) ; sed solam nudam doctrinam affirmat et in memoriam revocat. Nihil mancum esse videtur apud Colossenses, nisi hoc unum, quod ex doctrina accepta nondum intellexerint sive collegerint omnes conclusiones.

Alterum igitur adminiculum iis praebendum erat aperta denuntiatione et ostensione erroris, contra quem et doctrina accepta et necessariae conclusiones clarius erant exhibenda ; v. 8 *videte ne quis vos decipiat*, cf. Luc. 21,8 videte, ne seducamini, innuitur verum periculum, μή τις, adversarios non nominat ; significatione maiore valet graecum : μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν, forma indicativa μὴ ἔσται et monitum et periculum magis effertur ; utitur quadam amplitudine : ne quis futurus sit qui vos praedam abigat i. e. qui vos capiat et in suum errorem vos abducat ; veteres latini (Cyprianus, Hieronymus, Ambrstr.) legunt : ne quis vos depraedetur, sed συλαγωγεῖν certe idem sonat quod σῦλον ἄγειν (apud Heliod. Aeth. 10,35 τὴν θυγατέρα συλαγωγήσας filiam rapere) ; *Chrys.* explicat exemplo eius qui occulte suffodiat aggerem, ut corruat inopinato ; *Theod.* ἀποσυλᾶν τὴν πίστιν fidem rapere, eripere. Ad formam loquendi compara Gal. 1,7 ; 3,21.

« Viam ostendit per quam fur venit » (*Thph.*) : *per philosophiam et inanem fallaciam*, praetextu alicuius altioris sapientiae, quae honesto nomine philosophiae decoratur, verum nihil aliud est nisi κενὴ ἀπάτη, quae traduntur, sunt vacua, inania, a veritate maxime aliena, quibus fraudem ac deceptionem aliis afferri certum sit. Illi igitur opiniones suas splen-

dido nomine philosophiae vendere studebant, apostolus autem statim τὴν φιλοσοφίαν κενὴν ἀπάτην describit et vocat; sub eadem praepositione eodemque articulo utrumque effertur ; unde iam suadetur denotari unam eandemque rem et insuper ex subsequentibus, praesertim v. 18.23, appareret sub specie sapientiae induci inanem deceptionem. Qualem itaque philosophiam apostolus repudiet, ipsa hac appositione et v. 18.23 declarat; similis est locutio 1 Tim. 6,20 ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Notat *Chrys.* ἐπειδὴ δοκεῖ σεμνὸν εἶναι τὸ τῆς φιλοσοφίας, προσέθηκε· καὶ κενῆς ἀπάτης, sollemne quid et grave sonat nomen philosophiae; ne tale quidquam arbitrentur sibi offerri, statim cavet, et duos assignat fontes, seu duas normas huius falsi nominis philosophiae *secundum traditionem hominum*, *secundum elementa mundi*, *et non secundum Christum ;* haec sapientia non est ex Deo seu ex revelatione divina, neque ex sacris libris; totum solum depromptum ex penu humano, ex opinionibus ore et sermonibus hominum traditis, nulla alia auctoritate suffultis. Neque fontem vel normam habet in recto rationis lumine, sed potius promanant ex indigna quadam servitute, qua elementis mundi praestatur obsequium.

Quaenam sunt τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου? de notione varia vocabuli στοιχεῖον vide quae pluribus exposuit *Cornely* ad Gal. 4,3 (Comment. in 2 Cor. Gal. p. 523). Variae notiones hoc loco iam ipso contextu excluduntur; ita notio: prima, seu elementaris institutio quae ex rerum natura, ex mundo, colligi possit; nam apud Colossenses iactatur « philosophia » et pseudodoctores suam sapientiam non quasi elementarem proponebant. Neque sidera, seu generatim res externae intelligi possunt, a quibus Iudaei in diebus festis et caerimoniis observandis dependebant; nam ex eiusmodi observantiis illa philosophia non est enata. Neque apostolus vocabulum hac vel illa notione adhibere poterat; nam errores quos impugnat, certo noluit dicere ortos esse vel ex elementari cognitione rerum, vel ex contemplatione siderum. Falsa illa philosophia, seu inanis fallacia est κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν — haec inter se opponuntur. Iam in antecedentibus saepius animadvertimus, speciali ratione efferri Christi dignitatem, omnem sapientiam in eo contineri, omnia per eum esse reconciliata ; et hic statim iterum haec eadem novo modo explicantur. In hisce igitur agnoscendis defecerunt pseudodoctores; eorum philosophia non erat κατὰ Χριστόν. Illa erat autem κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, et in sequentibus sermo est de religione angelorum, de cultu angelorum, sermo est de principatibus et potestatibus plane devictis. Unde valde probabile efficitur, nexum quendam exsistere inter στοιχεῖα et angelos illos ; quare sententia aliquorum recentiorum, στοιχεῖα τοῦ κόσμου esse principes mundi, mundi rectores (Eph. 6,12), ex hac ipsa oppositione valde commendatur.

Et talem nexum apud Iudaeos quosdam assumptum esse, apparet ex illo, quod Clemens alex. (Rom. 6,5; *M.* 9,261) et Origenes (ad Ioan. 4,22; *M.* 14,425) ex Praedicatione Petri (κήρυγμα) referunt: καὶ αὐτοὶ (Iudaei) λατρεύοντες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις καὶ μηνὶ καὶ σελήνῃ. Idem legitur in apologia Aristidis 14. Unde talem nexum sibi effinxerint, haud difficile explicabitur; Iob 38,7 astra matutina et angeli pariter laudant Deum et Iud. 5,20 de coelo dimicatum est contra eos: stellae manentes in ordine suo adversus Sisaram pugnaverunt; ipsa lex in multis praeceptis alligata lunae data est per angelos (Gal. 3,19; Hebr. 2,2) et iam Philo novit τιμᾶν τὰ στοιχεῖα. Praeterea in eventibus terrestribus angelos operari, multiplici testimonio veteris testamenti apparet (cf. 2 Reg. 24,16. 17; 4 Reg. 19, 35; 1 Par. 21,12; 2 Par. 32,21. Ps. 33,8; 34,5; 77,49; 90,11 etc.); in Apocalypsi exhibentur angeli praeesse ventis, aquis, igni (Apoc. 7,1; 14, 18; 16,5), et angelis tuba canentibus oriuntur maximae tempestates et perturbationes in terra et in luna et in stellis (8,7 sq.). Quae si consideraveris, non mirum tibi videbitur στοιχεῖα τοῦ κόσμου non solum res naturales, sed in iisdem et per easdem operantes spiritus agnovisse etiam multos ex notione iudaica. Adde quod in libris apocryphis eadem enuntiantur; ita in libro Iubilaeorum angeli ignis, ventorum, grandinum, fulgurum etc., in libro Henoch angeli stellarum, solis; item in Ascensione Isaiae, in Oraculis sibyllinis etc.; demum in Testamento Salomonis legimus inter alia: ἡμεῖς ἐσμὲν τὰ τριάκοντα ἓξ στοιχεῖα, οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότου τούτου, et spiritus asserunt se esse τὰ λεγόμενα στοιχεῖα. Apud Essenos quoque doctrina quaedam occulta de angelis habebatur; nam iuramento tenebantur συντηρήσειν τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία καὶ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα (Iosephus, Bell. iud. 2,8,7).

Hanc recentiorum (Spitta, Deissmann, Everling aliorumque) sententiam de στοιχείοις tamquam potestatibus spiritualibus impugnat quidem *Ewald;* at explicationem proponit quae reipsa quam proxime ad illam accedat. Verum est quod dicit κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου i. e. secundum rudimenta sapientiae mundanae (das ABC der Welt) ita debere concipi, ut non designetur error ipse, sed norma secundum quam pseudodoctorum scientia hauriatur et proponatur. Et certe si quid contemptus in locutione inest, id ex mente apostoli enuntiari facile intelligitur. Ergo ex hac parte non oritur difficultas. At oritur ex sequentibus. Nam, ut *Ew.* vult, illa rudimenta scientiae mundanae sunt ipsae illae opiniones adeo pervulgatae, quibus exsistere creduntur ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι et varii earum effectus in res naturales. Et fatetur *Ew.* insuper Paulum non a limine repudiare illas potestates, sed illas agnoscere devictas a Christo, quatenus per Christum spoliatae sint potentia sua et dominatio earum sit exstincta. En, habemus τὰ στοιχεῖα in optima forma τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας, sed simul

cum insigni apostoli errore, qui exsistentiam angelorum vel in dubium vocet vel ad prima rudimenta mundi referat. Exsistere autem angelos bonos et angelos malos, apostolus clare docet; num id hausit ex « ABC der Welt »?

Totius admonitionis ratio affertur, ne scil. aliunde quaerant cognitionem rerum divinarum aut opem spiritualem; v. 9 *quia in ipso* (in Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, θεότητος deitatis: plena, tota et perfecta deitas inhabitat in eo, est scil. discrimen inter θεότης et θειότης, deitas et divinitas, sicut similiter inter Deum et divinum, inter esse Deum et esse aliquid divinum, inter naturam et attributa; unde verti debet plenitudo deitatis, quia non solum divinae virtutes seu attributa inhabitant in Christo sed ipsa natura divina (non Göttlichkeit, sed Gottheit). Iam plus, maius, excellentius fingi nequit, quam πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, tota copia, tota summa et perfectio deitatis; κατοικεῖ conditionem designat permanentem; inhabitatio nullam dicit mutationem in habitante (*Cai.*). Cum emphasi effertur in fine sententiae *corporaliter* σωματικῶς, id quod vario modo concipitur; *Theod.* explicat τουτέστιν ὡς ἐν ἰδίῳ σώματι, tamquam in proprio corpore; aliter *Thph.*: hoc est, non operatio quaedam, sed substantia, οὐσία, ac veluti incorporatus καὶ ὡς σωματωθεὶς et una hypostasis exsistens cum assumpto; alii opponunt: non solo habitu, sed secundum substantiam, οὐσιωδῶς (*Dam.*), οὐ σχετικῶς: at corpus tamen per se non habet notionem substantiae, οὐσίας. Rem declarat *Oec.* eo modo quo anima habitat in corpore hominis, scil. inhabitat inconfuse, indivise. Ita declaratur inhabitare, at non corporaliter. Vox quidem potest significare in modum corporis, et eo sensu accipit vocabulum *Haupt*, et explicat: dum pseudodoctores ex variis partibus suam conquirere volunt scientiam, in Christo data est tota plenitudo « per modum unius organismi ».

Cum in subsequentibus v. 17 de umbra et corpore mentio fiat, placuit pluribus hic iam corporaliter opponi figurae et umbrae, inhabitare scil. essentialiter, non umbratili quadam ratione; at haec oppositio hoc loco non indicatur. In exemplo ex Eustathio allato opponitur σωματικῶς locutioni κατὰ μόνην ἀλληγορίαν (*Wetsten.*), ita ut notionem induat: revera, reipsa (non secundum allegoriam, sed σωματικῶς poeta vocat βροτολοιγὸν τὸν Ἄρην). Si haec notio pluribus exemplis ostendi posset, haud inepte accomodaretur loco nostro. Alii vident in hoc textu aliquam cognationem cum textu Ioan 1,1.14: in principio erat Verbum — et Verbum caro factum est, ita ut σωματικῶς Incarnationem designet; in ipso plena deitas inhabitat per unionem cum corporea substantia seu carne humana in persona Verbi (*Est.*), ipsa deitas substantiale esse corporeum in Christo habet (*Cai.*), vel quia in Christo divina natura non tantum animae, sed etiam

corpori unita est (*Lap. Nat.*) ; etiam *Lightfoot* censet unice explicari posse σωματικῶς ex Ioan. ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, corporaliter, cum corporea manifestatione.

At manent difficultates. Si dicitur ἐν αὐτῷ, in Christo, iam designatur incarnatio facta ; quomodo ergo σωματικῶς eam designabit ? et σωματικῶς additum ad κατοικεῖ non potest significare nisi habitare eo modo sicuti corpus, in modum corporis. Sed quomodo plenitudo deitatis inhabitat in Christo in modum corporis, seu sicut corpus? Explicant alii in oppositione ad ἀσωμάτως, incorporaliter, ita scil. ἀσωμάτως erat plenitudo deitatis in Verbo ante Incarnationem, nunc autem in corpore glorificato ; cf. σῶμα τῆς δόξης Phil. 3,21. Hanc explicationem a multis proponi et unice probari posse censet *Abbott*, et eandem etiam *Grimm* (s. v.) proponit, ut intelligatur corpus coeleste et spirituale solis coelitibus conspicuum. Verum σῶμα τῆς δόξης non multum iuvat; nam plenitudo deitatis etiam habitavit in Christo dum gereret corpus mortale, passibile. Ut aptus sensus gignatur, debent adverbia illa significare : dum erat sine corpore, dum est in corpore, ergo in statu incorporeo, in conditione corporea. Adverbia illa certe habent vel habere possunt hanc significationem ; sed tunc σωματικῶς quod cum emphasi in fine ponitur plane abundat ; nam in ipso i. e. Christo cum dicatur, iam exprimitur conditio (Christi) corporalis : et si haec per abundantiam esset repetenda : in Christo, immo dum est in statu corporali, tunc male poneretur σωματικῶς in fine, deberet adiungi ad ἐν αὐτῷ. Quare haec quoque explicatio (« the only one tenable ») nequit admitti.

Cum ponatur in fine σωματικῶς, non solum ictum quendam habet, sed etiam oppositionem ad pseudodoctores. Isti autem plenissimam illam perfectionem in Christo non agnoscunt. Unde statim apparet probabile, uti πᾶν τὸ πλήρωμα, ita σωματικῶς quoque dici ad refellendam illam opinionem. Quare dispiciendum erit, habeatne σῶμα notionem quandam, ex qua pro σωματικῶς apta colligi possit significatio. Atque revera σῶμα dicitur translato quoque sensu ; apud Aristotelem (Rhet. 1,1) ἐνθύμημα vocatur σῶμα τῆς πίστεως fundamentum, seu vis et nervus ad faciendam persuasionem, apud Lucianum (Hist. c. 23) prooemio opponitur τὸ σῶμα τῆς ἱστορίας, dicitur τὸ σῶμα τῆς λέξεως (cf. Stephan. Thesaurus linguae graecae s. v.) et in lexicis quoque docetur σῶμα dici de quovis toto (jede Gesamtheit). Hisce itaque suppositis σωματικῶς explicari poterit : *tote*, *totaliter*, quae notio eo loco et ictum habet et maximam ad opiniones pseudodoctorum oppositionem ; et cum σῶμα sicut corpus etiam dicatur de pluribus in unum volumen collectis, σωματικῶς accipi poterit sensu analogo : inhabitat in eo omnis plenitudo deitatis modo in unum collecto, seu summatim.

Uti ipse Christus omni modo est perfectissimus, ita fideles quoque in ipso abundantissime omnia habent quibus ad salutem indigent v. 10 *et estis in illo repleti ;* cf. 2,2; Eph. 4,13; nam de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia (Ioan. 1,16); quomodo iam repleti sint, explicat *Chrys.* allatis locis illis : conresuscitavit et consedere nos fecit (Eph. 2,6), si sustinuerimus et conregnabimus (2 Tim. 2,12) ; quomodo non etiam cum ipso omnia nobis donabit (Rom. 8,32) vocans etiam coheredes. Subtilius est aliud, quod etiam habet *Chrys.:* « nihil minus habetis quam ille ; sicut in illo habitavit, ita etiam in vobis » ; sed : et vos deitate impleti estis, ita *Thph.* explicat : « cum enim natura nostra (in Christo per assumptionem) Deo copulata est, nos etiam in ipso divinae naturae facti sumus participes ». Vero sensu Deus in iustis inhabitat : si quis diligit me, inquit Christus, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (Ioan. 14,23; cf. Rom. 8,9-11 ; 1 Cor. 3,16; Eph. 3,17 ; 2 Tim. 1,4).Vide quae dicta sunt ad Eph. 3,17 et ad Phil. 1,11.

In Christo solo omnia iis praesto esse, repetito affirmat apostolus ex summa eius dignitate et dominatione super omnes angelicas potestates : *qui est caput omnis principatus et potestatis*, πάσης ἀρχῆς cuiusvis principatus et potestatis : κεφαλή dominus est Christus, omnes ei subiecti sunt angeli quicumque. Itaque ex parte angelorum nullatenus obscuratur summa Christi ex omni parte excellentia, verum effertur et illustrior redditur. Talia dici ratione habita κενῆς ἀπάτης καὶ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου v. 8 in aperto est positum. Iam v. 11-15 explicat apostolus, quomodo revera in Christo habeant omnia ; exponit quod dixit in v. 10 : estis in illo repleti. Nam per Christum egregio modo soluta est servitus veteris foederis, collata est nova vita, victoria reportata et triumphus de daemonibus.

Iudaeo-christianis facile inhaesit aestimatio circumcisionis, signaculi iustitiae fidei, nam quae utilitas circumcisionis ? multum per omnem modum (Rom. 3,1 ; 4,11 ; Gen. 17,10.11 signum foederis inter me et vos). Quare facile fieri potuit, ut neophytis ex gentibus innuerent, iis aliquid deesse quod ad plenam dignitatem filiorum Dei pertineret. Non urgebant necessitatem circumcisionis ; nam tum Paulus multo aliter locutus esset, uti exemplum habemus in epistola ad Galatas ; at Iudaeos ob circumcisionem aliquo modo praestare, modo loquendi apostoli indicatur tamquam opinio apud Colossenses non incognita ; v. 11 *in quo et circumcisi estis*, quidquid emolumenti est seu cogitatur in circumcisione, habetis in Christo, sed altiore genere circumcisionis *circumcisione non manufacta*, non terrestri, sed ex causa spirituali et ab auctore coelesti facta ; nam ἀχειροποίητον refertur ad regiones spirituales, supramundanas; cf. Marc. 14,58 ; Act. 7,48 ; Hebr. 9,11.24. Cum circumcisio iam

in vetere foedere tamquam symbolum puritatis consideraretur (cf. Deut. 10,16; 30,6; Ier. 4,4), eo facilius sensu translato nomen circumcisionis adhiberi potuit, cum agitur de novo foedere inter Deum et homines, cuius tessera non est circumcisio carnis, sed circumcisio cordis, qua non caro, sed peccatum tollatur.

Haec enim circumcisio consistit *in exspoliatione corporis carnis*, per eam fit ἀπέκδυσις depositio corporis eius cuius tota indoles est corruptio ac concupiscentia carnis; hac circumcisione corpus subtrahitur tyrannidi carnis seu indomitae libidinis (3,9). Quod hic dicitur corpus carnis, alias appellatur ab apostolo corpus peccati: vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato (Rom. 6,6). Haec est exspoliatio corporis carnis et eiusmodi fit *in circumcisione Christi*, ita hoc membrum commode adiungitur, vel per modum appositionis, scil. circumcisione illa quam Christus pro suis instituit, cuius ille auctor est et quae unice in regno Christi valet; ita simul completur et explicatur illud: in quo et circumcisi estis. Vocabulum circumcisionis adhiberi, sed sensu prorsus alio, translato, sublimiore, extra controversiam est. Sed cur mentionem circumcisionis inferat, quaeritur. Ratio quam supra attuli non omnibus videtur sufficere, volunt enim arctiorem rationem repetere ex nexu cum potestatibus spiritualibus. Quem in finem supponitur, pseudodoctores in circumcisione carnali iactasse tutamentum potentissimum (amuletum, φυλακτήριον) contra malos effectus illarum potestatum (*Ew.*), quo itaque neophyti ex gentibus carerent. Aliter rem concipit *Haupt:* Iudaeos etiam fuisse subiectos angelicis potestatibus; per Christum autem omnes potestates spirituales esse devictas (v. 15), et ita per Christum effectum esse quod per circumcisionem praestari non potuerit. At de tali notione aut acceptione circumcisionis nullum in epistola apparet vestigium; neque apostolus in subsequente explicatione circumcisionis christianae (v. 12-15) ullo modo innuit talem effectum et fructum operis sui in oppositione ad circumcisionem iudaicam.

Iam clare exponitur quaenam sit circumcisio Christi et quosnam effectus secum afferat v. 12 *consepulti ei in baptismo*, vide Rom. 6,4 seq. consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. In baptismo delentur, auferuntur peccata; haec est mors ac sepultura, haec significatur in baptismo per immersionem, et hic habetur illa exspoliatio corporis carnis. Emersio ex aqua baptismali significat resuscitationem, novam vitam; quam alteram partem adiungit apostolus non participio (ut consepulti), sed sententia relativa, qua etiam vis et pondus cogitationis melius effertur: *in quo et resurrexistis*, « in quo » posset

referri ad baptismum (*Est. Nat.*), sed ob aequalitatem structurae (v. 11) melius erit illud referre ad αὐτῷ et explicare de Christo; baptismo iuncti cum Christo ita συνηγέρθητε consuscitati estis; uti mortui estis et sepulti cum eo in baptismo, eodem modo cum eo suscitati estis. Qui baptizantur, credere debent mortem et resurrectionem Christi, et hac fide sese praeparant ad gratiam per baptismum recipiendam.

Ista fides, comes baptismi et praeparatio gratiae etiam hic designatur *per fidem operationis Dei qui suscitavit illum a mortuis* τῆς ἐνεργείας, in suscitatione Christi apparet eximia Dei efficientia (cf. 2 Cor. 13,4; Eph. 1,19.20), sicut eius gloria (Rom. 6,4). Eius fidei rationem et necessitatem apostolus etiam alibi enuntiat: si confitearis in ore tuo Dominum Iesum et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris (Rom. 10,9). Unde apparet hic plane easdem notiones proponi quas apostolus antea in epistola ad Romanos declaravit. Interpunctio vulgatae est retinenda contra aliquos, qui a verbis « per fidem operationis Dei » novam incipientes sententiam haec verba ad subsequentia trahunt. Sed singulare esset, tam abrupto modo sine ulla particula aut coniunctione novam incipere sententiam. Praetera veteres omnes iungunt haec ad antecedentia et omnino congruit, ut resurrectio nostra spiritualis adscribatur baptismo, cuius praeparatio et comes esse debeat fides (cf. Eph. 5,26 mundans ecclesiam lavacro aquae in verbo vitae); intime enim iunguntur baptismus et fides (Marc. 16,16. Act. 2,41; 8,37). Simul innui fidem resurrectionis nostrae a mortuis, Ephraem et graeci iudicant.

Haec est itaque circumcisio Christi (v. 11), i. e. quae valet in regno Christi, et quidem non manufacta, quae perficitur in baptismo, in regeneratione et renovatione (cf. Tit. 3,5). Et quod modo dixit, nunc adhuc speciali modo ad Colossenses applicat. Prius quidem pristinam conditionem miseriae et peccatorum eis in memoriam revocat, quo beneficium collatum pluris aestiment et intelligant, ex quanta potestate tenebrarum erepti sint (1,13) v. 13 *et vos cum mortui essetis* coram Deo *in delictis*, peccatis et lapsibus παραπτώμασιν propriis *et praeputio carnis vestrae* et generatim statu et conditione moribusque gentilismi (cf. *Cai. Nat. Est. Lap.*); sumitur ἀκροβυστία sensu translato quo simul status gentium designatur aversus a Deo et eius legi minime subiectus, ita ut vere dici possit cum *Iust.* eam luem et labem declarari quae universum genus humanum invaserit. De sensu translato, quo significatur contumacia in Deum, durities cordis, aversio a Deo, vide Deut. 10,16; Ier. 4,4; 9,26. Magna in hac sententia apparet similitudo cum Eph. 2,1.5. Ex hac conditione tenebrarum ereptos transtulit Deus in regnum Filii sui (1,13) *convivificavit cum illo*, ex morte spirituali ad vitam coram Deo supernaturalem vocati sunt, sicut Christus ex morte corporis ad vitam gloriosam a

Patre suscitatus est, *cum illo* i. e. haec vita supernaturalis intime connectitur cum Christo; ob Christi merita simul cum eo et in eo omnes vitam habent; vide Eph. 2,5 et 1,3 benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo. Cum ictu graece repetitur ὑμᾶς (ἡμᾶς praebent pauci testes) post convivificavit.

Et cum vita quaedam alia indissolubili modo data sunt: *donans vobis omnia delicta*, graece plerumque et recte ἡμῖν, nobis: « modo dicit *nobis*, quia condonatio peccatorum communis est gentibus et Iudaeis » (*Cai.*); χαρισάμενος benignam et gratiosam effert condonationem *omnium*, quotquot sunt, sine ullo limite; sine ulla particula coniunctionis, per modum appositionis et declarationis adiungitur: *delens quod adversus nos erat chirographum decreti*, ἐξαλείψας, oblitterans, expungens τὸ χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, chirographum quod constabat decretis, praeceptis, ita erit iungendum; ceterum vide Eph. 2,15, ubi explicatur ἐν δόγμασιν. Posset etiam τοῖς δόγμασιν trahi ad sequentia: *quod erat contrarium nobis suis decretis;* at contra est ipsa vocis collocatio; plerique prius illud merito retinent; de notione vide Luc. 2,1; Act. 17,7. Intelligi legem veterem omnes consentiunt. Et scriptum hoc, quod debitum Iudaeorum testatur, a Iudaeis tum esse confectum *Chrys. Oec. Thph.* censent, cum dicerent: cuncta quae locutus est Dominus faciemus (Ex. 19,8). At iidem simul etiam monent de debito universo generi humano imposito (Gen. 2,17) et merito etiam *Thom.* notat: ad omnes loquitur. Nam uti modo incepit apostolus loqui de omnibus, Iudaeis et gentibus *donans nobis* v. 14, ita pergit quoque.

Etsi primo et per se τὸ χειρόγραφον τοῖς δόγμασι veterem legem dicit (*ThdM.*), tamen locutio haec magis generalis est neque unice ad legem veterem coarctatur. Nam ipse apostolus docet gentes quoque habere opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum (Rom. 2,15). Ergo gentes quoque habent tale chirographum contra se; culpis coram Deo obstringuntur et teste apostolo sunt inexcusabiles (Rom. 1,20). Unde quod dicitur *quod erat contrarium nobis* universim et Iudaeos et gentes tangit. Chirographum autem non ipsi Iudaei scripserunt (graeci), sed uti ex δόγμασιν clare apparet, Deus legislator cordibus et tabulis inscripsit; nostris autem peccatis exstitit vera quaedam syngrapha, chirographum non debitae pecuniae (Tob. 5,3; 9,5), sed debitorum, peccatorum (cf. dimitte nobis debita nostra) et hanc syngrapham scripsit Deus quoque, uti apostolus ait: conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur (Rom. 11,32). Lectio vulg. *chirographum decreti*, varie concipitur: decreti i. e. legis veteris, praecepti, sententiae damnationis (*Thom. Nat. Lap.*). Veteres varie legunt: chirographum debiti nostri (Irenaeus), legis, edictum damnationis nos-

trae, in sententiis (Hilarius), in decretis (Augustinus, apud *Sabatier*). Ordinem litterae hunc statuit *Cai.:* delens chirographum quod decretis adversus nos erat; ergo τὸ τοῖς δόγμασιν καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, qui modus praestat quidem prae altero coniunctionis cum sententia relativa, at prohibetur item ipsa collocatione.

Ista deletione seu expunctione chirographi idem ex una parte enuntiatur quod dictum est : donans nobis omnia delicta; ex altera autem parte additur nova sententia, qua ratione illud documentum adeo nobis contrarium sit sublatum et destructum : *et ipsum tulit de medio*, medium erat inter Deum et nos, contrarium nobis, testans contra nos; tulit de medio, hoc est ex ordine rerum (*Cai.*), fecit ne appareret (*Thph*); quomodo sublatum sit et sublatum maneat (ἦρκε perfectum!), dicitur verbis : *affigens illud cruci* : subiectum est *Deus*; ex veteribus, quantum video, unus *Cai.* id agnoscit et effert; alii immediate omnia de Christo accipiunt. At legitur : convivificavit cum illo, scil. Deus (cf. v. 12), dein additur : donans, delens (Deus scil.), ergo pergi debet : et Deus tulit de medio, affigens illud cruci; προσηλώσας clavis affixit documentum illud cruci. Enuntiatur cruce, morte Christi, haec beneficia deletionis ac donationis nobis obtigisse. In προσηλώσας cernunt documentum illud esse pertusum, laceratum, diruptum, sicut fieri solet, si quod documentum aut si qua syngrapha iam non valet, sed aboletur. In τῷ σταυρῷ clara est allusio ad 1,14.20 per sanguinem crucis eius et 1,21 in corpore carnis eius per mortem. Quod Deus affigit cruci, locutio est similis illi : sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Ioan. 3,16); affixit enim illud cruci, dum Filium suum cruci clavis affigi voluit ac permisit.

Apposite monet *Ew.* ex usu vocabuli χειρόγραφον, qui apparet in papyris, vocabulum nequaquam restringi ad notionem syngraphae (Schuldschein) vel ἀνταποχῆς; nam ex tredecim documentis quae in duobus primis tomis pap. Ber. χειρόγραφα nominantur, quinque solum sunt syngraphae (Schuldscheine), alia testimonia de depositis, de contractibus cum operariis, de contractibus emptionis. Atque eadem varietas notionis et usus vocabuli adverti potest in The Oxyrhynchus Papyri, v. g. papyrus 98. 241. 259. 507, etc. Est generatim documentum, seu testimonium scriptum quodvis de re quacumque.

In hac sententia simul continetur ablatum et deletum esse maledictum legis (Gal, 3,13) et vetus testamentum abolitum (vide Eph. 2,15.16). Accedit aliud; simul impletum est quod Christus dixit : nunc princeps huius mundi eiicietur foras (Ioan. 12,31); diripientur vasa fortis illius et ipse fortis alligabitur (Matth. 12,29; Marc, 3,27; Luc, 11,22); prosterni debuit deus huius saeculi qui excaecavit mentes infidelium (2 Cor. 4,4),

satanas qui se transfigurat in angelum lucis (2 Cor. 11,14), v. 15 *et exspolians principatus et potestates* : utitur apostolus iisdem nominibus ac in v. 10; debet enim contra pseudodoctores ostendi, illas potestates nihil valere contra Christum, omni vi ac potentia esse exutas et plane Christo esse subditas. Uti enim ex v. 16 (ergo οὖν) suadetur, propter illas potestates, a quibus vel bona sperabant vel mala timebant, varia statuerant praecepta et observationes; ergo clare debuit apostolus ostendere, illis potestatibus iam nullatenus talem vim seu potentiam inesse.

Idque etiam distinctius enuntiatur: *traduxit confidenter palam* ἐδειγμάτισεν ἐν παρρησίᾳ, « confidenter palam » unam reddere graecam dictionem, iam *Cai.* notavit; exposuit eas palam scil. irrisioni et contemptui; exhibuit illos spiritus tamquam captivos, qui triumphum victoris comitari et ornare debent : *triumphans illos in semetipso* θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ triumphum agens de eis in eo scil. in Christo ; bene monet *Cai.* legendum esse non in semetipso, sed in ipso; « nam ut clare contextus sonat, Deo attribuuntur omnes operationes narratae cum hac sexta triumphali ; et quemadmodum Deus descriptus est vivificans, donans, delens, tollens affigensque cruci, ita describitur spolians, traducens et triumphans (triumphum agens) in Christo ». Quod hic dicitur ἐν αὐτῷ potest referri ad τῷ σταυρῷ in v. 14 et ita intelligunt *Oec. Theod. Iust. Est. Lap.*, sed cum Deus sit triumphans seu triumphum agens, potius de Christo (v. 13) videtur intelligendum. Duplex metaphora adhibetur ab apostolo; prior a ducibus petitur victoribus, quibus mos erat victos armis spoliare eaque pro trophaeo figere; secunda sumitur a romanis triumphatoribus qui hostes currui suo triumphali alligatos circumducebant et civibus ostendebant (*Nat.*).

Veteribus et recentioribus nonnullis negotium facessit ἀπεκδυσάμενος. Sententiam referunt ad Christum explicantes : exuens se, addentes saepius carne ; ita Hilarius : spolians se carne et principatus et potestates ostentui fecit; vel exutus carnem; Ambrosius : exuens se carnem, Augustinus : exuens se carne (cf. *M.* 10,34.289.381 ; 15,1665 ; 33,641). Graeci quoque verbum sensu mediali accipiunt, sed ita ut Christus a se repulerit tentationes diabolicas, quam explicationem ex recentioribus secutus est Lightfoot. Verum ita se exuere mutatur in aliam notionem; neque apte fingi potest Christum variis tentationibus quasi veste quadam indutum esse a daemonibus. Alii ex recentioribus recte quidem censent de Deo esse sermonem; at concipiunt Deum potestatibus illis fuisse quasi indutum i. e. obscuratum et obtectum pro hominibus, et Deum sese exuisse, a se removisse istud velamen. At haec quoque sententia nimis mira est et fere absurda videtur, praesertim si consideraveris quae sequuntur : se exuit illis potestatibus, eas exposuit contumeliae et triumphum de iis egit.

Vetus latina interpretatio pariter fert : exuens se ; alios locos huius lectionis apud Ambrosium, Augustinum, Paulinum, Pacianum, Fulgentium affert Sabatier (ad h. l.). Hanc versionem et notionem demum reliquit Ambrosiaster : exuens, et Hieronymus : spolians, exspolians principatus, etc. Et ea significa-

tione activa etiam plerique recentiorum accipiunt et explicant ἀπεκδυσάμενος, vocabulum bis compositum ad vim augendam : penitus spoliare (quo primus Paulus usus esse videtur, cf. Lightfoot). Neque obstat fōrma verbi; nam, sicuti forma activa ponitur pro mediali, ita forma quoque medialis (deponens) saepius pro activa (Blass § 55,1), et id hoc loco eo magis valet, quia notio vocabuli adhibetur metaphorice et transfertur ad regionem spiritualem; in tali autem usu translato forma medialis verborum locum habere solet, ut grammatici docent (cf. *Hpt.*).

Aliqui v. 15 τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας propter articulum referri debere recte existimant ad v. 10, id est ad πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας. Quare colligunt, in v. 19 non posse esse sermonem de daemonibus seu potestatibus infernis; sed in v. 15 alio modo describi abolitionem legis veteris, quae scil. lex per angelos data sit, uti docetur Act. 7,53 accepistis legem in dispositione angelorum, εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, et Gal. 3,19 lex ordinata per angelos et Hebr. 2,2 sermo per angelos dictus. Unde in v. 15 Deum exhiberi sese hoc quasi indumento et mediatione angelorum exspoliantem, etc. At quis sibi persuadebit adeo facile, Deum exhibere angelos, quorum ministerio usus est, tamquam captivos, de quibus triumphus sit agendus et qui palam irrisioni sint exponendi? Non angeli, mediatores legis, sed alii angeli erant deiiciendi et praeter abolitionem legis praecipue removenda erant illa quae ex falsa philosophia secundum elementa mundi apud Colossenses spargebantur. Quare potius assumendus erit nexus inter elementa mundi et v. 15 et religionem angelorum in v. 15. Sicut itaque in v. 14 abrogatio legis indicatur, ita in v. 15 statuitur deiectio et clades eorum qui a pseudodoctoribus veluti principes falsae eorum asceseos et religionis (v. 18.21-23) existimabantur.

In v. 15 illud ἐν αὐτῷ aliqui negant posse ad Christum referri, de quo in antecedentibus non fiat mentio; verum est, in versu 14 immediate praecedenti non fieri explicite sermonem de Christo; dico explicite, nam implicite habetur sermo de eo in locutione *affigens illud cruci*; et praeterea haec tota pars intime nectitur cum Christo, qui explicite designatur v. 12 ei, illum, v. 13 cum illo. Haec sane sufficiunt, ut etiam in v. 15 intelligatur ἐν αὐτῷ de Christo, et non de cruce (legit aliquoties Origenes ἐν τῷ ξύλῳ, cf. Tischendorf ad h. l.), neque de chirographo, quod *Soden* vult.

Relictis falsis doctrinis sapiant coelestia 2,16-3,4.

2,16. *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi aut neomeniae aut sabbatorum,* 17. *quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* 18. *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae,* 19. *et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* 20. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* 21. *Ne tetigeritis neque gustaveritis neque contrec-*

2,16. Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς ἢ νουμηνίας ἢ σαββάτων, 17. ἅ ἐστιν σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. 18. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ ἑόρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, 19. καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ. 20. Εἰ ἀπεθάνετε σὺν Χριστῷ ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου, τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε; 21. μὴ ἅψῃ μηδὲ γεύσῃ μηδὲ θίγῃς, 22. ἅ ἐστιν

taxeritis, 22. quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum; 23. quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. 3,1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; 2. quae sursum sunt sapite, non quae super terram. 3. Mortui enim estis et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων· 23. ἅτινά ἐστιν λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκίᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. 3,1. Εἰ οὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, τὰ ἄνω ζητεῖτε, οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος· 2. τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. 3. ἀπεθάνετε γάρ, καὶ ἡ ζωὴ ὑμῶν κέκρυπται σὺν τῷ Χριστῷ ἐν τῷ Θεῷ. 4. ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ, ἡ ζωὴ ὑμῶν, τότε καὶ ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ.

Quotquot sunt potestates inimicae, vi sua et efficacia spoliatae sunt. Unde consequens est, ut nemo sibi scrupulum suggeri sinat, neve putet se posse observationibus quibusdam vel ab iis quidquam accipere commodi vel incommodum qualecumque avertere. Talem fuisse doctrinam pseudodoctorum, merito assumendum erit, quia apostolus relata clade illarum potestatum immediate ex illa (οὖν, ergo) infert conclusionem seu applicationem docet v. 16 *nemo ergo vos iudicet*, ne quis igitur de vobis iudicium ullum ferat, scilicet vel approbationis, si observatis quae illi praescribunt, vel condemnationis; exemplum habes Rom. 14,3 is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non iudicet (non quasi impium censeat); *in cibo aut in potu* ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, in re quae spectet ad manducationem vel ad potionem; in lege de potione nihil peculiare praescribitur, unde merito concludimus, apud Colossenses istos doctores neophytis non tam observationem legalium voluisse persuadere (circumcisionem omnino non suadebant), quam superstitionem quandam ex illa de angelis doctrina. Ergo ἐν πόσει cernitur traditio humana; nam etsi statuitur cum *Cai. Nat.* potum ex vase carente aperculo fuisse immundum (cf. Num. 19,15), id non ex lege habetur, sed ex ulteriore quadam conclusione ad libitum excogitata (cf. Lev. 11,34; Num. 6,3).

Neque ea quae revera lege statuta erant possent praebere materiam ulterioris observantiae, quocumque demum titulo (vel legis vel angelorum) commendentur: *aut in parte diei festi*, scil. in re quae spectet ad diem festum (pascha, pentecosten, festum tabernaculorum, festos dies cuiusvis anni), *aut neomeniae*, novilunii quovis mense, *aut sabbatorum*, aut sabbati quavis hebdomada. Attende σάββατα habere significationem singularis (cf. Luc. 4,16. Matth. 12,1; 28,1; Marc. 1,21; 3,2; Act. 13,14; 16,13 etc.), vocabulum enim petitum est ex forma aramaica שבתא et apud Iosephum quoque σάββατα notionem singularis numeri habet. Cur autem

haec legalia et festa annua vel cuiusvis mensis vel hebdomadae iam non sint attendenda, sed relinquenda, ratio affertur v. 17 *quae sunt umbra futurorum*, bonorum messianorum, i. e. futurorum ratione habita veteris testamenti; ita ὁ μέλλων Rom. 5,14; τὰ μέλλοντα bona messiana Hebr. 9,11; item ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα Hebr. 5,2 regnum messianum; vetus testamentum habet umbram bonorum; *corpus autem Christi*, vera haec bona supernaturalia pertinent ad Christum, sunt Christi.

Opponitur umbra et corpus : vetus testamentum iam habuit umbram, novum testamentum habet corpus, ipsas res; sed hae res, hoc corpus iam umbram et lineamenta formarunt veteris foederis. En ratio inter utrumque exhibetur sicut inter umbram et corpus; novum testamentum, corpus, iam proiecit umbram suam ad vetus testamentum; aliis verbis, quia in Dei decreto talis debuit esse forma novi foederis, tale corpus, ideo vetus foedus convenienti modo est institutum ; umbra aliquo modo refert corporis formam. Bene notat *Thom.* : corpus, id est veritas rei pertinet ad Christum, sed umbra ad legem. Inde merito inferunt typicam rationem veteris testamenti ad novum. Proxime quidem umbra refertur ad institutionem festorum, neomeniae, sabbati; indicatur hisce institutionibus praefigurari bona supernaturalia per Christum data, praefigurari alias quasdam institutiones similes quidem ac longe efficaciores, quibus scil. res ipsa in vetere foedere promissa revera conferatur. Sed quod de parte quadam veteris legis asseritur, merito de tota lege valere concipitur; nam finis legis Christus (Rom. 10,4) et lex paedagogus est ad Christum (Gal. 3,24); lex et prophetae usque ad Ioannem (Luc. 16,16); eodem modo haec notio subest, si Paulus dicit de variis eventibus : haec autem in figura facta sunt nostri (1 Cor. 10,6); item Hebr. 8,5 veteres sacerdotes aaronitici exemplari et umbrae deserviunt coelestium, Hebr. 9,9 tabernaculum erat parabola temporis messiani praesentis, et Hebr. 9,23 manufacta sancta erant exemplaria verorum.

Quia itaque iam nobis praesto est ipsa res, ipsa veritas et bona, corpus, certe stultum esset umbram velle captare, vel ulterius ullo modo prosequi umbram, praesertim postquam iam edocti sunt : et estis in illo πεπληρωμένοι (v. 10). Quare monentur, ne sibi imponi sinant severitate quadam disciplinae, cultu angelorum et visionibus simulatis v. 18 *nemo vos seducat* μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω: vocem explicat *Chrys.* καταβραβευθῆναί ἐστιν, ὅταν παρ' ἑτέρῳ μὲν ἡ νίκη ᾖ, παρ' ἑτέρῳ δὲ τὸ βραβεῖον, si itaque victor praemio seu bravio privatur, et *ThdM.* : nemo bravium vestrum tollat, et eo modo etiam alii habent : nemo vos depraedetur (*Ambrst.*), nemo vos privet bravio, defraudet (*Cai. Est. Lap.*); praeter quam notionem *Iust.* alterius acceptionis meminit : nemo indignos vos pronuntiet bravio. Atque haec significatio quam maxime huic loco congruit. Nam, uti in

v. 16 sermo est de iudicio quod ferunt pseudodoctores, ita tale iudicium vel comminatio etiam hoc loco omnino praeferri debet. Talis comminatio consentanea est indoli doctorum, ut scil. pronuntient, quotquot non obsequantur, non assecuturos esse praemium seu salutem, et ut tali comminatione asseclas sibi comparare studeant. Verum improbabile videtur, apostolum tantam auctoritatem et vim illis doctoribus attribuere, ut timeat ne fideles aeterna salute privent et ut propterea fideles moneat, ne se sinant bravio aeternae salutis ab ipsis spoliari. Potius hortatur, ne comminationibus, sententiis, iudiciis illorum se perturbari sinant.

Cur autem fidelibus praemium denegandum esse opinentur, apparet ex eorum vivendi ratione, qua ceteris praestare se credant : *volens in humilitate et religione angelorum* θέλων : θέλειν apud LXX saepe ponitur pro hebr. חפץ sibi complacere in aliqua re; ita Deut. 21,14; Iud. 13,23; 1 Reg. 8,22; 2 Reg. 15,26; 3 Reg. 9,1; 10,9.13; 1 Chron. 28,9; 2 Chr. 9,8; Esth. 6,6.7.11 et in psalmis vicies ita ponitur θέλειν, etiam aliquoties in Prov. : quare ex tam frequenti usu apud LXX, iste usus et haec significatio certe etiam hoc loco assumi poterit, praesertim quia unice bonum praebet sensum. Ergo doctores sibi complacent in ταπεινοφροσύνῃ : vocabulum hoc alias quidem significat virtutem modestiae, humilitatis (Act. 20,19. Eph. 4,2; Phil. 2,3; Col. 3,12; 1 Petr. 5,5); at hic manifesto non eo sensu usurpatur in laudem doctorum. Etiam hic erit recurrendum ad hebr. : ענה נפש valet affligere se, ieiunare et in LXX ponitur ταπεινοῦν τὴν ψυχήν (cf. Lev. 16,29. 31; 23,27.29; Is. 58,3; vide *Zahn*, Einl. I p. 341). Iam ex v. 16.21.23 apparet, illos doctores ascesin quandam et abstinentiam commendare. Quare vocabulum de tali ascesi, de ieiunio erit accipendum. Atque hanc notionem etiam veteribus esse cognitam, exempla habes non solum apud Herm. vis. 3,10.6; simil. 5,3,7, sed etiam apud Tertull. ieiunio 12.13.16 qui retinet quoque vocem ταπεινοφροσύνην eamque explicat inediae tolerantiam, ieiunationem, xerophagiam (*M.* 2, 970. 972. 976).

Laudant itaque et exercent abstinentiam, ieiunium : cum hac vitae ratione intime iuncta exhibetur (una praepositione duo nomina copulantur) *religio angelorum*, θρησκεία cultus, veneratio angelorum. Rem bene declarat *Augustinus*, angelos intelligi principatus quos elementorum mundi praepositos in his observationibus colendos esse arbitrabantur (epist. 149,27; *M.* 33,642). Et *Theod.* notat in Phrygia et Pisidia talem cultum angelorum perdiu permansisse et meminit concilium apud Laodiceam lege prohibuisse τὸ τοῖς ἀγγέλοις προσεύχεσθαι. Eius synodi canon 35 (ex anno 360) dicit: quod non oportet relicta Dei ecclesia abire et angelos nominare; si quis inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, anathema sit. Veteres sermonem esse de aliquo cultu angelorum

pro certo habent ; Deum attingi non posse, oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare vel per angelos adduci ad Deum (*Theod. Chrys. Dam. Thph.*), tamquam sententiam pseudodoctorum referunt ; alii tale commercium cum angelis quaesitum esse censent ad acquirendas vires, cognitiones extraordinarias. Sed ex epistola ipsa nihil eiusmodi colligitur. Unum effertur : Christi dignitas super omnia.

Nonnulli recentiores (uti *Zahn*, *Ew.*) negant sermonem esse de cultu angelorum. Ratio potissima quam affert *Zahn* est, quia Paulus talem idololatriam non potuisset commemorare solum tamquam rem quae illis doctoribus placeret ; debuit scil. graviter Colossenses monere, ut caverent (Einl. I p. 333, 340 seq.). Verum tota disputatio *Zahn.* eo laborat defectu, ut semper cultum latreuticum, cultum verae adorationis supponat ; cultum venerationis non cognoscit ; imo ecclesiae obiicit, quod sibi id postmodum proprium fecerit, quod Theodoretus et Augustinus (de vera relig. 55,110 ; conf. 10,42.67) et antea synodus Laodicena velut idololatriam condemnaverint — non attendit : venerari martyres permissum erat, cur non etiam venerari angelos ?—. Hoc igitur argumentum : apostolus non invehitur contra idololatriam ; Iudaei et Iudaeo-christiani non erant idololatrae : ergo de cultu angelorum non est sermo, omni prorsus vi destituitur. — Recentes itaque explicant, illos affectasse abstinentiam et pietatem angelicam, talem qualem angeli habent vel exercent. Sed cur apostolus toties loquitur de principatibus et potestatibus ?

Illi pseudodoctores praeterea iactant visiones ; *quae non vidit ambulans* ; textus sine negatione ἃ ἑόρακεν praebetur ℵ ABD cop aeth et apud Orig. Tert. Lucif. Ambrst., alias cum negatione μή ; testes praestantiores et editiones criticae habent ἃ ἑόρακεν ἐμβατεύων quae vidit investigans, « aliquos taxat qui ex visionibus angelicis dicebant cibis abstinendum » (Tert. c. Marc. 5,19). Haec lectio *quae vidit* potuit scrupulum iniicere quasi apostolus iis adscriberet veras visiones ; inde fortasse explicatur cur codices alii praebeant negationem μή, quam codicum varietatem Hieronymus et Augustinus adnotant (ad Algas. ep. 12.1,10 ; *M.* 22,1030 ; ad Paul. ep. 149 ; *M.* 33,642). Mirum vero est poni μή, cum in tali sententia neeessario οὐ dici debuit ; nam ἃ eo loco vix loco ἅτινα accipere poteris. Sensus omnino esse videtur, eos docere quasi aliquid viderint, uti Ephraem dicit. Vocabulum ἐμβατεύειν proprie est ingredi, unde *Est.* explicat : in ea quae non vidit immittens pedem, se ingerens ; de studio inquirendi adhibetur vox 2 Mach. 2,31 (vulg intellectum colligere). Atque illos iactasse visiones iam eo fit valde probabile, quia sibi in cultu et veneratione angelorum complacebant ; angelos autem hominibus apparere, hominibus loqui, satis frequenter in vet. test. narratur. Et hic facile

sequitur, dummodo θρησκεία τῶν ἀγγ. in sua nativa significatione relinquatur (cf. Sap. 14,27 ἡ τῶν εἰδώλων θρησκεία) et non ad pietatem angelicam, angelis similem detorqueatur. Alii putabant locum coniecturis esse emendandum (*Lightf. Exc.*). Sed hisce carere possumus, cum omissa negatione bonus exsistat sensus; et si visiones illi doctores praetendebant, potuit apostolus quoque scribere ἃ ἑόρακεν.

Verum istas visiones plane aliam habere originem statim subdit: *frustra inflatus sensu carnis suae*, cum v. 16 inceperit, μή οὖν τις, etiam in numero singulari pergit, loquens ac si relinquere vellet in medio, sintne plures an unus praecipue doctor. Fons et origo visionum assignatur: sensus carnis, διάνοια σαρκική (*Chrys.*); ex natura corrupta oritur ista inflatio, superbia, tumor; et omnia haec esse *frustra*, vane, temere, nihil valere. Talis enim homo severa sua vivendi ratione, ieiuniis, cultu et veneratione speciali angelorum in magnam pervenit sui elationem, alios non ieiunantes contemnens (cf. Rom. 14,3). Rigida vivendi ratio et alios facile in admirationem pertrahit et eos qui eam exercent nimia sui aestimatione et fuco sublimioris prae aliis dignitatis implere solet, nisi vera iungatur humilitas. Hanc veram humilitatem deesse, iam satis apparet ex iudiciis de aliis (v. 16.18). Ex v. 16.21-23 illi doctores videntur ieiuniis et variis abstinentiis carnem macerare et a rebus carnalibus se quam maxime removere; at ad eorum ignominiam manifestandam et errorem hunc deponendum iis dicitur ab apostolo, ipsos extolli et inspirari carnali appetitu et sensu, non a superiore quadam intelligentia; vel si gloriantur se regi ὑπὸ τοῦ νοός, apostolus respondet: utique, sed ὑπὸ τοῦ νοός τῆς σαρκὸς ὑμῶν (cf. *Lightfoot*); cf. Rom. 8,7.

Omne bonum et omne incrementum seu augmentum vitae spiritualis intime dependet ab unione et connexione cum Christo capite; si itaque Christum in sua capitis dignitate non firmiter habent et retinent prae omnibus, expertes erunt vitae coram Deo crescentis v. 19 *et non tenens caput* (cf. 1,18. Eph. 1,22; 4,15), quasi id, quod primarium est et praecipuum, non firmiter et fortiter retinentes et servantes, sed ad alia sese convertentes; at quam necessario omne bonum et omnis progressus a capite dependeat, ergo ab uno Christo, declaratur sequentibus: *ex quo* ἐξ οὗ, vel secundum sensum, ex Christo, vel ad rem in universum τὴν κεφαλήν, unde *totum corpus per nexus et coniunctiones* διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων per nervos et ligamina *subministratum et constructum* i. e. ex capite quasi fonte vitali totum corpus per nervos et ligamina ista vi vitali instruitur et compingitur, et eo modo corpus instructum et compactum *crescit in augmentum Dei* αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ, i. e. κατὰ τὸν Θεόν: est augmentum Dei optima secundum Deum vitae ratio πολιτεία (*Chrys. Oec. Thph.*), tale scil. augmentum quale Deus vult et exspectat;

Christus vel caput efficit illud incrementum; ceterum pro singulis vide locum plane similem Eph. 4,16 et explicationem ibi datam. Quod valet pro tota ecclesia, valet pro ratione etiam in singulis. Nemo proficit in vita spirituali nisi Christo unitus et iunctus.

Fideles autem hanc unionem cum Christo iam inierunt; ex illa unione iam infertur conclusio contra illos doctores; uti antea monuit v. 16.18 ne illorum iudiciis et comminationibus sinant se perturbari, ita nunc docet ut illorum praecepta spernant; v. 20 *si* (ergo) *mortui estis cum Christo* cf. v. 12. 13, hac autem morte cum Christo (Rom. 6,3.4) simul plane soluti sunt et exempti ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου (remoti sunt procul ἀπὸ) *ab elementis* (*huius*) *mundi*, hac morte perfecte subtracti sunt eorum dominationi et auctoritati, si qua erat vel qualiscumque demum fingitur; *quid adhuc tamquam viventes in mundo*, in mundo ad quem pertinent et cui dominantur τὰ στοιχεῖα, in mundo quasi nondum morte Christi redempto et ab illis liberato — en quo sensu *mundum* intelligat — *decernitis* δογματίζεσθε dogmatizamini (*Cai. Est. Lap.*), cur adhuc eiusmodi praeceptis adstringimini? sensum vocis passivum graeci et recentiores agnoscunt, quo simul indicatur Colossenses non praeceptis doctorum sese subiecisse, sed doctores talia statuere, qualia recensentur v. 21 *ne tetigeritis* μὴ ἅψῃ μηδὲ γεύσῃ μηδὲ θίγῃς, en quam ridicule anxii sint omnem contactum et quamlibet contrectationem severe prohibentes! notat *Chrys.* ὅρα πῶς αὐτοὺς κωμῳδεῖ, vide quam illos ludificetur!

Numerus singularis aptus est ad curam ridiculam mimesi exhibendam, qua unusquisque severe iubetur. In tribus illis fortasse potest aliqua deprehendi gradatio severitatis; ἅπτεσθαι occupari aliqua re, quidpiam aggredi, gustare, ne tangere quidem. Et de quibusnam rebus talia decreto statuuntur? scil. de talibus v. 22 *quae sunt omnia in interitum ipso usu*, quae ipso usu pereunt, quia in ventrem vadunt et in secessum mittuntur; sententia eadem enuntiatur Matth. 15,17 et Marc. 7,19; et eodem modo recte concipiunt graeci, *Est. Iust.* et recentiores; agitur de rebus quae ad usum destinantur et quae ita institutae sunt, ut ipso usu intereant; ergo ridiculum est has ipsas res velle removere ab usu. Haec sententia additur per modum parenthesis. Neque admitti potest sensus: haec omnia usu sunt in interitum hominum, in documentum et damnationem hominum; quae verba aliqui concipiunt verba doctorum, quibus suis decretis vim addant, alii autem in eis vident seriam admonitionem: quae observantiae superstitiosi cultus damnationem afferunt observantibus (cf. *Lap.*). At *res sunt* εἰς φθοράν, in corruptionem, non dicitur in corruptionem hominum; res eo ipso quod consumuntur (ἀποχρήσει, abusu) corrumpuntur.

Tali parenthesi interposita de materia praeceptorum iam assignat

apostolus originem et naturam eorum : *secundum praecepta et doctrinas hominum*, quae verba referuntur ad δογματίζεσθε v. 20. 21, ista dogmata seu statuta non habent originem quandam altiorem, cui debeatur auctoritas et veneratio ; traditiones sunt hominum, cf. v. 8 ; et Is. 29,13 colunt me mandato hominum et doctrinis : quae verba Christus quoque contra pharisaeos in medium protulit (Matth. 15,9 ; Marc. 7,7). Ita negat apostolus visiones vel institutionem seu doctrinam angelicam, si quid eiusmodi praetenderint. Dein in v. 23 graviter describit, cuius tandem generis sint ista praecepta et doctrinae. Duo praestat : fucum et speciem sapientiae et honoris illis detrahit, affirmat ea tendere ad explendas malas concupiscentias. Sententia ita commode legitur : ἅτινά ἐστιν πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, *quae sunt... ad saturitatem carnis ;* reliqua pars exhibet, quid prae se ferre et appetere praetendant. Iam ad singula : ἅτινά ἐστιν quippe quae sunt, introducitur eo modo accuratior quaedam descriptio, et ἅτινα arcte adnectitur ad τὰ ἐντάλματα καὶ διδ. τ. ἀ. in v. 22, quibus tota vivendi et docendi ratio illorum breviter perstringitur.

Sequitur, quid externa quadam specie seu fama prae se ferant : *rationem quidem habentia*, λόγον μὲν ἔχοντα, veteres fere explicant speciem quidem *sapientiae* habent, recentiores pro specie vel simulatione quandoque malunt interpretari : famam quidem *sapientiae* habent (cf. *Hpt.*) ; *Chrys.* λόγον, οὐ δύναμιν, ἄρα οὐκ ἀλήθειαν (*Thph.*), *Oec.* λόγον, οὐ πράγματα, μᾶλλον δὲ πιθανολογίας λόγον ψιλόν (tenuem persuasionis rationem). Sibi attribuunt profundiores cognitiones et speciem seu famam sapientiae sibi efficiunt *in superstitione et humilitate* : ἐν instrumentale accipi potest, vel *in* ea re quae est etc., ἐν ἐθελοθρησκίᾳ in cultu voluntario, quem sponte suscipiunt, et sibi imponunt (v. 18) et ταπεινοφροσύνῃ, vide v. 18, in ieiuniis, in voluntaria ieiunatione ; qualem cultum sibi assumant, non dicitur ; videtur plus innui quam in v. 18. Si cum longe plurimis legitur καὶ (om B, *Orig. Hil. Ambrst. Amb.*) additur tertium : *et non ad parcendum corpori* καὶ ἀφειδίᾳ σώματος vexatione, duritie corporis, imparcentia corporis (uti vocem fingunt *Cai. Est. Lap.*), in austeritate qua corpori non parcunt. Si vero καὶ omittitur, ἀφειδίᾳ σώματος appositio est ad antecedentia, qua dicitur totam eorum sapientiae speciem consistere in asperitate et vexatione corporis ; et in omnibus illis *non in honore aliquo*, οὐκ ἐν τιμῇ τινι, in tota eorum agendi ratione non deprehendi quidquam quod honorificum sit, in quo verus quidam honor situs agnosci possit. Ita superbia illorum perstringitur et demum explicite enuntiatur, haec omnia revera solum esse πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, *carnis*, ut satisfaciant naturae corruptae, ut expleant appetitus et cupiditates carnis. Indicat apostolus, superbam illam severitatem et austeritatem nihil aliud esse quam inflationem sensus carnis (v. 18) ; sublimia iactant, sed iacent humi.

Graeci et ex latinis interpretibus *Est. Nat. Lap.* ultimam partem plane aliter concipiunt : sapientiam illam et praecepta talia esse, per quae corpori debitus honor pertinens ad iustam saturitatem negetur. At profecto, si Paulus debitam corporis sustentationem voluisset designare, nunquam dixisset πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, nam πλησμονή non simplicem saturitatem dicit, sed abundantiam, nimiam satietatem; cf. Ex. 16,8. Deut. 33,23. Os. 13,6 (ἐνεπλήσθησαν εἰς πλησμονήν), Hab. 2,16 etc.; locos apud profanos exhibet Wetstenius, componitur πλησμονὴ καὶ μέθη, κραιπάλη etc. Porro cur diceret apostolus nunc τῆς σαρκός, cum tamen modo adhiberet vocem σώματος? Ea in re mentione digna est paraphrasis *Iust.* qui rectum sensum fere attigit : « speciem quidem nonnullam habent sapientiae dogmata illa et instituta, quod cultum voluntarium, animi submissionem, denique neglectum corporis et eorum quae ad corpus spectant contemptum doceant; re tamen vera nullius pretii censenda sunt, cum in iis tantummodo rebus versentur quibus haec caduca et mortalis caro farcitur ». At plus tamen apostolum indicasse certum est.

Textus non caret difficultate; non adest particula quae correspondeat μὲν; aliqui eo loco ponunt οὐκ ἐν τιμῇ τινι, trahentes hoc membrum ad sequentia; sed tum requireretur tamen particula adversativa : quae speciem quidem habent sapientiae... non in honore aliquo, sed ad saturitatem carnis. Etiam constructio proposita ἅτινά ἐστιν cum praedicato πρὸς πλησμονήν sensum quidem aptum praebet; at ob longiorem illam parenthesin in μὲν suspensam sine membro correspondente tota sententia obscuritate quadam involvitur, ita ut merito suspicio oriatur textum non esse rite traditum. — Singularis est explicatio aliquorum anglicanorum : « but are not of any value against the indulgence of the flesh » (cf. *Lightf.*), quae tamen interpretatio neque ad notionem nominis τιμῇ neque ad usum praepositionis πρός consentanea est, neque notioni vocis πλησμονή (copia, abundantia, satietas) congruit.

Exposuit apostolus quo tandem tenderet sapientia illa — πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός — et ostendit, in quibus rebus consisteret, in iis ἅ ἐστιν πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει — sed quid eius modi ad fideles, qui ad novam vitam spiritualem resurrexerunt? Ideo in oppositione ad doctores illos et eorum sapientiam apostolus monet 3,1 *igitur*, *si consurrexistis cum Christo*, cf. 2,12.20 : iis graviter in mentem revocat novum statum in quem ingressi sunt; conditio in re notissima valet ad exhortationem augendam et ad animos stimulandos, quandoquidem igitur consuscitati estis Christo; οὖν proxime refertur ad 1,20; *quae sursum sunt quaerite*, *ubi Christus est in dextera Dei sedens*, cf. Rom. 8,34; Eph. 1,20; et fideles ipsos Deus conresuscitavit et consedere fecit in coelestibus in Christo, Eph. 2,6; unde quam maxime opportuna est repetita adhortatio v. 2 τὰ

ἄνω, *quae sursum sunt sapite*, omnibus viribus voluntatis (quaerite) et intellectu (φρονεῖτε) bona coelestia prosequimini, *non quae super terram*, τὰ ἐπὶ τῆς γῆς appetunt et quaerunt pseudodoctores, uti apparet ex 2,8. 16.21. Notat *Chrys.*: non satis habuit dicere τὰ ἄνω, neque ubi Christus est, sed quo mentem evexit? in dextera Dei sedit, quo magis a terra animum nostrum abduceret. Totum quippe fidelium studium dirigitur ad coelestia, ad finem altiorem, cui reliqua omnia subservire debeant.

Nam in baptismo vetus homo, appetens rerum terrenarum, mortuus est v. 3 *mortui enim estis;* cf. 2,20. Rom. 6,3; mortem hanc mysticam subsecuta est nova vita, *et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*, vitam inierunt spiritualem, complantati cum Christo, quae tamen vita oculis et sensibus per se non apparet, est abscondita et manet abscondita (κέκρυπται), sed vivitur eo modo *in Deo*, in quo habet uti originem suam (natus ex Deo; ex Deo sumus, 1 Ioan. 3,9; 4,6), ita vim et vires suas (semen Dei in eo manet 1 Ioan. 3,9), ut scil. totius vitae ratio mente et animo non versetur in mundo (Deo inimico 2,20), sed in omnibus dirigatur secundum normam divinam. Mors haec et vita in v. 3 maximam effert oppositionem ad doctrinam pseudodoctorum et ad eorum agendi rationem : non sunt mortui nec morte mystica remoti ab elementis mundi (cf. 2,20.21), iis enim adhuc reguntur, imo et alios regere student; vita eorum non est mente et animo abscondita in Deo; sed in externis observantiis, in exaggerata austeritate, non absconsionem, sed famam et speciem sapientiae, gloriolam philosophorum appetunt, regio eorum vitae est terra, mundus; in hac regione versantur eorum iudicia (2,16.18), doctrinae (2,21), actiones (v. 23). Regio vitae fidelium est in animo coniuncto cum Christo, in interna mentis unione cum Deo.

Christi vita gloriosa ad dexteram Patris pariter sensibus est abscondita, sicut vita fidelium nova abscondita est in Deo; at suo tempore erit utriusque manifestatio gloriosa v. 4 *cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*; fideles, ut nunc in absconsione, tunc in gloria omnibus manifesta portabunt imaginem Christi; Christus, ἡ ζωὴ ἡμῶν (uti B K L, syr), vide Phil. 1,21 ἐμοὶ τὸ ζῆν Χριστός, causa, auctor, beatitudo vitae nostrae; maius quid enuntiatur et amplior quaedam communicatio Christi quam in locutione vivere in Christo; cf. Ioan. 14,6 testatur ipse Christus : ego sum via, et veritas et vita; 11,25 ego sum resurrectio et vita; et Col. 1,27 Christus, spes gloriae. Proin animos erigant fideles; appetant illi famam sapientiae (2,23), fideles autem mortui mundo vitam in Deo absconditam degant; confortati certa spe, fore, ut, sicut nunc cum Christo in absconsione, ita olim in eius glorioso adventu ipsi quoque gloriosi cum eo vivant. Sunt quidem fideles iamiam translati in regnum Filii (1,13), sed hoc regnum nondum apparet in

gloria; vocati sunt in partem sortis sanctorum in lumine (1,12), hoc vero lumen in tota sua claritate iis splendebit, quando ipsum visuri sunt in gloria. En haec est spes, quae reposita est in coelis (1,5); 1 Ioan. 3,1.2. Ipsi fideles apparebunt in gloria; uti apostolus indicat dicens: ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν, ut et conglorificemur (Rom, 8,17).

Homine vetere deposito induant novum 3,5-17.

3,5. *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est simulacrorum servitus,* 6. *propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis;* 7. *in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis.*

8. *Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* 9. *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,* 10. *et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum;* 11. *ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus.* 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam;* 13. *supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* 14. *Super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis;* 15. *et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote.* 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.*

3,5. Νεκρώσατε οὖν τὰ μέλη τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, πάθος, ἐπιθυμίαν κακὴν καὶ τὴν πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρία, 6. δι' ἃ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ (ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας), 7. ἐν οἷς καὶ ὑμεῖς περιεπατήσατέ ποτε ὅτε ἐζῆτε ἐν τούτοις.

8. Νυνὶ δὲ ἀπόθεσθε καὶ ὑμεῖς τὰ πάντα, ὀργήν, θυμόν, κακίαν, βλασφημίαν, αἰσχρολογίαν ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. 9. μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ, 10. καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον τὸν ἀνακαινούμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν, 11. ὅπου οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία, βάρβαρος, Σκύθης, δοῦλος, ἐλεύθερος, ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσιν Χριστός. 12. Ἐνδύσασθε οὖν ὡς ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ ἅγιοι καὶ ἠγαπημένοι σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ, χρηστότητα, ταπεινοφροσύνην, πραΰτητα, μακροθυμίαν, 13. ἀνεχόμενοι ἀλλήλων καὶ χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφήν, καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἐχαρίσατο ὑμῖν, οὕτως καὶ ὑμεῖς. 14. ἐπὶ πᾶσιν δὲ τούτοις τὴν ἀγάπην, ὅ ἐστιν σύνδεσμος τῆς τελειότητος. 15. καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Χριστοῦ βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, εἰς ἣν καὶ ἐκλήθητε ἐν ἑνὶ σώματι καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε. 16. ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως, ἐν πάσῃ σοφίᾳ διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ψαλμοῖς, ὕμνοις, ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ἐν τῇ χάριτι ᾄδοντες ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν τῷ Θεῷ. 17. καὶ πᾶν ὅ τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ (Χριστοῦ) εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ Πατρὶ δι' αὐτοῦ.

Vita fidelium est quidem ratione gloriae futurae nunc abscondita cum Christo in Deo (v. 3); at ratione studiorum, actionum, officiorum valet: quae sursum sunt quaerite, sapite (v. 1, 2); ubi ergo absconsio excluditur et illud potius in memoriam revocandum est: luceat lux vestra

coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum (Matth. 5,16), vel ut luceant sicut luminaria in medio nationis pravae (Phil. 2,15). Quae iam in epistola monuit : ut ambulent digne Deo (1,10), ut sint sancti et immaculati (1,22), ut ambulent in Christo (2,6), in sequentibus magis per singula prosequitur apostolus. Et quidem prius ea docet quae pro unoquoque sunt (v. 1-17), quae sint vitanda (1-9), quae observanda (10-17); dein quae spectant ad vitam familiarum (v. 18-4,1).

Admonitionem ad antecedentia adnectit inserendo οὖν, *ergo*, quod commode refertur ad v. 1.2, quia inde ipsa locutio partim repetitur v. 5 *mortificate ergo membra (vestra) quae sunt super terram;* cur membra nominet, explicant\ quia supra de corpore carnis erat sermo (2,11) et corpus nostrum appellatur corpus peccati (Rom. 6,6) vel quia mox sermo fit de vetere homine cum actibus suis; veterem hominem seu corpus peccati coagmentatum esse ex variis peccatorum generibus veluti membris et diversis partibus (*Cai. Est. Iust.*). Cur addatur attributum τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, varie explicare conantur; vocantur terrena, quia velut in terram deprimunt hominem et a Deo elongant (*Est.*), quia pertinent ad corpus velut instrumentum sensus carnalis (*Abbott*); non ut distinguantur ab alio genere membrorum, sed ut efferatur quod membris hominis generatim convenit et hoc loco ab apostolo spectatur, scil. iam non τὰ ἐπὶ τῆς γῆς φρονεῖν 3,2 (*Hpt.*); aliter censet *Lightf.*, membra nostra posse esse super terram et posse esse ἐν τοῖς οὐρανοῖς : prius si serviunt mundo, alterum si sunt instrumenta Christi — quae opinio de membris nostris iam nunc in terra coelestibus certe subtilior est.

Meliorem rationem indicavit *Ew.*; haec expressio enim de membris quae sunt super terram, in omni explicatione satis mira videtur (nisi cui recursus ad 3,2 sufficere videatur et mera illa repetitio verborum); loquitur apostolus de hominibus quos a vitiis removere et ad optimos mores adducere vult; nunc hos homines vel eorum membra versari super terram, res est sane sole meridiano clarior. Unde a priore constare videtur hanc expressionem de membris apostolum non ex suo deprompsisse penu, sed ex modo loquendi pseudodoctorum, qui secundum cultum angelorum et suas visiones (2,18) membra τὰ ἐπὶ τῆς γῆς iactabant esse mortificanda, quia ieiunia, austeritatem corporis, multiplicem abstinentiam commendabant, quibus τὰ ἐπὶ τῆς γῆς tollerentur, ut ad sublimia redderentur apta. Contra horum deliramenta nunc docet apostolus, quae sint revera illa membra quae debeant mortificari; non membra corporis nimia austeritate et ieiunationibus sunt mortificanda, neque μὴ ἅψῃ μηδὲ γεύσῃ μηδὲ θίγῃς sunt eiusmodi membra, sed, ait apostolus, membra mortificanda τὰ ἐπὶ τῆς γῆς sunt vitia; haec *mortificate*, νεκρώσατε : imperativo

aoristo praecipitur quod statim et fortiter agendum sit; nam de homine regenerato etiam scribit apostolus, spiritu facta (τὰς πράξεις) carnis esse mortificanda (Rom. 8,13) et spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum (Gal. 5,16).

Dein haec « membra « recenset per modum appositionis; incipit a peccatis, quibus natura corrupta maxime infestatur et quae apud gentes in immensum grassabantur : *fornicationem*, ab ea incipit enumerationem operum carnis Gal. 5,17 et Eph. 5,3 et addit in utroque pariter loco, uti hic *immunditiam;* insuper etiam alibi monet fideles, ut fugiant fornicationem, explicite docet quantum sit peccatum, cum apud gentiles fere non culpae verteretur, imo conqueritur quod fideles quidam nondum egerint poenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia (cf. 1 Cor. 6,18; 2 Cor. 12,21. 1 Thess. 4,3); *libidinem* πάθος, affectus est vehementior, cui non resistitur, praesertim in re turpi (Rom. 1,26; 1 Thess. 4,5), unde παθικοί commemorantur (*Est. Lap.*); *concupiscentiam malam*, quae tandem est radix omnis peccati, sed etiam praecipue de cupidine carnali usurpatur (Rom. 13,14; Gal. 5,24; 1 Thess. 4,5). Uti Eph. 5,3.5, ita hoc loco praeter impuritatem alterum praecipuum gentilium vitium nominat apostolus; *avaritiam quae est simulacrorum servitus* ἥτις quippe quae est εἰδωλολατρία, avarus Eph. 5,5 simpliciter vocatur εἰδωλολάτρης (vide l. c.). Uti Eph. 5,3, ita hic quoque πλεονεξίαν aliqui malunt accipere de insatiabili cupiditate turpium voluptatum (*Est. Iust.*); at notio propria retinenda est. Nam, ut monet *Dam.*, adiungit avaritiam, quippe quae sit sequela voluptatum quae pecuniarum suppeditationem requirunt; cf. Eph. 5,3.

Ut caveant ab eiusmodi vitiis, addit comminationem ultionis et poenae divinae, v. 6 *propter quae venit ira Dei*, editiones criticae hic sistunt; item B cum Cypr. Ambrst, versione sah, aeth; verum sat multi testes addunt idem quod legitur Eph. 5,6 *super filios incredulitatis*, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας, homines obstinatos seu pervicaces; antea ipsi quoque Colossenses eiusmodi peccatis erant obstricti v. 7 *in quibus et vos ambulastis aliquando*, ἐν οἷς refertur melius ad illa peccata; per se posset intelligi : inter quos filios incredulitatis vos vitam degistis; verum etiam nunc vivunt inter incredulos; ergo hic non poterit esse sensus, et tum ἐν οἷς signum esse videtur illud ἐπὶ τοὺς υἱοὺς non pertinuisse ad textum, prout ex Ephraem quoque patet; *cum viveretis in illis*, additur quasi aliqua ratio, cur ambulaverint in peccatis, eo scil. tempore quo tota eorum vita ἐν τούτοις in hisce versaretur, ubi ex omni parte nihil aliud cernebant nisi peccata; peccata eorum praeterita eis in memoriam revocavit iam 1,21 et 2,13.

In oppositione ad priorem epocham peccatorum pergit apostolus v. 8 *nunc autem deponite et vos omnia*, καὶ ὑμεῖς, sicuti alii fideles; *omnia* τὰ

πάντα, peccata omnis generis, omnia scil. quae in priore vita erant reprehensione digna; « tam dicta quam dicenda vitia » (*Cai.*); similiter *Est. Nat.*; vocem solum ad sequentia referri (*Iust.*) non probatur; *iram*, *indignationem* θυμόν, distinctio vocum varia affertur: veteres θυμόν (excandescentiam, Cicero latine vertit) iram subito effervescentem et mox defervescentem dicunt, ὀργήν indignationem paullatim exortam, sed diutius animo inhaerentem (cf. Isid. pelus. 4,223); recentiores autem ὀργήν dicunt iram externe manifestatam, θυμόν affectum irae, indignationis in animo residentem; vide Rom. 2,8; Eph. 4,31; *malitiam*, κακίαν, de animo maligno, quo quis damnum inferre et aliis nocere desiderat; *blasphemiam*, convicia, contumelias, quibus alii offenduntur; *turpem sermonem de ore vestro*, cf. Eph. 5,4 αἰσχρότης et Eph. 4,29 omnis sermo malus (σαπρός putridus) ex ore vestro non procedat. Utrum *de ore vestro* pertineat solum ad turpem sermonem an etiam ad blasphemiam, parum refert; addi autem censet *Cai.* « quia non erat in potestate eorum tollere turpem sermonem ex alieno ore ». At quis credat Paulum cavisse, ne putarent mandari, ut turpem sermonem apud alios cohiberent? Aliud vitium linguae notatur v. 9 *nolite mentiri invicem* εἰς ἀλλήλους alius ad alium, alii aliis; cf. Eph. 4,25 loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Sensus est, ne alius alium mendacio fallat; εἰς per se non habet notionem: ne alius *contra* alium mendacia proloquatur, calumnias spargat; id iam in blasphemia prohibitum est.

Quomodo duo participia *exspoliantes*, *induentes* iungenda sint, quaeritur; num ad solam ultimam sententiam: nolite mentiri invicem? at cur hoc monitum solum tanto pondere rationum fulciretur? quare alii participia explicant per modum imperativi: exspoliate vos (ita *Lightf. Hpt.*); nam dicunt apud apostolum participia usu liberiore adhiberi pro imperativis (*Blass* 79,10) et praeterea has notiones induendi solere alias in imperativo exhiberi (Rom. 13,12; Eph. 6,11) et revera in v. 12 sequi imperativum. Aliis iste modus explicandi participia per imperativum non placet; cur enim, aiunt, recederetur a forma grammaticali, ubi nulla cernitur necessitas? Unde aliqui haec duo participia et v. 11 considerant tamquam protasin ad v. 12 : exspoliantes, et induentes... induite vos ergo etc. Verum ipsum illud *ergo* non apodosin, sed sententiam novam et independentem incipit. Simplicius est haec participia referre ad antecedentia : ἀπόθεσθε, μὴ ψεύδεσθε, ita ut huic enumerationi peccatorum et imperativo : deponite, rationes valentissimae subdantur, cur illa penitus amovenda sint ex vita fidelium. Talem sententiarum ordinationem commendat ipsa interpunctio in vulg. et in editionibus criticis adhibita. Neque ullo pacto cernitur, cur μὴ ψεύδεσθε impedimento esse credatur, quominus participia haec etiam ad v. 8 pertineant.

Apostolus iis in mentem revocat conditionem et vitam novam, in quam baptismo accepto ingressi sunt : *exspoliantes vos* ἀπεκδυσάμενοι *veterem hominem cum actibus suis*, hunc exuistis morte illa in baptimo, vide 2,11 in exspoliatione corporis carnis; Rom. 6,6 vetus homo noster concrucifixus est, ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato; v. 10 *et induentes* καὶ ἐνδυσάμενοι induistis *novum*, vide Eph. 2,10 ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu et Eph. 4,24 induite novum hominem qui secundum Deum creatus est; 2 Cor. 5,17 in Christo Iesu nova creatura (Gal. 6,15). Sensus itaque planus est ex graeco : deponite nunc haec omnia, quia (vel postquam) exuistis veterem hominem, induistis novum. Verum hunc semel induisse non sufficit; vita consistit in actu; ideo *eum qui renovatur* τὸν ἀνακαινούμενον qui novitatem acceptam non solum conservare debet, verum illam iterum iterumque quasi renovare studio suo tenetur, i. e. debet in ista novitate crescere *in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum*, ἀεὶ ἀκμάζει πρὸς τὴν ἐπίγνωσιν (*Thph.*) semper viget maxime et adnititur ad cognitionem quae sit secundum imaginem Dei qui creavit eum, scil. novum hominem. Uti homo in ordine naturae creatus est ad imaginem Dei, ita modo excellentiore novus homo creatus est ad imaginem Dei per regenerationem, qua vero aliquo sensu consors fit naturae divinae. In ordine gratiae haec supernaturalis imago relucet in iusto per gratiam sanctificantem.

Hoc itaque est negotium et officium novi hominis, ut hanc Dei imaginem in se magis exprimat et in cognitione et aestimatione talis imaginis proficiat. Id autem in opus deducetur renovatione illa, cuius auctor et largitor est Spiritus sanctus abunde in nos effusus (Tit. 3,5), cuius gratia homo noster qui intus est ὁ ἔσω ἡμῶν renovatur de die in diem (2 Cor. 4,16). Ipsemet Deus est exemplar, secundum quod haec renovatio efficienda est, secundum illud Christi : estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. Cum omne studium et omnis operatio necessario incipiat ac dependeat a cognitione, non videtur esse ea difficultas in locutione εἰς ἐπίγνωσιν quam *Haupt* ibi videt. Nam quo excellentior ac sublimior Dei cognitio in animo fulget, eo maius etiam erit studium puritatis ac sanctitatis. Quare ad tollendos defectus vitae fidelium merito in auxilium vocatur praestans Dei cognitio. Neque licet verba invertere : qui renovatur secundum imaginem εἰς ἐπίγνωσιν, i. e. ita ut renovatione ad imaginem Dei facta exsurgat veluti effectus recta cognitio de officiis vitae fidelium (ita *Haupt*); at cognitio debet praelucere!

Et ratione habita novi hominis quem creavit Deus, nihil prorsus interest, cuius nationis aut conditionis quis fuerit; v. *ubi* ὅπου, refer ad

αὐτόν i. e. τὸν νέον ἄνθρωπον, *non est gentilis* Ἕλλην *et Iudaeus*, in hoc negotio renovationis nihil refert ex qua natione quis veniat, nullum est discrimen Graeci et Iudaei; novus ille homo qui creatur baptismo et nova creatura non alio vel meliore modo tribuitur Iudaeo quam Graeco; ibi non est, nihil refert *circumcisio et praeputium*, regeneratio prorsus independens est a conditione priore; nihil refert, utrum quis sit *barbarus et Scytha*, homo in scientiis minime eruditus, barbarus, et ipse etiam Scytha, maxime omnium barbarus, eiusdem regenerationis potest fieri particeps; item *servus et liber*; liber suis divitiis, auctoritate nihil habet prae servo ratione istius renovationis per Spiritum sanctum; nulla est differentia nationum, eruditionis etc., *sed omnia* τὰ πάντα *et in omnibus Christus*; pro singulis est Christus τὰ πάντα et in omnibus rebus seu conditionibus item Christus, scil. quidquid boni spiritualis in quacumque rerum conditione sperare et exspectare quivis merito poterit, hoc totum inveniet per Christum et in Christo; vide Rom. 8,32 quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit, et 1 Cor. 1,30; Eph. 1,10.23; 2,7. Phil. 3,8. In regno Christi solum valet *nova creatura*, aliis verbis: quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum faciat? unum est necessarium — vivere et mori in gratia Dei.

Induerunt novum hominem, sed eum cuius est continuo renovari, τὸν ἀνακαινούμενον, participium praesens induit notionem attributi et adiectivi. Iam exposuit apostolus, quomodo iste novus homo debeat apparere coram hominibus indutus v. 12 *induite vos ergo*, οὖν v. 10 ἐνδυσάμενοι, nunc ergo exhibete vos indutos, *sicut electi Dei*, cf. 1,13; Eph. 1,3, tamquam tales quos Deus peculiari vocatione ex omnibus aliis sibi elegit, *sancti et dilecti*, utpote Deo consecrati et ab ipso singulari ratione dilecti; tantis a Deo beneficiis cumulati prae multis aliis merito iubentur induere *viscera misericordiae*, intimum affectum commiserationis; gentiles describit apostolus ut ἀνελεήμονας (sine misericordia) et ἀστόργους (sine affectione, Rom. 1,31 et Prov. 12,10 viscera autem impiorum crudelia); *benignitatem*, χρηστότητα comitatem, affabilitatem, *humilitatem*, animum modestum, modum agendi ab elatione et iactatione alienum, ταπεινοφροσύνην, alia notione quam 2,18; *modestiam* πραΰτητα mansuetudinem; *patientiam* μακροθυμίαν, longanimitatem, lenitatem. Hae igitur sunt novi hominis partes, sc. virtutes (*Thom.*).

Ad exercitium mansuetudinis et lenitatis praesertim spectat supportare defectus, infirmitates, molestias aliorum, v. 13 *supportantes invicem*, vide Gal. 6,2 alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi; facile venia concedenda est, si quis laesus est aut iustam causam querelae habet; *et donantes vobismetipsis* χαριζόμενοι ἑαυτοῖς, Eph. 4,32 donantes invicem, « inter vos ipsos condonetis iniuriam » (*Cai.*); adhibetur enim

ἑαυτοῖς cum significatione vocis ἀλλήλοις (1 Thess. 5,13; 1 Petr. 4,8-10); *si quis adversus aliquem habet querelam;* quod quo facilius praestetur, monet apostolus esse perpendendum, quantum nobis a Domino condonatum sit: *sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos*, Eph. 4,32 sicut et Deus in Christo donavit vobis. Simili modo iubemur orare: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (seu dimisimus ἀφήκαμεν, Matth. 6,12; nam et nos dimittimus omni debenti nobis, Luc. 11,4). Fertur etiam lectio ὁ Χριστὸς ἐχαρίσατο (apud sat multos testes) quam aliqui praeferunt. Condonatio benigna hoc loco adscribitur Christo Domino, 2,13 Deo; cf. Rom. 14,3 et 15,7.

Etiam hic scribere potuit apostolus: et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (1 Cor. 12,31); commendat enim nunc praeprimis caritatem, ex qua una tandem omnia antecedentia recte procedunt, et qua absente illa quoque consistere recte non possunt; v. 14 *super omnia autem haec*, ἐπί cf. Eph. 6,14 ad omnia haec accedere debere ait caritatem; *caritatem habete*, interpres apte supplevit *habete*, cum solum legatur τὴν ἀγάπην; alii supplent *induite* ἐνδύσασθε, addit *Thph.* veluti pallium (*Iust. Abbott*, zonam mavult *Hpt.*), verum nescio an apte: describitur enim caritas *vinculum* σύνδεσμος *perfectionis*, ligamen, ligamentum, ad quod eiusmodi suppletio haud congruere videtur; quare etiam minime placet ἐπὶ explicare ac si diceretur: super omnia illa induite caritatem, praeter illas vestes etiam sumite indumentum (paludamentum, Obergewand) caritatis. Per modum exclamationis sententiam concipit *Ew.* ad haec omnia autem: caritatem! Latinum *super omnia* explicant de excellentia caritatis; est enim omnium virtutum finis (finis praecepti caritas 1 Tim. 1,5) vel omnium virtutum forma et perfectio, sine qua ceterae nihil prosint, imo quae ceteras omnes secum trahat (1 Cor. 13) vel denique quia per eam continetur unitas totius corporis ecclesiae (*Est.*). Quae antecedunt, continent iam exercitium et exhibitionem caritatis. Cur ergo nunc peculiaris eius mentio fit? ab actibus progreditur apostolus ad intimum animi affectum qui actibus substare debeat, a fructibus ad arborem frugiferam. Et merito addi potest quod iam graeci monent, fieri posse ut ea fiant in speciem, ex hypocrisi, vel animo aegro, cum asperitate, cum indignatione; unde ostendere vult apostolus, quomodo solum haec omnia se recte habeant.

Describit autem caritatem: *quod est vinculum perfectionis*, ὅ ἐστιν id est: ita quaedam quasi definitio caritatis inducitur, uti Eph. 5,5 avarus, id est idololatra, similiter legitur; vinculum perfectionis (genitivus qualitatis) explicatur vinculum perfectum (*Thom. Cai. Est. Iust. Lap. Ew.*) et uti *Thom.* dicit, caritas est ex natura sua vinculum, quia est uniens amatum amanti, et est vinculum simpliciter perfectum, quo homines inter se col-

ligantur, cum alia vincula societatum humanarum aut imperfecta sint aut etiam noxia (*Est.*). Haec explicatio et verbis plane congruit et sensum effert prorsus ad contextum consentaneum, qui etiam in v. 15 *in uno corpore* denuo apparet. Aliae explicationes variis defectibus onerantur et laborant. Nam *perfectionis* non poterit esse genitivus obiectivus: vinculum quo perfectio colligetur; quid enim sibi vult vinculum colligans perfectionem? caritas iam pertinet ad perfectionem, nec perfectio notione sua est cumulus quidam rerum, qui ligamine contineri debeat. Saepius pro perfectione substituuntur virtutes, de quibus antea sermo erat; has virtutes colligari vinculo caritatis; at istae virtutes non sunt perfectio. Unde restat genitivus subiectivus: vinculum quod adest, ubi est perfectio, vel genitivus appositionis: vinculum i. e. perfectio. Sed hisce non explicatur quid sibi velit vinculum, et ad quid vinculum inserviat. Proinde in priore explicatione erit sistendum; caritas unit animos et quidem modo perfecto, est vinculum perfectum. Reliquae enim virtutes (v. 12.13) unionem inter fideles aliquam et ex parte efformant, caritas autem modo stabili et perfecto.

Atque ut vinculum hoc perfectum unionis, caritas in omnibus conservetur, aliud monitum subiungit apostolus v. 15 *et pax Christi*, cf. Gal. 5,22: fructus spiritus: caritas, gaudium, pax; illa pax quam Christus dat; pacem meam do vobis (Ioan. 14,27), *exsultet in cordibus vestris* βραβευέτω, cf. βραβεῖον, bravium Phil. 3,14; 1 Cor. 9,24; βραβεύς moderator et iudex certaminis, qui victori praemium assignat; unde βραβεύω sum βραβεύς. Quare graeci explicant: frequenter pugnant in nobis cogitationes, aliae ad vindictam, aliae ad longanimitatem nos impellentes; inter has sit in cordibus nostris pax ὥςπερ τις βραβευτὴς δίκαιος τουτέστι κριτὴς καὶ ἀγωνοθέτης καὶ δῶ τὸ βραβεῖον τῆς νίκης, veluti iudex certaminis statuens normam qua victoria sit reportanda, et praemium victoriae regnet in cordibus ipsa pax Christi. Ex notione speciali moderatoris certaminis merito colliges notionem generalem moderandi, ordinandi, dominandi. Quare melius ita explanabis: in omnibus rebus ac conditionibus dominetur et ordinet cuncta in cordibus vestris pax Christi; haec praevaleat et obtineat palmam prae omni affectu perturbante tranquillum ordinem caritatis et aliarum virtutum in anima (*Cai. Est.*); aliis verbis: pax imperet, regnet in cordibus vestris (*Iust. Nat.*), et *Lap.* exinde scribit: pax victrix veluti triumphans exsultet in cordibus vestris.

Et quam necessarium sit, ut pax omnia moderetur, declaratur: *in qua* εἰς ἣν ad quam pacem fovendam, habendam *et vocati estis in uno corpore*, vocati estis ad fruitionem huius pacis Christi veluti in forma unius corporis, ita ut unum corpus constituatis; cf. Eph. 4,4-6. Habent omnes eundem Deum et Christum, eandem fidem, eadem subsidia salutis, unde

unum corpus, unam societatem efformant, cuius singuli sunt membra et participes sunt bonorum totius corporis. Quare alterum adiungitur monitum : *et grati estote* pro tot beneficiis in hac pace Christi vobis oblatis, γίνεσθε : hunc animum gratum opere exhibeant neque cessent (cfr. *Zorell*, N. T. lex., γίνομαι II, 2 c. nota). Iam notavi, saepe apostolum et ipsum agere gratias et admonere ad gratiarum actionem. Haud immerito notat *Cai.* : universae virtutes abolerentur, si deesset gratitudo. Vox εὐχάριστος hoc solum loco legitur in Scriptura; habet notionem duplicem : amabilis seu gratiosus, et gratus. Hic in notione adhiberi quam vulg. explicat et pariter syrus (sitis gratias agentes), recentiores etiam ex constanti usu εὐχαριστεῖν, εὐχαριστία inferunt.

Studium pacis et animus gratus vehementius promovebuntur, quo magis quis intimis medullis perceperit Christi doctrinam. Quare admonet apostolus v. 16 *verbum Christi habitet in vobis abundanter*, cf. Eph. 3,17; ἐνοικείτω inhabitet ; plenam sibi acquirant cognitionem eamque doctrinam Christi fixam habeant in mente habeantque eam modo quodam opulento πλουσίως, non contenti qualicumque cognitione, sed uberem appetentes; uti *Chrys.* monet : dives facile fert damna minora, ita dives in doctrina Christi facile fert et superat adversitates. Hanc sibi comparent *in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos*, ut quaecumque sapientia inest in doctrina Christi, hanc percipiatis et hac vos ipsos doceatis et commoneatis, ad omne bonum vos exstimuletis. Participia ex contextu vim ac notionem imperativi accipiunt ; apponuntur absolute, uti saepius fieri solet, ut efferatur, quomodo illud « inhabitet in vobis » sit exsecutioni mandandum ; ceterum cf. 1,9. Aliqui, uti *Lightfoot*, referunt *in omni sapientia* ad antecedentia ; verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia. At cum longe plerisque melius refertur ad subsequentia, ut etiam interpunctione vulg. innui videtur. Nam membrum antecedens iam habet determinationem πλουσίως, dein *in omni sapientia* multo melius quadrat ad participia *docentes et commonentes*, quam ad verbum *habitet*, neque omittendus est locus parallelus 1,28 : docentes omnem hominem in omni sapientia.

Et quomodo se ipsos et etiam alios, seu inter se docere et adhortari possint, declaratur *psalmis*, *hymnis*, *canticis spiritualibus* : ἑαυτούς saepe ponitur pro ἀλλήλους, ceteroquin vide locum parallelum Eph. 5,19. Ipse apostolus docet doctrinam Christi hymnis, canticis esse spargendam et hanc poesin omnino utilem esse ad docendum et adhortandum. Eiusmodi psalmos et cantica in coetibus sacris adhibita esse indicium habetur 1 Cor. 14,26.

Verum canendum est non ore tantum, sed in cordibus (*Theod.*), cum attentione (*Chrys.*) *in gratia cantantes in cordibus vestris Deo*; fertur lec-

tio ἐν τῇ χάριτι, ἐν χάριτι, utra praeferenda sit, ex auctoritate testium (fere aequali pro utraque) diiudicari nequit ; ex internis rationibus generatim praefertur ἐν τῇ χάριτι, ut excludatur notio : in suavitate, seu in venustate (cf. 4,6). Retento articulo significatio per se offertur duplex : vel in gratia, dono Spiritus sancti (*Oec. Lightf.*), ubi ἐν instrumentaliter concipi potest, vel in gratia i. e. in animo grato (unter Dank), quam notionem plerumque praeferunt ob v. 15 (cf. *Thom.* : recognoscentes gratiam Christi et beneficia Dei ; *Cai.* in gratiarum actione, *Nat. Iust. Hpt. Ecc.*) ; alii utramque acceptionem proponunt (*Est. Lap.*). Adhibetur quidem saepius ἡ χάρις notione gratiae Dei, ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν (4,18 ; Act. 18,27 ; 2 Cor. 4,15 ; Gal. 5,4 ; Eph. 4,7 ; Phil. 1,7), et in hisce locis gratia consideratur ut donum collatum vel conferendum, ergo clarum est per se intelligi gratiam Dei. Verum in nostro loco admonentur, ut aliquid agant in gratia ; sed nemo sibi simpliciter dare potest gratiam Dei ; potest homo admoneri, ut petat gratiam, at vix apte, ut quid faciat in gratia Dei. Quare alterum retineatur. Deo laudes concinendae sunt *in cordibus*, cum intimo animi affectu, cum attentione ; « hoc est enim Deo canere ; solum ore canere est aëri canere ; non ad ostentationem ; nam etsi in foro versaris, potes apud te ipsum canere nullo audiente » (*Chrys. Thph.*).

Ceterum, uti de lectione et notione χάριτος disceptatur, ita pariter de eius coniunctione vel cum antecedentibus vel subsequentibus. Iam *Chrys.* varia praebet : « aut hoc dicit, quod propter gratiam haec nobis dedit Deus ; aut canticis quae sunt in gratia, ταῖς ἐν τῇ χάριτι ᾠδαῖς (cum antea scribit διὰ χάριν), aut admonentes ἑαυτούς et docentes ἐν χάριτι, aut quod ἐν χάριτι habebant haec dona, aut haec est explicatio : a gratia Spiritus ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ πνεύματος. Qui in gratia referunt ad antecedentia, explicant cum *Thph.*, ut psalmi, hymni, cantica canantur cum suavitate ad delectationem spiritualem. At certe apostolus non iussit suaviter canere. Unde alii referunt ad docentes et admonentes invicem, ut hoc fiat in gratia, amabiliter. Sed haec verba longius distant ; ceterum ibi supponitur lectio ἐν χάριτι ; neque ἐν τῇ χάριτι apte adiungitur ad antecedentia ; nam neque gratia Dei neque animus gratus potest referri aut ad commonitionem aut ad cantica spiritualia. Nemo enim potest iuberi docere, canere in gratia Dei ; neque solum animus gratus, verum plurima alia in hymnis, psalmis, canticis exprimuntur. Quare ut ab *in omni sapientia* membrum prius sententiae, ita ab *in gratia* alterum membrum aptissime inchoatur.

Demum eos monet, ut tota vitae ratio ultimatim fundetur et versetur in Christo v. 17 *omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia* externa ista comitem habere debent internam quandam animorum dispositionem et indolem qua fiant *in nomine Domini Iesu Christi*. Nomen est ipsa persona sicuti omnibus innotescit et sese manifestat, ergo in Iesu quem norunt Dominum redemptorem, caput ecclesiae, quocum in bap-

tismo complantati sunt : ita igitur in omnibus agant, uti decet hanc eorum unionem cum Christo, ut intimus animi affectus fixus sit ac firmus sit in Christo et proinde omnes vitae actiones generali quodam modo quasi comitem habent recordationem Christi.

Exornentur dicta et facta recordatione Christi, explicat *Theod.*; graeci, ut invocato nomine Iesu omnia agamus vel intuentes in Christum, praecipi aiunt, (*ThdM.*), alii ut credentes et fidentes in eo loquamur et operemur (*Cai.*), ut omnia ad eum et eius gloriam referantur (ita saepe), ubi *Thom.* notat, non esse necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu. Quomodo fieri possint omnia *in Christo*, videtur apostolus indicare, cum pergit: *gratias agentes Deo (et) Patri per ipsum;* vide Eph. 5,20; per meritum Christi enim omnia bona salutaria nobis a Deo Patre proveniunt. Omnes actiones factae in nomine Christi sunt simul actio gratiarum quaedam Deo oblata in eius gloriam (1 Cor. 10,31).

Monita pro vita domestica 3,18-4,1.

3,18. *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet, in Domino.* 19. *Viri, diligite uxores vestras et nolite amari esse ad illas.* 20. *Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.* 21. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* 22. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.* 23. *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino et non hominibus,* 24. *scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.* 25. *Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.* 4,1. *Domini, quod iustum est et aequum, servis praestate, scientes quod et vos dominum habetis in coelo.*

3,18. Αἱ γυναῖκες, ὑποτάσσεσθε τοῖς ἀνδράσιν, ὡς ἀνῆκεν ἐν Κυρίῳ. 19. οἱ ἄνδρες, ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας, καὶ μὴ πικραίνεσθε πρὸς αὐτάς. 20. Τὰ τέκνα, ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν κατὰ πάντα· τοῦτο γὰρ εὐάρεστόν ἐστιν ἐν Κυρίῳ. 21. οἱ πατέρες, μὴ ἐρεθίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν. 22. οἱ δοῦλοι, ὑπακούετε κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις, μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλίᾳ, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ' ἐν ἁπλότητι καρδίας φοβούμενοι τὸν Κύριον. 23. ὃ ἐὰν ποιῆτε, ἐκ ψυχῆς ἐργάζεσθε, ὡς τῷ Κυρίῳ καὶ οὐκ ἀνθρώποις, 24. εἰδότες ὅτι ἀπὸ Κυρίου ἀπολήμψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας· τῷ Κυρίῳ Χριστῷ δουλεύετε. 25. ὁ γὰρ ἀδικῶν κομίσεται ὃ ἠδίκησεν καὶ οὐκ ἔστιν προσωπολημψία. 4,1. οἱ κύριοι, τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα τοῖς δούλοις παρέχεσθε, εἰδότες ὅτι καὶ ὑμεῖς ἔχετε κύριον ἐν οὐρανῷ.

Ostenderat apostolus v. 11 quid regeneratio quoad novum hominem in ordine spirituali efficiat. Verum regeneratione non auferuntur neque destruuntur, quae vel generatione naturali vel certis hominum inter se pactis et conditionibus statuta sunt. Gratia quippe non destruit naturam, sed supponit eam eamque sanctificando elevat. Verum facile accidere poterat, ut aequalitas novi hominis annuntiata occasionem praeberet homi-

nibus inferioris status adhibendi aliquem conatum ad aequalitatem illam ultra limites extendendam. Iam monuerat apostolus: unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat (1 Cor. 7,20). Quare post monita omnibus accommodata descendit ad specialia pro familia, et quidem, uti *Thom.* dicit, secundum tres connexiones ex quibus domus constituitur, viri et uxoris, patris et filii, domini et servi. Cum priore loco inferiores admoneantur, haud temere colligere licebit, apud eos affectationes quasdam maioris libertatis serpsisse. Docet apostolus subiectionem illam auctoritati naturali debitam etiam in Christo, in religione et pietate christiana consistere; usum huius auctoritatis ordinari et regi pariter in Christo, eadem religione et pietate. Quae hic satis breviter proponuntur, explicatius rationibus quoque adiectis et explanatis prostant Eph. 5,22-6,9 descripta.

Subiectionem mulierum maritis debitam valere pro fidelibus quoque affirmatur ὡς ἀνῆκεν ἐν Κυρίῳ, sicut convenit, decet in regno Christi, *in Domino*, unde causa et ratio subiectionis indicatur consistere in Domino, prout etiam modus et ambitus determinatur in Domino, scil. quatenus cum doctrina morum congruit. Referunt graeci ἐν Κυρίῳ ad ὑποτάσσεσθε, unde oritur sententia, quasi apostolus dicat: non enim obedientiam a natura debitam solum exigo a vobis (hoc indicat per *sicut oportet*), sed potissimum eam quae est propter Deum. At ex v. 20 potius suadetur constructionem *ut decet in Domino* retinendam. Cur ex ordine naturae mulier viro subiecta sit, exponitur 1 Cor. 11,3.8-11. — Viris praecipitur: *diligite uxores (vestras)*: ἀγαπᾶν non amorem sensualem dicit, sed dilectionem, aestimationem veram; vult maritum non herum, sed amicum esse uxoris; unde μὴ πικραίνεσθε, ne sitis asperi, amarulenti, morosi adversus eas. Fieri enim potest, ut vir non eam inveniat in uxore perfectionem quam exoptat; ne igitur animum amarum ad illam concipiat; verum valeat quod v. 12.13 praecipitur de christianorum inter se misericordia, benignitate, humilitate, modestia ac patientia.

Etiam filiis baptismo regeneratis non conceditur maior libertas: *obedite per omnia* κατὰ πάντα, Eph. 5,2.3 provocat apostolus ad legem (Ex. 20,12. Deut. 5,16); hoc loco *placitum in Domino*, imo εὐάρεστον valde acceptum in regno Christi, utpote praeceptum a Domino. Ut autem obedientia filiis fiat facilis, iubet patres non imperiose vel cum contemptu praecipere: *nolite ad indignationem provocare*, nimia severitate, verbis durioribus, quibus filii amissa alacritate animum despondeant; ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν ne in tristitiam et abiectionem animi protrudantur. Pluribus admonitio servorum proponitur. Referunt hoc ad casum apostoli circa Onesimum; hic fugerat, apostolus quidem eum remiserat ad herum, ita satis declarans fugam illam iniuste fuisse arreptam; at multo studio cu-

raverat, ut servo fugitivo venia ab hero daretur. Nonne servi fideles, si res innotuit, inde spem concipere poterant fore, ut apostolus potius servis faveret quam heris! Insuper cum servi coetibus sacris una cum heris fidelibus interessent et eorundem cum eis mysteriorum et sacramentorum et doctrinarum fierent participes, facile exoriri poterat desiderium vel opinio, decere ut haec aequalitas in re sacra etiam evaderet aequalitas quaedam in vita familiari. Apostolus contra eiusmodi desideria clare docet praestandam esse a servis obedientiam et quidem κατὰ πάντα, v. 22 *servi, obedite per omnia*, ne putent sibi utpote fidelibus quidquam praesumendum esse, *dominis carnalibus* τοῖς κατὰ σάρκα κυρίοις, i. e. conditiones illas naturales consuetudine vel lege civitatis introductas, haec κατὰ σάρκα apostolus mutare et abrogare non vult; sunt heri secundum mundanam rerum conditionem, et hoc ius et hanc auctoritatem agnoscit et iubet agnosci a servis.

Imo quia servi sunt fideles, non qualicumque obedientia est contentus; debent perfecte obedire etsi herus non invigilet neque ulla poena sit timenda: *non ad oculum servientes*, Eph. 6,6; sensum bene reddit vulg.; μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλίᾳ non per modum obsequii ad oculos exhibiti, scil. heris praesentibus et videntibus; ita agunt ἀνθρωπάρεσκοι, qui nihil aliud spectant quam ut placeant hominibus. Sublimius servitium a servis fidelibus praestandum est: *sed in simplicitate cordis*, vide Eph. 6,5 et cf. Rom. 12,8; 2 Cor. 9,11; duplicitas cordis habetur, si quis varios fines inter se contrarios prosequitur, uti v. g. hypocrita, homo non sincerus: simplicitas, si unum sincere quod rectum est et debitum ob oculos habetur, sine simulatione aut tergiversatione, sine affectatione laudis et excellentiae; aliis verbis est integritas animi. Et hanc simplicitatem acquirent et retinebunt *timentes Deum*, τὸν Κύριον graece secundum plerosque testes. Servi fideles serviunt eum timentes qui est ὁ Κύριος, qui non solum cuncta videt, sed etiam intimos animi recessus perspectos habet et qui servis obedientiam praecipit.

Neque sistendum esse in timore censet apostolus v. 23 *quodcumque facitis, ex animo operamini*, operosum et molestum laborem (ἐργάζεσθε) suscipite ἐκ ψυχῆς libenter, non aegre, non cum murmuratione; operamini *sicut Domino et non hominibus*, ita obedientia redditur nobilissima; omnis servitus et omne obsequium ita hominibus praestatur, ut Deo exhibeatur servitium qui ita sua providentia res disposuit et talem obedientiam imponit et requirit. Et Dominus etiam servis concedit mercedem; ab heris servi non postulare possunt proprie mercedem, servire debent sine mercede; at nunc servi fideles sunt v. 24 *scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis* τὴν ἀνταπόδοσιν plenam compensationem, ἀντί pro eo quod ipsi praestiterunt, τῆς κληρονομίας (genit. appositionis) et haec

consistit in hereditate; alias servi et heredes inter se opponuntur (Rom. 8,15-17; Gal. 4,1.7); at servi fideles habent adoptionem filiorum et participes erunt bonorum aeternorum regni Dei; vide Eph. 1,14.18; 5,5. Act. 20,32; exsistit ergo Dominus qui servis tribuit mercedem; huic ergo servitium exhibeant: *Domino Christo servite* δουλεύετε, ita legunt testes praestantiores sine particula; alii legunt ut *Theod. Oec. Thph.* τῷ γὰρ Κυρίῳ Χριστῷ, Domino enim servitutem praestatis; a paucis testibus fertur lectio : accipietis r. h. a Domino nostro Iesu Christo, cui servitium exhibetis ᾧ δουλεύετε). In omni lectione declaratur obsequium et servitium homini auctoritatem habenti exhibitum ultimatim esse obedientiam Deo seu Christo praestitam, quia auctoritas illa divinitus sit constituta et rectus ordo naturalis doctrina Christi confirmetur.

Pluribus et graviter commendavit apostolus servis obedientiam v. 22-24. Iam addit monitum ne ea in re negligentes sint; nam negligentes in servitiis praestandis damnum inferunt heris et iniustitiae commissae rei sunt et ideo poenae obnoxii v. 25 *qui enim iniuriam facit, recipiet id quod inique gessit* : ὁ γὰρ ἀδικῶν iniuste faciens κομίσεται ὃ ἠδίκησεν reportabit quod iniuste fecit, punietur secundum mensuram damni, pro ratione damni quod intulit. De servis hoc dici bene explicant *Chrys. Oec. Thph. Iust. Hpt. Ew.*, et congruit ad antecedentia. Nam si Deo seu Christo ultimatim praestatur obsequium, negligentia pariter est iniuria Deo illata, pro qua poenas luere oportet, neque enim personae examinantur et iudicantur, sed res: *et non est personarum acceptio* (*apud Deum*) ; recte explicat *Thph.* : « christianus servus graecum et infidelem herum iniuria (damno) afficiens non arbitretur evasurum se poenam (κατάκρισιν), neque enim personarum acceptor est Christus, ut ipsi ceu christiano remittat quod adversus infidelem herum deliquit » et *Oec.* item: « quare hoc de servis posuit? aut quia non miserebitur pauperis in iudicio Deus (cf. Ex. 23,3), aut loquitur christianis servis, quibus domini erant graeci (infideles) ». Ergo ne servi sibi blandiantur, fore, ut ob miseram conditionem seu propter fidem susceptam sibi a Domino benigne indulgeatur, si furtis, neglectu laborum etc. heros damno affecerint.

At haec explicatio a multis non acceptatur; explicant enim ὁ ἀδικῶν de hero qui iniuriam servis infert et cuius iniuriae poenas ipse non effugiet, quamvis herus sit magnus et potens. Et volunt comminationem in herum iniustum addi ad quandam servorum consolationem: iniuriae vobis illatae non manebant inultae, vel ne servi ob iniurias illatas desistant a praedictis officiis; vel: etiamsi a dominis non recipietis iustas retributiones, est iustus iudex, qui servi differentiam et domini non curat, sed iustam fert sententiam; ita enim posset servus dicere: quomodo serviam ei qui mihi facit iniuriam? ei *Thom.* respondet: « non est tuum, ut

vindices te, subtrahendo ei quod suum est, sed exspecta ab eo qui potest (te vindicare) »; ita concipiunt hoc de heris *Theod. ThdM. Thom. Cai. Est. Nat. Abbott* et alii. At minime placet apostolum, ad consolandos vel erigendos et confortandos servos afferre ultionem et vindictam quam heri experturi sint, quasi dicat: ne animo cadatis; habebitis ultionem demum aliquando. Haec acceptio inde videtur originem duxisse, quod particula γάρ arcte ad solam sententiam ultimam sit adiuncta: nam si quis vos iniuria afficit, punietur. Sed melius consideratur γάρ rationem afferens cur sit obediendum, et simul absolvitur admonitio servorum ne sua negligentia noceant heris. — Per se posset v. 25 generatim intelligi et de servo et de hero (*Lap. Lightf.*); at contra est contextus.

Demum heris fidelibus praecipit apostolus: 4,1 *quod iustum est et aequum, servis praestate*, τὸ δίκαιον quod ex iustitia debetur et sine iniustitia nequit denegari; καὶ τὴν ἰσότητα aequitatem, dicit praeter strictum debitum etiam plus esse tribuendum ratione habita variarum conditionum, ergo id quod attentis laboribus et molestiis aequum est; nam summum ius summa iniuria, ut fert proverbium. Non aequalitatem, sed aequitatem postulat apostolus; bene ait *Theod.*: ἰσότητα οὐ τὴν ἰσοτιμίαν ἐκάλεσεν, non honoris aequalitatem, sed curam convenientem quam oportet dominos gerere servorum. Proinde praecipit, ut servos benigne et humane tractent, ne omne debitum ad amussim exigant, ne omne delictum rigide puniant (*Est.*). Duas notiones graeci fere ut aequales habent; audi *Chrys.*: quid est iustum, quid aequum? efficere ut sit eis rerum sufficiens copia, πάντων ἐν ἀφθονίᾳ καθιστᾶν (ea sine invidia, libenter praestare), et non sinere ut aliis egeant, sed pro laboribus eos remunerari (ἀμείβεσθαι αὐτοὺς τῶν πόνων). Nimium videtur, quod aliqui explicant, heris praecipi, ut servos aequales et pares sibi habeant (Gleichstellung gewähren, *Hpt.*). Nonne perniciosum potius esset tale mandatum coram omnibus statuere pro heris? Ac quis herus etiam hodie ministros suos sibi pares habet!

Apostolus neque potest neque vult servitutem subito abolere. At viam parat ad sortem servorum mitigandam et ad gravamina auferenda. Quare heros fideles graviter iubet aequum praestare servis et perpendere etiam se habere dominum eumque omnium summum; *scientes quod et vos dominum habetis in coelo*, qui rationem exiget de observatione praeceptorum; qua igitur mensura mensi fueritis vestris servis, metietur et vobis Dominus vester (*Thph.* cf. Matth. 7,2; Marc. 4,24; Luc. 6,38). Ceterum vide Eph. 6,9, ubi eadem pluribus commendantur heris fidelibus et cf. 1 Cor. 7,22 qui liber vocatus est (ad fidem), servus est Christi. Tamquam exemplum heri Dominum coelestem recogitantis *Thom.* affert Iob 31, 13 sq.

Ultima monita et epilogus 4,2-18.

4,2. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione;* 3. *orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum),* 4. *ut manifestem illud ita, ut oportet me loqui.* 5. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes.* 6. *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.*

7. *Quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater et fidelis minister et conservus in Domino,* 8. *quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quae circa vos sunt et consoletur corda vestra,* 9. *cum Onesimo carissimo et fideli fratre qui ex vobis est. Omnia quae hic aguntur nota facient vobis.*

10. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus et Marcus consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata; si venerit ad vos, excipite illum;* 11. *et Iesus qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.* 12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Iesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei.* 13. *Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis et pro iis qui sunt Laodiciae et qui Hierapoli.* 14. *Salutat vos Lucas medicus carissimus et Demas.* 15. *Salutate fratres qui sunt Laodiciae et Nympham et quae in domo eius est ecclesiam.* 16. *Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis.* 17. *Et dicite Archippo: vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* 18. *Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.*

4,2. Τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, γρηγοροῦντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ. 3. προσευχόμενοι ἅμα καὶ περὶ ἡμῶν, ἵνα ὁ Θεὸς ἀνοίξῃ ἡμῖν θύραν τοῦ λόγου, λαλῆσαι τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, δι' ὃ καὶ δέδεμαι, 4. ἵνα φανερώσω αὐτό, ὡς δεῖ με λαλῆσαι. 5. ἐν σοφίᾳ περιπατεῖτε πρὸς τοὺς ἔξω, τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι. 6. ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἅλατι ἠρτυμένος, εἰδέναι πῶς δεῖ ὑμᾶς ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποκρίνεσθαι.

7. Τὰ κατ' ἐμὲ πάντα γνωρίσει ὑμῖν Τυχικὸς ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς καὶ πιστὸς διάκονος καὶ σύνδουλος ἐν Κυρίῳ, 8. ὃν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν καὶ παρακαλέσῃ τὰς καρδίας ὑμῶν, 9. σὺν Ὀνησίμῳ τῷ πιστῷ καὶ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ, ὅς ἐστιν ἐξ ὑμῶν. πάντα ὑμῖν γνωρίσουσιν τὰ ὧδε.

10. Ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἀρίσταρχος, ὁ συναιχμάλωτός μου καὶ Μᾶρκος ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα, περὶ οὗ ἐλάβετε ἐντολάς, ἐὰν ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς, δέξασθε αὐτόν, 11. καὶ Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦστος, οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς οὗτοι μόνοι συνεργοὶ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, οἵτινες ἐγενήθησάν μοι παρηγορία. 12. ἀσπάζεται ὑμᾶς Ἐπαφρᾶς ὁ ἐξ ὑμῶν, δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ πάντοτε ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ ὑμῶν ἐν ταῖς προσευχαῖς, ἵνα σταθῆτε τέλειοι καὶ πεπληροφορημένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ. 13. μαρτυρῶ γὰρ αὐτῷ, ὅτι ἔχει πολὺν πόνον ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ καὶ τῶν ἐν Ἱεραπόλει. 14. ἀσπάζεται ὑμᾶς Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς ὁ ἀγαπητὸς καὶ Δημᾶς. 15. Ἀσπάσασθε τοὺς ἐν Λαοδικείᾳ ἀδελφοὺς καὶ Νυμφᾶν καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν. 16. καὶ ὅταν ἀναγνωσθῇ παρ' ὑμῖν ἡ ἐπιστολή, ποιήσατε ἵνα καὶ ἐν τῇ Λαοδικέων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. 17. καὶ εἴπατε Ἀρχίππῳ· βλέπε τὴν διακονίαν ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, ἵνα αὐτὴν πληροῖς. 18. Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν. ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν.

Post specialia documenta ad singulos status (3,18-4,1) ponit hic pertinentia ad omnes (*Thom.*), vel dicere possumus cum *Cai.*: pergit in assignandis partibus novi hominis, quas 3,18-4,1 extenderat ad omnes

ecclesiae partes tunc temporis; constabat enim tunc ecclesia tantum ex domibus; postquam igitur singulas domus instruxit, instruit modo omnes simul v. 2 *orationi instate*, προσκαρτερεῖτε, assidue et constanter et perseveranter; dirigitur verbum contra periculum flaccescendi, contra socordiam; *vigilantes in ea*, « nam quoniam orationi instare saepe facit flaccere, ῥαθυμεῖν, ideo dicit : vigilantes, i. e. sobrii, non vagantes, μὴ ῥεμβόμενοι (*Chrys*). Verum haec notio : ne deficiant desistentes, iam satis in verbo graeco continetur; quare in γρηγοροῦντες potius aliud spectandum erit, scil. monitum illud Christi saepius repetitum γρηγορεῖτε, vigilate (Matth. 24,42; 25,13; Marc. 13,35.37 quod vobis dico, omnibus dico : vigilate); haec vigilantia iungenda est cum assidua oratione; sit vigilantia haec comes orationis (cf. ἐν de societate vel comitatu), prout Christus praecipit : vigilate itaque omni tempore orantes (Luc. 21,36); *in gratiarum actione*, comes orationis sit actio gratiarum; nam « in omnibus gratias agite; haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis » (1 Thess. 5,18); neque enim meretur beneficia nova, qui de acceptis esset ingratus (*Thom.*). Ceterum vide Eph. 6,18.

Uti 2 Thess. 3,1 et Rom. 15,30 et Eph. 6,19, ita hic quoque postulat preces fidelium, ut sermo Dei currat et clarificetur; v. 3 *orantes simul et pro nobis*, laudant graeci humilitatem apostoli, et nos etiam docet non nobis ipsis fidere, sed mutuum invicem auxilium petere (*Theod.*). Neque pro se quidquam expetit, sed totus in eo est, ut opus apostolicum promoveatur; loquiturne de se solo an etiam de reliquis praedicatoribus, de Timotheo (1,1)? hoc censent *Nat. Lightf.* : hic negat ullibi Paulum de se in plurali loqui; at communiter ita eum de se solo loqui explicant; idque recte; nam, ut *Est.* notat, quod suam tantum personam intelligi velit, docent illa sequentia : vinctus sum, manifestem etc.; *ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*, petit, ut sibi fiat opportunitas praedicandi evangelium; de ostio vide loquendi modum 1 Cor. 16,9 et 2 Cor. 2,12; *ad loquendum mysterium Christi*, vide 1,26.27; 3,2; Eph. 3,3-9, ubi gentibus quoque esse annuntiandum evangelium et hoc munus sibi esse speciali ratione commissum declarat; *propter quod etiam vinctus sum*, nam quia professus est se missum esse ad nationes longe et quia gentibus praedicavit, factus est captivus (Act. 21,28; 22,21; 24,5; 25,6 sq.). Et eam opportunitatem praedicandi sibi efflagitari desiderat, v. 4 *ut manifestem illud ita ut oportet me loqui* ὡς δεῖ με λαλῆσαι sicut mihi necessitas praedicandi incumbit, vae enim mihi est, si non evangelizavero (1 Cor. 9,16). Hoc alterum itaque impetrent pro ipso precibus suis, ut manifestum faciat, omnibus palam proponat illud mysterium Christi, ut successum operis consequatur.

Alteram hanc sententiam finalem aliqui coniungunt cum sententia

relativa: propter quod et vinctus sum, ut manifestem illud. Ita iam *Theod.* : ostendit causam vinculorum : haec enim, inquit, faciunt praedicationem manifestiorem ; ita etiam dicit ad Philippenses : ita ut vincula mea manifesta fierent in omni praetorio (Phil. 1,13). Illud ὡς δεῖ με λαλῆσαι referunt alii ad λαλῆσαι v. 3 (cf. *Ew.*) ; alii iungunt cum φανερώσω et quidem eo modo : vinctus sum, ut evangelium manifestem demonstrans iudicibus me habere mandatum divinum (ergo ὡς = ὅτι). Ceterum : vinctus sum, ut manifestem illud, haec coniunctio iam per se excluditur, quia apostolus petit, ut sibi Deus aperiat ostium sermonis ; ergo certe non assignat tamquam finem captivitatis ἵνα φανερώσω, vel si illa manifestatio ipsis iam vinculis obtinetur, iam ostium sermonis est apertum. Porro ὡς δεῖ referre post parenthesin ad v. 3 λαλῆσαι satis durum est et minime perspicuum. Interpunctio vulg (*propter quod etiam vinctus sum*) optime demonstrat, quomodo sententias iungere oporteat. Ceterum parum refert, utrum alterum ἵνα accipiatur coordinatum cum priore sententia fin. an ei subordinatum ; discrimen sensus haud multum est. Facilius tamen concipitur subordinatio ; petit enim ut sibi detur opportunitas praedicandi et ut hac opportunitate utatur ὡς δεῖ με λαλῆσαι sicut oportet me loqui ad evangelii manifestationem.

Postremo, ait *Cai.*, partes hominis novi quoad infideles manifestat v. 5 *in sapientia ambulate ad eos qui foris sunt*, prudenter et circumspecte (*Est. Nat. Iust. Lap.*), id sane pertinet ad sapientiam ; magis explicatur sapientia altero membro v. 5 et v. 6 πρὸς τοὺς ἔξω vide 1 Cor. 5,12 ; 1 Tim. 3,7 ; pars sapientiae in conversatione cum illis erit, ut fideles sciant uti opportunitate : *tempus redimentes* τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι oblatam opportunitatem plene exhaurire, omnem utilitatem ex data occasione percipere, ita ut verbis et rebus gestis et toto agendi et conversandi modo apud eos sine ullo offendiculo bonum promoveant (cf. *Cai Lap.*), vide Eph. 5,15 : caute ambuletis, ut sapientes ; cf. Matth. 10,16 estote prudentes sicut serpentes. Quod saepius monent, tempus per bona opera faciendum esse tempus nostrum, nullius particulae temporis iacturam esse admittendam (*Theod. Iust. Nat. Est.*), hoc loco a contextu est alienum, quamvis in sententia generatim spectata per se enuntietur praeceptum, ut opportunitas quaevis, quantum fieri possit, plene in nostram convertatur utilitatem. Ergo in conversatione cum infidelibus id spectari debebit, ut omnis occasio bonum spargendi, causam Christi promovendi reddatur frugifera.

Altera pars sapientiae enuntiatur in v. 6 *sermo vester semper in gratia* ἐν χάριτι : ἐχέτω χαριεντισμόν (*Thph.*), sit cum grata iucunditate, cum amabili modestia, ita compositus, ut facile favorem audientium sibi conciliet ; *sale sit conditus*, ut cibus sit sapidus, sale debet condiri, Iob 6,6 aut

poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Sermoni fidelium addi debet seu ei inesse debet aliquod condimentum spirituale, religiosum, pium, ut habeat vim et efficaciam aliis utilitatem praebendi. Hoc loco perperam intelligeretur metaphora salis de sapientia; nam sapientae mentio iam in v. 5 facta est; potest autem intelligi de condimento gravitatis, utilitatis, discretionis. Nam, uti poeta habet, omne tulit punctum qui miscuit utile dulci (χάριτι, ἅλατι). Quam maxime pertinet ad sapientiam ad temporis opportunitatem exhauriendam, ad verum condimentum sermonis, *ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere;* ex v. 5 proxime spectatur occasio respondendi infidelibus qui interrogent de rebus fidei, de disciplina et institutione christiana. In eiusmodi colloquiis amplus est campus tempus redimendi, utendi opportunitate oblata alios suaviter ad Christum trahendi. Opus quoque est sapientia et sale discretionis et suavitate quadam attentis etiam diversorum moribus, studiis, inclinationibus. Meminit *Thph.* Paulum aliter Atheniensibus respondisse, aliter Elymae (Act. 17,22; 13,10). Ad v. 5 et 6 non habetur locus parallelus in epistola ad Ephesios.

Uti Eph. 6,21, ita hic quoque scribit apostolus, per Tychicum eis nuntios iri allatum. Laudat hic *Chrys.* sapientiam Pauli, quod, ut eum quem mittit reddat magis reverendum, curet ut is habeat aliquid quod narret, et quod dicat quam bene in eum sit affectus; v. 7 *quae circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus*, Act. 20,4 designatur Asianus simul cum Trophimo, qui Act. 21,29 Ephesius vocatur; unde non est improbabile Tychicum quoque fuisse Ephesium (imo codex D praebet Act. 20,4 Ἐφέσιοι cf. *Hpt.*); *carissimus frater et fidelis minister* διάκονος *et conservus in Domino*, Paulus se vocat servum Christi (Rom. 1,1; Gal. 1,10; Phil. 1,1), simul cum eo et servus eiusdem Domini, conservus (1,7) in eodem ministerio Christi; *in Domino*, omnes illae vitae conditiones habent suam consecrationem et significationem hominis novi in Christo, quasi evectae in regionem altiorem et ex mundo profano exemptae; v. 8 *quem misi ad vos*, ἔπεμψα stilo epistolari, *ad hoc ipsum, ut cognoscat quae circa vos sunt*, secundum hanc lectionem (quam sequuntur *Chrys. Oec. Thph.* et codices complures et versiones) mirum est quod dicatur *ad hoc ipsum*, nam modo dictum est, τὰ κατ' ἐμὲ πάντα γνωρίσει ὑμῖν, et profecto ad hoc refertur εἰς αὐτὸ τοῦτο scil. ut Colossensibus narret quae circa Paulum sunt.

Neque cernitur ratio, cur Tychicus speciali modo mittatur ad cognoscendas res Colossensium. Dicunt aliqui, ut deinde Paulo referat de statu eorum. Sed nihil tale indicatur in epistola. Quare sequenda erit lectio altera (quam praebent *Theod. ThdM.* codices A B et complures minusculi) ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν, ut cognoscatis quae circa nos sunt: ita revera mittitur *ad hoc ipsum*, ut Colossenses certiores fiant de rebus Pauli, et

hac sua narratione de Paulo, eius studio pro Colossensibus *consoletur corda vestra;* ceterum vide Eph. 6.21.22, ubi ad verbum legitur eadem missio Tychici, ut cognoscatis τὰ περὶ ἡμῶν. Demum iterum in v. 9 indicatur Tychicum nuntios perferre; mittitur autem v. 9 *cum Onesimo carissimo et fideli fratre, qui ex vobis est*, quam carus Paulo sit, satis manifestatur, ceterum vide epistolam ad Philemonem; hi duo *omnia quae hic aguntur* πάντα τὰ ὧδε, *nota facient vobis*; patet *cum Onesimo* non referri ad immediate antecedens: « parum enim idoneus adhuc erat Onesimus ad consolandum vel exhortandum Colossenses, utpote ex servo fugitivo recens christianus, quemadmodum ex epistola ad Philemonem eodem tempore missa patet » (*Est.*); ergo referri debet ad verbum : quem misi ad vos (cum Onesimo). Consolari soli tribuit Tychico; de rebus autem suis certiores eos facere utrique simul attribuit, ea ratione hunc honorans et illos non offendens (*Theod.*). Nota, quomodo apostolus *servum* fide suscepta coram Colossensibus commendet, utpote nuntium rerum apostoli et sociorum eum constituens.

Uti in fine aliarum epistolarum (Rom. 16,21; 1 Cor. 16,19; 2 Cor. 13,12; Phil. 4,22), ita hic quoque mittit eis salutationes fratrum qui apud ipsum commorantur; v. 10 *salutat vos Aristarchus* Thessalonicensis, comes apostoli Ephesi, comes eius in itinere hierosolymitano et in itinere romano (Act. 19,29; 20,4; 27,2), *concaptivus meus* συναιχμάλωτος, ita eum vocat ut qui perpessionum socius fuerat (*Theod.*), eodem nomine designantur Andronicus et Iunias (Rom. 16,7) et Epaphras (Philm. 23). Cum αἰχμάλωτος proprie dicat bello captum, nonnulli vocem explicant metaphorice : a Christo victore captum et ad currum triumphalem alligatum. Haec metaphorica explanatio tolerari posset, si v. g. ageretur de subitanea quadam ad Christum conversione, uti Sauli, qui persecutor prostratus Christo victas dat manus. At nihil tale de istis Pauli sociis innotuit. Omnes demum Christifideles a Christo victore capti sunt; ergo haec metaphora non proprium quidquam, sed omnibus commune enuntiaret; unde relinquenda est. Sensus itaque obvius est retinendus; neque tamen opus erit, ut hi fuerint catenis onusti; sufficiet, si aliquo modo sortis et perpessionum Pauli socii fuerint. Salutat vos *et Marcus, consobrinus Barnabae*, eum a cognatione commendat; magnus enim Barnabas (*Thph.*) vocatur Ioannes, qui cognominatus est Marcus (Act. 12,12.25; 13,13; 15,37.39), *de quo accepistis mandata*, quae? iam antea? vel ἐλάβετε praeteritum epistolare? ita ut Tychicus ea simul cum epistola perferat? haec omnia incerta sunt; *si venerit ad vos, excipite illum;* ergo nunc versatur apud Paulum et proficiscitur post Tychicum in Asiam; *et Iesus qui dicitur Iustus*; nomen unum hebraeum, alterum (saepe sono simile : Iesus, Iason) pro commercio cum gentibus, sicut Ioannes Marcus, Saulus

Paulus etc. Hos laudat apostolus : sunt natione Iudaei οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς, et ex Iudaeis *hi soli sunt adiutores (mei) in regno Dei, qui* οἵτινες quippe qui *mihi fuerunt solatio;* Aristarchus Macedo Thessalonicensis non videtur fuisse iudaeochristianus; nam Act. 20,4 inter eos recensetur qui pecunias ab ethnicochristianis collectas perferant Ierusalem.

Porro v. 12 *salutat vos Epaphras qui ex vobis est, servus Christi Iesu,* cf. 1,7; et ut servum Christi se exhibuit erga Colossenses, eos docens Christi evangelium; *semper sollicitus pro vobis in orationibus,* absens quoque vestram curam non omisit quasi decertans ἀγωνιζόμενος precibus suis in vestrum commodum et utilitatem, et id quidem eum in finem, *ut stetis* σταθῆτε ut constituamini *perfecti et pleni,* ad plenam mensuram (pietatis, perfectionis) adducti *in omni voluntate Dei,* in iis quae quacumque in re spectant ad Dei voluntatem; de notione πληροφορεῖν vide 2 Tim. 4,5.17. Id efflagitat a Deo, ut eos constituat perfecte implentes omnem Dei voluntatem. Eum apostolus quoque commendat v. 13, non solum pro Colossensibus multum impendit laborem, verum laborem et zelum etiam extendit ad civitates vicinas, ad Laodiciam et Hierapolin; v. 14 *salutat vos Lucas medicus carissimus,* Philem. v. 23 Lucas cum Marco, Aristarcho, Dema nominatur inter adiutores apostoli; hic eius ars medica effertur, qua arte certe etiam apostolo opem tulit (cf. 2 Cor. 12,7-9? Gal. 4,13? 6,17), *et Demas,* qui Philem. 23 συνεργός vocatur; at postea reliquit apostolum diligens hoc saeculum (2 Tim. 4,9).

Nunc eis commendantur salutationes quas ipsi perferre debeant v. 15 *salutate fratres qui sunt Laodiciae et Nympham et quae in domo eius est ecclesiam;* tres feruntur lectiones κατ' οἶκον αὐτῶν, αὐτοῦ, αὐτῆς, prima lectio videtur improbabilis, quamvis eam praebeant codices praestantes (ℵAC et octo minusculi); nam fratres laodicenses et Nymphas certe non habent unam domum; plerique codices praebent αὐτοῦ, erat igitur vir, Nymphas, nomine; αὐτῆς habet B. Nymphas, Νυμφᾶς (Nymphodorus) nomen viri, reperitur in inscriptionibus, utut sat raro (cf. *Lightf. Hpt.*). Nympham virum agnoscunt graeci, *Est. Nat. Lap.* et recentiores. Deinde v. 16 mandat, ut epistolam hanc communicent ecclesiae Laodicensium; ipsi vero legant etiam illam quae ex Laodicia ad ipsos pervenerit τὴν ἐκ Λαοδικείας, quare epistolam iam ab initio Laodicensibus esse dedicatam et inscriptam per se quidem non sequitur, sed, uti recentiores notant, locutio illa aeque bene significat : epistolom quae sit Laodiceae et inde Colossas perferatur. De hac quaestione recole prolegomena pagg. 7-10.

Singulari monitione Archippus iubetur attendere ad ministerium ei commissum v. 17 dicite Archippo : *vide ministerium,* τὴν διακονίαν, *quod accepisti in Domino,* scil. ut Domino serviat eiusque causam promoveat, *ut illud impleas,* ut fideliter munere fungatur.

Denique apostolus, qui epistolam dictavit (cf. Rom. 16,22 saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino), sua manu adscribit salutationem v. 18 *salutatio mea manu Pauli* ; cfr. 2 Thess. 3,17 salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola ; ceterum solum praeterea 1 Cor. 16,21 et Gal. 6,11 certo cognosci potest aliquid ipsa apostoli manu adscriptum. Tum Paulus addit : *memores estote vinculorum meorum*, scil. rogat eos ut sibi a Deo libertatem precibus efflagitent, cf. 4,3. Denique illis gratiam adprecatur : *gratia vobiscum* (*amen*) ; similes Pauli clausulas epistolares vide Rom. 16,24; 1 Cor. 16,23; 2 Cor. 13,13; Gal. 6,18; Eph. 6,24; Phil. 4,23; 1 Thess. 5,28; 2 Thess. 3,18 ; 1 Tim. 6,21; 2 Tim. 4,22; Tit. 3,15; Philm. 25; Hebr. 13,25.

INDEX.

PRAEFATIO IX

PROLEGOMENA 1

De argumento epistolae ad Eph 1
De occasione et fine epistulae 3
Ad quos epistola directa sit 7
De origine paulina epistolae ad Eph 11
Quando epistola scripta sit 17
De commentariis 19
Paulus et ecclesia philippensis 20
De ipsa epistola ad Phil 22
Ubi et quando epistola scripta sit 24
De authentia epistolae 26
De interpretibus 27
De ecclesia Colossensium 28
De argumento epistolae ad Colossenses 29
De origine paulina epistolae 31
De commentariis 31

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD EPHESIOS 33

Inscriptio epistolae; benedictionis spiritualis excellentia. 1,1-1,14 35
Precatur apostolus, ut celsitudinem et praestantiam vocationis cognoscant. 1,15-23 56
Ex qua miseria ad quantam dignitatem evecti sint. 2,1-10 68
Quanta speciatim pro gentibus praestita sint. 2,11-22 78
De mysterio vocationis gentium et de apostolatu Pauli. 3,1-13 92
Petit pro eis perfectionem vitae et cognitionis. 3,14-21 100
Servata unitate intime iungantur Christo. 4,1-16 109
Oppositio inter hominem veterem et novum. 4,17-24 127
Quae vetustas vitanda, quae novitas assumenda. 4,25-32 135
Olim tenebrae, nunc lux in Domino. 5,1-14 141
Praecepta pro vita sociali et matrimoniali. 5,15-33 149
Praecepta pro familia. 6,1-9 160
Induite armaturam Dei; epilogus. 6,10-24 165

COMMENTARIUS IN EPISOTLAM AD PHILIPPENSES 175

Inscriptio et salutatio. 1,1-2 177
Actio gratiarum cum supplicatione. 1,3-11 179
De profectu evangelii. 1,12-17 186
Paulus animi sui sensus pandit. 1,18-26 192
Animos assumant fortes et humiles, edocti exemplo Christi. 1,27-2,11 198
Strenue operi salutis incumbant ad bonum exemplum. 2,12-18 224

Narrat de sociis suis. 2,19-30 233
In quo sit genuinum studium perfectionis. 3,1-16 238
Coelestia appetant, concordiam et gaudium in Domino sectentur. 3,17-4,7 254
Admonitione, gratiarum actione et bonorum apprecatione concludit. 4,8-23 266

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES 279

Inscriptio et salutatio. 1,1-3 281
Gratiarum actio et supplicatio. 1,3-12 282
De summa dignitate Christi redemptoris. 1,13-23 293
Gentium apostolus constitutus curam gerit omnium. 1,24-2,3 308
Caveant errores ; cuncta habent in Christo Deo. 2,4-15 319
Relictis falsis doctrinis sapiant coelestia. 2,16-3,4 334
Homine vetere deposito induant novum. 3,5-17 344
Monita pro vita domestica. 3,18-4,1 354
Ultima monita et epilogus. 4,2-18 359

Tours. — Imprimerie Deslis Frères et Cie, 6, rue Gambetta.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V043
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS
3 0311 00015 8092

7332

STUDENTS
LIBRARY

3 0311 00015 8092